

Conf. t gr. no. 1000 - 1000 - 1000  
a. slow - 1000 - 1000 - 1000





# ELEMENTA IVRIS CANONICI

ET

# PROTESTANTIVM ECCLESIASTICI


COMMODA AVDITORIBVS METHODO  
ADORNATA

A  
**IO. GEORG. PERTSCH, ICto.**

SEREN. ET POTENT. MAGN. BRITTAN. REGIS ET ELECT.  
BRVNSVIC. LVNEB. CONSIL. AC CVRIAE AVLAE HAN-  
NOVER. ADSESS. VT ET REIPVBL. HIL-  
DESIENS. PROTO-SYNDICO.

**PARS PRIOR**

EXHIBENS IVRA PERSONARVM AC RERVM.  
EDITIO ALTERA, PRIORI AVCTIOR ET EMENDATIO.




*sum audig 480  
1776.*



---

IENAE  
SVMTIBVS HAERED. MEYERL  
M DCC XXXV.



4285



Q2.4060

1

SERENISSIMO CELSISSIMOQVE  
PRINCIPI AC DOMINO  
DOMINO  
GVILIELMO CAROLO  
HENRICO FRISONI,  
*PRINCIPI ARAVISIONENSI,*  
REGNANTI PRINCIPI NASSA-  
VIO-DIETIENSI,  
HEREDITARIO GVBERNATORI PRO-  
VINCIARVM FRISIAE, GELDRIAE,  
ZVTPHANIENSIS COMITA-  
TVS, RELIQA.  
PRINCIPI AC DOMINO MEO  
CLEMENTISSIMO  
FELICITATEM!



*Serenissime atque Celsissime*  
**PRINCEPS,**  
*Domine Clementissime.*



**A** D folium TVVM,  
SERENISSIME ac  
CELSISSIME PRIN-  
CEPS,



CEPS, haec mea elementa iuris canonici & Protestantium ecclesiastici, iterata vice recusa, ignotus & umbram saltem eruditi referens, humillime depono. Fata, non merita, hoc opusculum, olim in usum auditorii mei, fugituo calamo conscriptum, eousque extulerunt, ut Doctores, qui in Academiis studiosae iuventuti iurium ecclesiasticorum principia, comoda methodo instillare cupiunt, hanc, quam ego

DEDICATIO.

---

in his elementis viam calcandam elegi, rectam ac regiam reputauerint, ad intimiora sacra iurisprudentiae ecclesiasticae penetranda. Immo AVGVSTISSIMI & POTENTISSIMI SOCERI TVI *Sacrum Consistorium*, quod Electoratum Brunsvicensem cum Ducatibus & terris reliquis regit, ex hoc leuidensi specimine augurium fecit, me non indignum fore, quin in Curia regia aulae Hannoueranae, vna cum

DEDICATIO.

---

cum aliis ibi constitutis iustitiae sacerdotibus, militare. Annuit mox POTENTISSIMVS ac CLEMENTISSIMVS REX *Consistorii sacri* suffragiis, & iam per biennium & quod excurrit, spartam, clementissime mihi collatam, tueor.

Intellexit autem iam dudum litteraria Respublica, TE non solum refulgere virtutibus TANTO PRINCIPE dignis, puta, iustitia, fortitudine, grauitate, constan-

) 4                      tia,

DEDICATIO.

---

tia, & quae laudes omnes  
complectitur, sapientia;  
sed & illud accepit, a TE  
magni fieri litteras & man-  
fuetiores & seueriores. Sa-  
ne luculento exemplo id  
ipsum demonstraſti, ex  
quo e caſtris, ad Rhenum  
contra Imperii hoſtes ſtru-  
ctis, ad terras & guberna-  
tiones TVAS reditum ad-  
ornaſti. In caſtris quidem  
omnes TE, vt HEROEM Re-  
gii ſanguinis, exoſculati  
ſunt; reducem vero, vbi  
Mufae ſacrificia obtule-  
runt,

DEDICATIO.

---

runt, statorem studiorum,  
& Maecenatem Litterarum,  
omnis orbis cognovit. Iam vero SERENISSIME, CELSISSIME ac CLEMENTISSIME PRINCEPS, citra  
monitorem intelliges, nulli, qui liberalibus artibus  
operam nauat, vitio dandum esse, si eorum clementiam ac praesidia quaerant, qui tristes solari  
camoenas, disciplinasque suo fauore, gratia ac clementia promouere possunt.  
Argumentum autem,  
( 5 quod

## DEDICATIO.

---

quod ego elegi, arduum non solum est; sed & quandoque delicatum. Occurrunt quippe dogmata, quae non solum hierarchiam Pontificiam oppugnant; sed & tam doctrinae, quam praxi Protestantium quandoque dicam scribunt. Quum vero illi, qui studio veritatis incensi, pro modulo ingenii, symbolam ad expolienda studia contribuunt, laude potius, quam vituperio, digni sint, licet quandoque

DEDICATIO:

---

que a chorda aberrent:  
haec vero aequitatis natu-  
ralis regula ab illis, qui ve-  
ritatem iure quodam per-  
petuae conductionis possi-  
dere arbitrantur, varios  
impetus sustineat; intelli-  
ges PRINCEPS CLEMENTIS-  
SIME, quare TIBI haec mea  
elementa, quae nunc alia  
plane facie prodeunt, de-  
uota mente consecrem.  
Accedit, quod in tanta mo-  
le rerum, inter tantas cu-  
ras, quae TIBI incumbunt,  
artes non spernas, sed po-  
tius

DEDICATIO.

---

tius Musas, licet fugitivas,  
apud TE, tanquam tutissi-  
mum portum, recipias, &  
quicquid liberalis scien-  
tiae est, clementissime al-  
licias. Hae virtutes, haec  
fama laudum TVARVM me  
mouent, vt in conspectum  
TVVM veniam, spe plenus,  
non ingratum futurum  
meum conatum, propter-  
ea quod folium TVVM gra-  
tia iustitiaque munitum sit.  
Accipe itaque ea qua soles  
Clementia, SERENISSIME  
ac CELSISSIME PRINCEPS, haec  
ele-



DEDICATIO.

---

elementa, TIBI deuotissime consecrata. Hoc quum obtinero, obtusa erunt aduersariorum tela. Vix concedes PRINCEPS GLORIOSISSIME, quod tristis & voti non compos a TE recedam. Quod si vero, uti certe confido, voti compos factus fuerim, quidquid in me artis est, quidquid cognitionis, TIBI consecratum erit. Vale SERENISSIME atque CELSISSIME PRINCEPS, cum CONIVGE SERENISSIMA, ad seros usque

DEDICATIO.

---

que annos, videasque, qui  
ex dulci eiusmodi vincu-  
lo prodierunt, heredes,  
ad tertiam vsque genera-  
tionem. Huc redit sum-  
ma votorum

SERENITATIS AC CELSI-  
TVDINIS TVÆ

Dab. Hildesiae prid. Cal.

Maji Ao. MDCCXXXV.

*Cultoris deuotissimæ  
obsequiosissimi*

IO. GEORG. PERTSCHII.



DISSERTATIO PROOEMIALIS,  
DE  
ORIGINE ET FATIS LEGVM ECCLE-  
SIASTICARVM, VARIISQVE COLLE-  
CTIONIBVS ILLARVM.

§. I.

**Q**vae fata fuerint meorum elemento-  
rum iuris canonici & Protestantium  
ecclesiastici, in praefatione, ad par-  
tem posteriorem huius editionis, enarrabo.  
Nunc placet pauca de origine & fatibus legum  
ecclesiasticarum variisque illarum collectio-  
nibus disserere, vel ideo, quod in prima edi-  
tione, Titulo peculiari, thema hoc pertra-  
ctatum fuerit. Ne itaque noua editio, quae  
varia augmenta & mutationes accepit, priori  
ideo cederet, quod haec materia omissa &  
intacta relicta fuerit; iuuabit quasdam ob-  
seruationes, easque pleniores illis, quae  
olim prodire, elementis recufis praemittere.

Qua de  
caussa haec  
dissert. praemittatur.

§. II.

Optauit olim doctissimus Polyhistor, **LEIBNITZIVS**, a) vt *intima historia iuris ca-*  
a no-  
ris cano-  
nici.

a) vid. IOACH. FRID. FELLERI *monum. ined. Trim. II.*  
*art. XI. nr. 1.*

*nonici* in lucem prodiret, ea lege adornata, ut constaret, qua occasione singula sint constituta, continens non solum causas legum *iustificas*, sed & *suasorias*. Suasoriae enim in animo fouentur, iustificae praetexuntur. Hae mouerunt Imperantes ad leges ferendas; illae nos mouent ad eas retinendas. Sed deesse nostris eam peritiam rerum, quae huc requiratur, obseruauit mox vir iudiciosissimus, adeoque nos contentos esse debere, *isagogica & introductoria* historia, ubi tolerabiliter scimus, qua occasione quaeque iuris volumina sint edita.

§. III.

Auctores  
Histor. iur.  
canon.

Isagogicas eiusmodi historias concinnarunt GERH. van MASTRICHT, in *Hist. iur. canon.* CASP. ZIEGLERVS DE ORIG. ET INCREM. IUR. CAN. & qui horum serinia compilauit, B. THOMASIVS in *caut. circa praecogn. iurispr. eccl. cap. XIX.* I. DOVIAT *Histoire du droit canonique.* ANONYMVS *Hist. du droit canonique*, quae Gallicanae quidem ecclesiae institutis potissimum est accommodata, sed eleganter de reliquo scripta. FR. FLORENS *de orig. & auctor. iur. canon.* quibus iungendus doctissimus SALMON in libro, *Traité de l'Etude des conciles & de leurs collect. Part. II.* ubi egregia nonnulla de antiquis canonum collectionibus adfert. Ut alios taceam.

§. IV.

## De Origine & fatis Legum ecclesiasticarum.

### §. IV.

Sunt, qui initia legum ecclesiasticarum ab ipso CHRISTO repetunt. Sed optimus Saluator ne quidem peculiarem coetum, a sacris Iudaicis distinctum, vnquam collegit. Interfuit potius ipse Iudaeorum sacris, & in templo & synagogis, docuit. *b)* Praeterea admonuit discipulos, vt sacra & ritus Iudaicos obseruarent. *c)* Damnauit omnem hierarchiam, *d)* & in eo totus fuit, vt doctrinam, traditionibus humanis corruptam, luci restitueret, veramque religionem Patriarcharum, sublatis saltem ceremoniis & typis, restauraret.

Indoles legum ecclesiasticarum in tempore Christi.

### §. V.

Vestigiis Magistri insisterunt Apostoli. Post Christi quidem in coelum ascensionem, saepe cum fidelibus separatas instituerunt congregationes; *e)* sed propterea se non a sacris Iudaicis separarunt. Accommodarunt se ad sacra Iudaeorum, *f)* & tam templum quam synagogas frequentabant. *g)* Tunc vero, quum integrae synagogae ad Apostolicam doctrinam transirent, *h)* ipsi Apo-

Sub Apostolis.

a 2

sto-

*b)* Matth. XI. 35. XII. 9. Marc. I. 21. III. 1. XIII. 1. Luc. II. 46. IV. 16. Iob. II. 42. 59. VII. 14.

*c)* Matth. XXIII. 3.

*d)* Luc. XXII. 24. 25.

*e)* Act. I. 14. II. 1. IV. 24. XV. 25.

*f)* Act. III. 1. XVI. 3. XVIII. 13. 21.

*g)* Act. II. 46. III. 1. IV. 3. IX. 1. XIII. 5. 14. 42. 43. XIV. 1.

*h)* Act. XVIII. 8. 17.

## Differtatio Procœmialis.

---

stoli e synagogis expellerentur, *i*) & ipsa Respublica Iudaica sensim euanesceret, peculiare demum coetus instituerunt, tunc maxime, ubi & gentiles Christo fidem darent. *k*) Quum vero hi coetus separati, *ordinem* aliquem cum externa honestate coniunctum exigerent; *l*) talis etiam in Apostolica ecclesia obtinuit.

### §. VI.

Indoles ordinis in Apostolica ecclesia.

Sed arbitrarium esse ordinem, in ipsa tractatione materiæ iuris ecclesiastici, euincam. Hic saltem moneo, talem elegisse ordinem fideles primitiue ecclesiæ, quem *fini congregationum* conformem reputabant. In determinatione vero ordinis, vel *proprio arbitrio* utebantur, vel *commendationem Apostolicam* sequebantur: *m*) vel *synagogæ iudaicæ* instituta, ad quæ adsueta erant, imitabantur, eaque retinebant. *n*) Ordo autem vel *simplex* est, vel *solemnior*. Hunc conuenire negotiis secularibus, recte arbitrati sunt, adeoque in simplici substiterunt. Hinc de iure condendi ritus, aut leges, aut ordinem præscribendi, non multum solliciti fuerunt. \*

\* Inde

---

*i*) Act. IV. 3. VIII. 1. XXI. 26. seq.

*k*) Act. X. & XI.

*l*) B. BREITHAVPT *diff. de ordin. in eccl. seru.*

*m*) 1. Cor. XI. 4. seq. & cap. XIV. seq.

*n*) vid. VITRINGA *de synag. vet.* SPANHEMIVS *opp. Tom. II. pag. 906.* B. BVDDEVS *de eccl. Apost. p. 621.*

## De Origine & fatis Legum ecclesiast.

\* Inde videre licet, spurias esse *liturgias*, quae Petro, Matthaeo, Marco, aliisque Apostolis & Apostolicis viris adscribuntur, quippe illa demum aetate natas, ubi iam mundus in ecclesiam intrusus fuit. Id ipsum & Pontificii cum Protestantibus adgnoscent. vid. B. IO. FR. BVDDEVS in *diff. contra Grabium, Clement. Rom. & Iren. non fauere missae Pontif. IO. DALLAEVS, de cult. latin relig. L. VI. EVSEB. RENAVDOT in collect. liturg. Orient. Tom. I. diff. 1. cap. 4. & 5. Rev. C. M. PEAFF de liturg. cap. I. §. 1. Porro inde discimus, spurios esse *canones Apostolicos*, conf. quae de his dixi in Tractatu de *Simoniac crimine Sect. I. cap. 2 §. 4. not. b. add. IO. WILH. IANVS diff. de can. Apost. nec non supposititias esse, constitutiones Apostolicas*, vid. IO. DALLAEVS, de *Pseudepigr. Apost. Lib. I. & II. CHRIST. LVPVS in schol. ad can. concil. Part. II. pag. 868. NATAL. ALEXANDER hist. eccl. Sec. I. diff. 18. vt alia, quae ad haec tempora referri ab Impostoribus solent scripta, taceam. Ex instituto enim de eiusmodi supposititiis dissero in *Hist. eccles. Sec. I. cap. vlt.***

### §. VII.

Hoc largior, ordinem *directionem* quantum desiderare. Sicuti vero *directio* nullum *imperium* inuoluit; ita & in primitiua ecclesia, sine *dominio*, sine *poenis*, \* sine *supereminentia* magistrali, sine vlla *tyrannide*, vigebat. o) Apostoli equidem ecclesias praecipua quadam *auctoritate* regebant, utpote *charismatibus* insignioribus, & praecellentia, ab ipso CHRISTO donati; p) sed in re-

a 3

bus

o) 2. Cor. X. 4.

p) Matth. X. 1. XVIII. 19. Marc. XVI. 15. seq. add. Mea Hist. Eccles. sec. I. cap. X. Sect. 1.

bus dubiis, *totum coetum* in partes vocarunt, nihilque absoluta potestate egerunt. q) Sic confœderatio ecclesiae, statim cum eius formatione inceptit, & fundamentum omnis ordinis fuit, huc potissimum tendentis, ut *verus finis* ecclesiarum, eo melius obtineri queat.

\* Poenae enim modis *miraculosis* inflictae, *Act. V. 5. 10. XIII. 5. 1. Cor. V. 3. seq. 1. Tim. I. 20.* huc non pertinent.

§. VIII.

Et determinatio  
nationis ab  
Apostolis  
factae.

Hac de causa etiam Apostoli, quid circa *ordinem* conduceret, indicarunt: r) *adiaphora* quaedam determinarunt: s) quid circa *ministerorum* constitutionem obseruandum sit, docuerunt, t) & non conuenire Christianis, ut coram *infidelium tribunalibus* inter se litigarent, inculcarunt. \* u) Nullas vero sic *leges ecclesiasticas* condiderunt, tantum abest, ut circa *bona ecclesiae*, quippe quae ignorabantur, aliquid disposuerint. Diuitiae enim ecclesiae, vnice in *eleemosynis* consistebant, x) ipsique *ministri* ecclesiae, eatenus saltem, quatenus *egeni* essent, *stipendium* accipiebant: licet Apostoli simul monstrarint, quod *iure* perfecto *stipendia* exigere potuerint. \*\*

\* Inde

q) *Act. VI. 1. seq. XV. 2. seq. XXI. 22. seq.*

r) *1. Cor. XI. 34. & cap. XIV.*

s) *Act. XV. 20. 29. Rom. XIV. 1. Cor. VIII. 10. 19. seq. XI. 3. seq.*

t) *1. Tim. III. 1. seq. Tit. I. 6. seq.*

u) *1. Cor. VI. 1. seq.*

x) *Act. XI. 29. 30. Rom. XV. 26. 1. Cor. XVI. 1. 2. Cor. VIII. 1. IX. 2. Gal. II. 10. Phil. IV. 18.*



## De Origine & fatis Legum ecclesiast.

\* Inde tandem orta *audientia Episcopalis*, conf. *constit. Apostol. Lib. II. cap. 45. & 46. Concil. Chalcedonens. can. 9.*

\*\* *Act. XX. 33. I. Cor. IX. 7. seq.* Opificio cuidam vacabant Apostoli. Paulus erat tentoriorum confector. *Act. XVIII. 3.* Idem institutum opificiarium familiare fuit Rabbiniis. vid. DRUSIVS ad *Act. XVIII. 3.*

### §. IX.

Haec fatis docent, res ecclesiae, Insuper  
quaestiones  
de forma  
regiminis  
ecclesiastici. ad rerum publicarum formam, nequaquam fuisse exactas, adeoque insipide ratiocinari omnes, qui inter se digladiantur: quae forma sit regiminis ecclesiastici? num *monarchica*? an *aristocratica*? an *democratica*? an *mixta*? Interim eiusmodi naenias etiam illi cantant, qui sapientes esse contendunt. Sane pro priori forma pugnant satellites pontificis: Pro altera, qui concilium supra Papam esse contendunt: pro tertia, qui iura plebis defendunt: pro vltima, quidam Protestantium. Sed omnes a vero aberrant, etiam tunc, vbi putant, se regiam calcare viam. Hae enim formae cadunt tantum in *statum* aliquem *ciuilem*, seu ciuitatem, *ecclesia autem status non est.* y)

### §. X.

Ex quo sacer Apostolorum chorus mortem cum vita commutasset, durauit quidem adhuc pristina *confoederatio*; verum Prima Hierarchiae fundameta. MOX

a 4

fen-

y) Ita recte loquitur L. B. DE PVFFENDORFF *de hab. relig. Christ. ad vit. ciu. §. 32. add. B. 10. FR. MVDDEVS de eccl. Apost. pag. 618. sq.*

## Differtatio Prooemialis.

fenfim fenfimque *sacro imperio* via strata fuit. Non vno impetu fit mutatio, ita & hic per *gradus* illa contingebat. Scilicet: 1) Episcopi & Presbyteri separatim ab auditoribus ordinem adfectabant, se *clericos*, hos *laicos* adpellantes. 2) Sibi vindicabant *sacerdotium* veteris Testamenti, non quoad inanem nominis sonum, sed cum *coniuncta potestate* a) 3) Saepius clerus de negotiis ecclesiasticis *deliberationes* instituit. verum *plebem* simul in *consilium* adhibuit. b) Quod si vero 4) grauis caussa visa, *vicinas ecclesias* in consilium aduocauit. Hae vero Episcopum, cum quibusdam ex reliquo clero & plebe, ad negotium deputabant, & sic *communi* adhuc *consilio* res omnes determinabant. Inde postea 5) oriebantur *synodi prouinciales*, ad quas ea detulerunt, quae olim a singulis ecclesiis decernebantur. Abhinc 6) *plebs* pcedentim ab eiusmodi conuentibus, *exclusa fuit*, id quod eo facilius fieri potuit, quum 7) Episcopi in rebus ecclesiae ordinandis, sibi semper praecipuas partes vindicauerint. c) Dehinc 8) inter ipsos ecclesiae Rectores, *supereminentia* quaedam inualuit, quae mox in *subordinationem* quandam degenerauit: d) 9) maxime cum passim

---

e) TERTULLIANVS *exhort. ad castit. cap. 7. & de praescr. adu. haeret. cap. 41.*

a) TERTULLIANVS *de bapt. c. 17.* CYPRIANVS *ep. 3. 4. & 59.*

b) CYPRIANVS *epist. 4. 30. 31. 49. & 55.*

c) IDEM *epist. 19. 67. 68.*

d) IGNATIUS *epist. ad Roman. s. 3. 4. 7. 8. 9.* CYPRIANVS *epist. 3. 45-75.*

## De Origine & fatis Legum ecclesiast.

passim *noua officia*, Lectorum, e) Sub. Diacorum, Acoluthorum, inualescerent. f) Exinde 10) res ecclesiae, a nutu *Episcoporum & Presbyterorum*, deinde *Episcoporum* tantum, pendere visae, & femina *dominii* ecclesiastici *absoluti*, passim iacta fuerunt. g) Hinc 11) Paullas Samosatenus, in media persecutione *tribunal* ecclesiasticum habuit. b) Hisce fere gradibus, plebis iura iugulata, solaeque parendi necessitates relictae fuerunt.

### §. XI.

Ex quo vero *Principes* se ecclesiae sociarunt, ab *Episcopis regimen* ecclesiasticum cum *sacro imperio iam occupatum* fuit. Ratio legum eccles. sub Princip. Christian. Noluit CONSTANTINVS clerum irritare, congruum tamen duxit, vt *ambitioni* obex poneretur. Hinc 1) se *Episcopum* esse dixit, vt vel sic in *consortium regiminis* admitteretur, i) quo ipso tamen, auctoritatem *Episcoporum* agnuit. Hi proinde 2) eousque impudentes fuerunt, vt *Principi* dispositionem rerum ecclesiasticarum, *iuraque sacrorum* penitus *negarent*, & e contrario *sibi imperium* in ecclesias *vindicarent*. k) Immo 3)

a 5

ipfi

e) CYPRIANVS *epist.* 29.

f) CYPRIANVS *epist.* 7. SPANHEMIVS *opp.* Tom. I. pag. 741. SAM. BASNAGIVS *annal. Pol. eccl. ad An.* 333. §. 6. *sequ.*

g) CYPRIANVS *epist.* 59. III. RUEHMER *ius eccl. antiqu.* pag. 110. *sequ.*

b) EVSEBIUS *Hist. eccl. Lib. VII cap.* 30.

i) *vid. vita Constantini M. Lib. IV. cap.* 24.

k) ATHANASIVS *in epist. ad solit. vit. agent.*

ipsi Imperatores, licet commoda occasio se offerret, iura circa sacra neglexerunt. l) Quandoque tamen <sup>4)</sup> iurium circa sacra cultodes ac vindices fuerunt, strenueque ea exercuerunt. m) Sane in nostro Imperio, s) non solum Reges & Imperatores *eminentiora iura circa sacra* sibi vindicarunt; verum insuper *Proceres Imperii*, huius iuris participes fecerunt. n) At cum 6) Episcopis facultatem *iudicandi, excommunicandi*, aliaque concederent, *distinctionemque caussarum*, ecclesiasticarum & ciuilium, introducerent; non potuit non episcopalis potestas in dies crescere, & *collisio imperium inter & sacerdotium* oriri. o) Inde 7) potiora negotia, a nutu Episcoporum pependerunt, & 8) quae Principes sibi vindicauerant pedetentim *atrita, fracta & conculcata* fuerunt.

§. XII.

Episcopi per gradus legiſlatoriam potestatem adepti sunt.

Sic itaque *Confoederatio* primitiuae ecclesiae, vtile laudandumque institutum, *sacrum dominatum*, partum Rebus publicis exitiosissimum, per temporum interualla protrudit. Antiquae quidem ecclesiae *iure non scripto* potissimum vtebantur, cum illa, quae place-  
rent

l) RUFFINVS *Hist. eccl. Lib. 1. cap. 2.*

m) CONF. PETR. DE MARCA *de conc. sacerdot. & imp. TALON de l' auctorité des Rois touchant l' administr. de l' eglise.*

n) CONF. I G. REINHARD *de iur. Princ. Germ. circ. sacr. ante Reform.*

o) vid. B. THOMASIVS *in Hist. content. int. Imper. & sacerdot. cap. V.*

## De Origine & fatis Legum ecclesiast.

rent coetui, statim in praxin deducerentur. In his institutis adornandis, Episcopi primas sibi partes vindicabant, & ex hinc *directio* eorum, in *iurisdictionem*, mox vero in *legislatoriam potestatem* abiit. Tunc id potissimum factum, vbi ex ambitione & rixandi studio, de *consuetudinibus & traditionibus*, disputare inciperent. Tunc enim *cum exclusione coetus*, canones condebant, quibus mediantibus consuetudinem ecclesiasticam determinabant. Hoc ipsum seculo IV. contentionum feracissimo, varia augmenta cepit. *Canones* in concilijs conditos, <sup>x)</sup> coniuventibus & auxiliantibus Principibus, aliis *obtrudebant*, & vt mores & vitam iuxta illos componerent, adigebant. Sic sub colore, quod saltem *regulas* praescriberent, veram *legislatoriam potestatem* exercebant. Inualuit *audientia episcopalis*, accessit *exemptio* personarum & bonorum ecclesiasticorum a *iurisdictione civili*, donec tandem sua *tribunalia* ad normam iudiciorum civilium extruerent, & ipsos Principes sibi subiicerent. p) Inde canones studiose colligebant, & ex illis demum *codicem legum ecclesiasticarum* conflabant, qui sub titulo iuris canonici prostat. Hinc paucis fata harum collectionum eruenta sunt.

### §. XIII.

Originem vero collectionis canonum, e Concilio Niczeno, eruditi petunt, quum in illo

Collectio  
Canonum.  
1) Concilii  
Nicaeni.

p) CASP. ZIEGLER *d. Episc. Lib. III. cap. 30. 10.*  
SAM. STRYK *diff. de orig. iurisd. eccl.*

## Differtatio Prooemialis.

- illo conuentu sancita, ab Episcopis praesentibus, *dypticis* suarum ecclesiarum inserta fuerint. q) Sed rectius natales hodierni iuris canonici, a *codice canonum ecclesiae vniuersae* deducuntur. Huius collectionis auctor fertur STEPHANVS Ephesinus. In Italiam eam attulit LEO I. r) vbi tamen iam ZOSIMI collectio cognita erat, quam ideo adornauerat, vt *adpellationes* ad sedem Romanam, sub auctoritate concilii Nicaeni deuolueret. s) Spe vere sua cum excideret curia Romana, auctore DIONYSIO, Monacho, maximo impostore, aliam adornari curauit, quae etiam vbique adplausum meruit, licet *spurias & fictitias* Romanorum quorundam Episcoporum *epistolas* contineret. t) Abhinc apparuere quaedam collectiones certo ordine digestae, puta FVLGENTII FERRANDI *breviatio canonum*: IOANNIS Antiocheni collectio seu *concordantia canonum*, & eiusdem *Nomocanon*: u) CRESCONII *breviarium canonum*: x) In Spania, MARTINI, Bracarenfis Episcopi, *collectio canonum* maximae

q) PETR. DE MARCA *de conc. sacord. & Imp. Lib. III. cap. 3.*

r) IDEM *ibid.* add. GEBH. THEOD. MEIER *in praef. ad can. eccl. vniu.*

s) GERH. VAN MASTRICHT *hist. iur. can. nr. 67.*

t) MASTRICHT *cit. l. nr. 70. sequ.* DOVIAT *hist. du droit canon. Part. I. c. 17.*

u) MASTRICHT *cit. l. nr. 155. sequ.*

x) PHIL. LABBEVS *differt. Tom. I. pag. 318.*

## De Origine & fatis Legum ecclesiast.

ximae auctoritatis fuit. *γ*) Hae collectiones in occidente, ad Seculum VI. vsque prodierunt, sed nihil de *tritura forensi* continent. Exhibent ea saltem, quae concilia de rebus & personis ecclesiasticis determinarunt.

### §. XIV.

Ecclesia Orientalis, cum codice canonum ecclesiae vniuersae hactenus vteretur, in synodo in Trullo congregata, demum *codicem ecclesiae orientalis* adornauit. *z*) Abhinc Seculo IX. prodiit famosa illa collectio, quae nomen ISIDORI prae se fert, & antiquorum Episcoporum vrbis Romae epistolas decretales continet. Quisquis fuerit ille collector, maximum *impostorem* egit, nihilominus tamen quisquillus suis, pro inscitia illorum temporum, vbique fere adplausum meruit: licet HINCMARVS, tunc Rhemenfis Archi-Episcopus, imposturas & fraudes huius compilatoris mox detexerit. *a*) Restitit etiam ausibus curiae Romanae, doctissimus ille Patriarcha Constantinopolitanus, PHOTIUS, cum *Nomocanonem*,<sup>7</sup> ad exemplum Ioannis Antiocheni exararet. *b*)

<sup>9</sup>) Codex eccles. orient.

<sup>10</sup>) Isidori collectio.

<sup>11</sup>) Photii.

### §. XV.

*γ*) IDEM *ibid.* Tom. II. pag. 61.

*z*) MASTRICHT *cit. l. nr. 188. seq.* Hunc codicem scholiis illustrarunt, ALEXIVS ARISTENVS, IO. ZONARAS & THEOD. BALSAMON. vid. GVIL. BEVEREGII *pandect. concil.*

*a*) HINCMARVS *opusc. LV. cap. 24.* MASTRICHT *cit. l. nr. 188. sq. DE MARCA c. l. Lib III. cap. 5. § 3. cap. 6. §. 1. add. DAV. BLONDELLI Pseudo Isidor.*

*b*) MASTRICHT *cit. l. nr. 246. sq. ZIEGLER de orig. iur. can. §. 23. & 24.*

§. XV.

- Seculo X. etiam Germani in compilandis canonibus, studiosi facti, & inde prodiit
- 12) Rheginonis. RHEGINONIS, Abbatis Prumiensis opusculum: *de disciplina ecclesiastica.* c) Hunc Seculo XI. excepit BVRCHARDVS, Episcopus Wormatiensis, ex anterioribus collectionibus nouam adornans. d) Quum vero non omnia ad palatum curiæ Romanæ essent, ANSELMVS, Episcopus Luccensis, factelles Gregorii VII. collectionem canonum ita adornauit, vt *iuris potius Pontificii*, quam *ecclesiastici*, promotor dici mereatur. e) Idem studium IVONI, Episcopo Carnotensi, qui in sua canonum collectione, seu *Decreto*, id ubique egit, vt dominatum ecclesiæ Romanæ propugnaret. f)
- 13) Burchardi
- 14) Anselmi.
- 15) Iuonis.

§. XVI.

- 16) Gratiani. Tandem seculo XIII. adparuit GRATIANI *concordantia discordantium canonum*, quæ reliquis omnibus palmam praeripuit. Mox enim in *Academiis*, conniunte Pontifice, explicari cepit. Tacite Pontifex vsus huius laboris promouit, expressam vero confirmationem, vel propterea denegauit, quod multa contineret, hierarchiæ Pontificiæ aduersa.

c) MORERY *Diction. voc. Rhegino.*

d) ZIEGLER *cit. l. §. 29.*

e) THOMASIVS *caut. circ. praec. iurispr. eccl. cap. XIX. §. 29.*

f) MASTRICHT *cit. l. nr. 266.*



## De Origine & fatis Legum ecclesiast.

uerfa.<sup>d)</sup> Nec naeuis caret. g) Interim ex vsu & obseruantia, *vim authenticam* Gratiani decretum obtinuit, quibus denique ipsa Imperantium confirmatio accessit. h) Decreto huic postea accessere canones, qui *Paleae* nomine veniunt, & cum textui postea irrepsissent, parem cum illo *vim authenticam* obtinuerunt. \*

\* Varias de *Palea*, eruditorum sunt opiniones. c)

CVIACIVS ad c. IX. de sponsal. impub. putat: denotare vocem *supposititium* quid, & scribendum *Palaea*: COINTIVS ad c. 2. D. 5. esse *notam* canonis a Gratiano haut profecti: ANTON. AVGVSTINVS de emend. Gratian. Lib. I. dial. 2. esse *Paleam* nomen auctoris: HILLIGER in Donell. enucl. XXVI. cap. 2. lit. A. Eugenium III. hac voce *Textus*, quos non adgnosceret, notasse. Ego COINTIO subscribo.

### §. XVII.

Sed cum curia Romana animaduerneret, De Decretalibus. multa decreto Gratiani deesse, quae ex iure civili haurienda forent; eo studia sua direxit, vt sedis Romanae legibus christianus orbis gubernaretur. Iam olim, vbi de consuetudine ecclesiastica dubia inciderent, a Romana ecclesia consilia expetebant Episcopi. Haec vero quae Pontifex *rescripsit*, tractu temporis *legum* ecclesiasticarum auctoritatem

g) vid. ANT. AVGVSTINVS de emend. Gratiani add. FRANC. FLORENS de method. & auct. collect. Gratiani.

h) III. BOHMER iur. eccl. Prot. Lib. I. Tit. 2. §. 17. sequ. FLORENS cit l.

tem obtinuerunt. Potissimum vero ab Alexandri III. temporibus, nouas leges condidit curia Romana, cuius vestigia cum premerent successores, plures *Decretalium epistolarum* prodire collectiones. i) Tandem Gregorius IX. per RAYMVNDVM DE PENNA FORTI, ex his talem adornari iussit collectionem, quae vice *corporis iuris canonici*, in orbe christiano fungeretur. k)

• §. XVIII.

De sexto libro decretalium.

Prohibuit Gregorius omnes collectiones, citra indultum Pontificis, hinc ipsi successores in cathedra Petri, nouas adornati sunt. Videbant quippe quaedam adhuc decretalibus deesse, quibus in altius sedis Romanae auctoritatem euehere possent. Hinc Bonifacius VIII. Principibus admodum inuidiosus, *sextum Decretalium librum* compilauit. Quum vero Galliae Proceres viderent, sic in multis regia iura per Pontificem conculcari, proscripta haec collectio in Gallia fuit. l) Prodiere dehinc *Clementinae*, iussu Cle-

De Clementinis.

- 
- i) ZIEGLER *cit. l. §. 50. & 51.* Quinque harum collectionum numerantur. Quatuor priores publicauit ANTON. AVGVSTINVS, quintam edidit INNOC. CIRONIVS.
- k) ZIEGLER *cit. l. §. 52.* Vitam Raymundi delineauit SALVATOR PONS, quam in Germanicum idioma transtulit AEGID. ALBERTINVS.
- l) ZIEGLER *cit. l. §. 54. & 55.* DE MARCA *cit. l. Lib. II. cap. 16.*

## De Origine & fatis Legum ecclesiast.

Clementis V. collectae, sed a successore Ioanne XXII. demum confirmatae. m) Tandem *Extravagantes*, tam Ioannis XXII. quam *com. & Extravagantibus.* *munes* adparuerunt. Priuato quidem studio sunt collectae, sed cum hierarchiae admodum faueant, magno in pretio apud Pontificii iuris interpretes habentur. n)

### §. XIX.

Magnum meruere adplausum hi conatus, De Institut. quod vel multitudo Glossatorum, \* & com. Lancelotti. mentatorum ad ius Pontificium docet. Deerant autem, vt *iusti corporis* structuram ad exemplum iuris Romani sisteret ius Pontificium, *Institutiones*, quas vero Seculo XVI. IO. PAUL. LANCELLOTTVS concinnauit. Denegauit quidem curia Romana confirmationem, annuit vero, vt corpori iuris canonici iungerentur. o) *Septimus* vero liber De- De Septimo libro Decretalium priuata auctoritate est collectus, nec vnquam vel expressam, vel tacitam adprobationem obtinuit. p) Collectus fuit Ao. MDXC. a PETRO MATTHAEO.

\* Crassa Glossatorum Philosophumena perstringit CVIACIUS ad c. 10. X. de sent. & re iud.

### §. XX.

Collectiones canonum, auide plerumque De auctoritate iuris canon. in Germania. fuisse exceptas, iam vidimus, adeoque & in

m) ZIEGLER cit. l. §. 57. MASTRICHT cit. l. nr. 371.

n) ZIEGLER cit. l. §. 58. MASTRICHT c. l. nr. 372 seq.

o) ZIEGLER in proëm. ad Lancell. instit. MASTRICHT cit. l. nr. 388.

p) ZIEGLER de orig. iur. can. §. 59. MASTRICHT cit. l. nr. 388.

nostram Germaniam iam olim penetrarunt. q) Post GRATIANI collectionem, in ipsa Imperatoria aula *Decretistae* floruerunt, magnique habiti fuerunt. r) Germani nostri cateruatim ad Academias, *Bononiensem* s) & *Parisiensem* euolabant, ibique *studio canonum* operam nauabant. t) Quis itaque dubitabit, eos reduces factos, ea quæ didicerunt, in pretio habuisse? vel Glossæ IO. SEMECAE, pro auctoritate Decreti in Germania pugnans. u) Cumenim GRATIANVS sua, etiam ex RHEGINONIS & BVRCHARDI collectionibus depromserit, quorum labores Germanis statim in pretio fuerunt; non potuit non inde decreto auctoritas in Germania accedere. Loquuntur sane de illa Principum sanctiones, x) variaque chartae & instrumenta. Frequentes enim ibi occurrunt *renunciationes* beneficiorum *iuris ecclesiastici & ciuilibus*; y) per *ecclesiasticum* vero ius, etiam Decretum Gratiani indigitatum fuisse, res ipsa loquitur.

§. XXI.

Auctoritas  
Decretalium,

*Decretales* Pontificum *Epistolae*, non solum *Episcopi* in suis *Dioecesibus* introduxerunt; sed & ipsi Germaniae *Principes*, illas in pretio habuerunt, propter

- 
- q) B. THOMASIVS *cit. l. c. XXI. §. 16. sequ.*  
 r) ARNOLDVS Lubecensis *Lib. III. cap. 10.*  
 s) FR. DV ROY *instit. iur. can. in proëm. §. 6.*  
 t) CONRING *antiqu. Acad. dissert. I.*  
 u) HEINECCIUS *antiqu. Goslar. Lib. II. pag. 253. conf.*  
 IO. ANDR. SCHMID, *de triumuir. Halberstad.*  
 x) GOLDASTVS in *Reichs-Sagungen Part. II. cap. 15.* CONRING *de orig. iur. Germ. cap. 26.*  
 LEHMANN *chron. Spirens. Lib. V. cap. 108.*  
 y) III. BOEHMER *iur. eccl. Prot. Lib. I. Tit. 2. §. 37.*

## De Origine & fatis Legum ecclesiast.

pter imaginariam pietatem & aequitatem. z) Ple-  
raque Pontificum decisiones, e *Glossa* iuris ciuili  
erant desumptae, hanc vero ceu *idolum* omnes ex-  
osculabantur. a) Hinc tradita Pontificis, vbiq-  
grata erant & accepta. Ipsae *Academiae*, vnde tan-  
quam ex equo Troiano quotidie prodirent noui  
satellites, vsum pontificii iuris promouerunt, quip-  
pe quod semper principatum prae iure ciuili tenuit.  
Inde demum in *fora ciuilia penetravit*, cum iam an-  
tea in iudiciis Episcoporum, cum iure ciuili rece-  
ptum esset. Receperunt vero Episcopi illud in *sub-*  
*fidium*, & potestatem, leges ecclesiasticas pro exi-  
gentia suae ecclesiae ferendi, illibatam semper con-  
seruarunt. b) Sic itaque *ante Reformationem* in Ger-  
mania vt *ius commune*, ad quod in causis dubiis re-  
currendum sit, Decretum & Decretales obtinue-  
runt, & adhuc hodie, in terris sedi Romanae addi-  
tis, deficiente lege particulari, ad illud recurritur.

### §. XXII.

Tempus Reformationis exitium quidem mina-  
batur iuri canonico, cum ipse LV THERVS non  
solum illud exterminandum esse suaderet, sed &  
*rogo exstructo*, illud iniiceret, atque cum Bulla Pon-  
tificis aliisque aduersariorum scriptis combure-  
ret. c) Verum intercessere I Cti, de sua salute sic agi  
putantes, atque sic in causa fuerunt, quo minus *Re-*  
*formatio ad iurisprudentiam* pertingere potuerit: d)  
Prodiere quidem nonnullae *ecclesiasticae ordinatio-*  
*nes*, sed vnice fere circa *ceremonias* adornandas oc-  
cupatae, nec ad iuris ecclesiastici materias exspatia-  
bantur.\* Hinc in decidendis causis Iureconsulti  
traditis iuris canonici vbiq-ue institerunt. e) Flo-  
ruit iuris Pontificii praxis vbiq-ue & Wittebergen-  
ses

Fata iuris  
canonici  
tempore  
Reforma-  
tionis.

*Non solum in  
Florentia & Camera Imperii*

z) III. BOEHMER *iur. eccl. Prot. L. I. Tit. 2. § 35. seq.*  
 a) GAILIVS *L. I. obs. 153.* CARPZOV *L. V. resp. 89. nr. 3. seq.*  
 b) III. BOEHMER *cit. l. §. 46. seq.*  
 c) SECKENDORFF *Hist. Luth. L. I. cap. 72.* MATTHESIUS  
*in vit. Luth.*  
 d) III. BOEHMER *cit. l. §. 59. & 60.*  
 e) IDEM *ibid. §. 61.*

## Dissertatio Proœmialis.

ses Icti, prae reliquis, illud ceu Palladium iuris-prudentiae propugnarunt, f) adeoque conclusio- nibus illius, etiam tunc, vbi Protestantium dogma- ta alia principia suggererent, tenaciter inhaeserunt ad vnum omnes, g) ita quidem, vt quandoque cum dictamine rectae rationis subsistere nequeant eorum dogmata. Hoc licet paulo durius dictum videri pos- sit, ex ipsis quæ adornaui, Elementis, passim elucefcet.

\* Nostra etiam HILDESIA ordinationem ecclesiasticam, quum ad sacra euangelica transfiret, adornandam eu- rauerit. Tesseram opusculum hodiernum exhibet, *iuris circa sacra*, iam tunc plenarie occupati, Titulus est: *Christliche Kercken Ordninge, der lösslichen Stadt Hildensem, mit einer Börtrede Antonii Coruini*. Si- stit statim doctrinam euangelicam, de vero euangelio, bonis operibus, sacramentis, precibus, patientia, con- iugio, delictis carnis, Magistratu, lectione bibliorum aliorumque librorum. Dehinc de ministris ecclesiae, custodibus seu hierophylacibus, Organici, scholis, templis, ceremoniis, cultu diuino, sermonibus ad po- pulum habendis, feriis, confessione & absolutione aegrotorum visitatione, nuptiis, imaginibus, excom- municatione, condemnatis ad mortem, sepultura, ob- stetricibus, examine & ordinatione candidatorum ministerii. In secunda parte, circa scholae ordinatio- nem est sollicitus; in tertia oblationes, aerarii que ecclesiastici administrationem exponit, denique de hospitalibus causisque matrimonialibus quaedam admiscet. Prodiit haec ordinatio Hannouerae Ao. MDXLIV. Duro quandoque vitur stilo CORVINVS, sed tali, qualis tunc temporis inter illos obtinuit, qui relicta monastica disciplina, ad euangelicam verita- tem accesserunt. Sane hodiernum monasteria occu- rant, vbi ciuilitas morum cum stilo urbano & polito, inter pia desideria collocari debet. Tunc maxime hoc contingit, vbi praelatus rusticitatem in pfectio ha- bet, ad cuius exemplum & monachi vitam compo- nere solent.

### §. XXIII.

Variae opi- Quum vero Icti animaduertent, non vbique ita niones de comparata esse nostra instituta, vt per omnia tradita vsu iur. can. iuris can. cum illis conspirarent, de vsu illius ad certa int. Protest. capi-

f) HIER. SCHVRFIVS *cont. I. concl. 71.* HENNING A GOEDDEN. *conf. 8.* SCHNEIDEWIN *ad inst. Tit. de nupt.*

g) B. THOMASIVS *caus. circ. pract. iur. eccl. cap. XXII. §. 5. sq.*

## De Origine & fatis Legum ecclesiast.

*capita* reducendo, cogitarunt. *b*) Alii vero quum viderent hanc inclusionem, praxeos in capita, incongruam esse, certis *regulis* praxin determinare voverunt. *i*) In Scyllam vero & hi inciderunt, dum in eo essent vt euitarent Charybdim. Obtinuit sane ante Reformationem ceu *ius subsidiarium commune*: restrictio vsus ad certa capita facti est, adeoque probari debet. Ipsa praxis ostendit, nec vsum ad certa capita restrictum fuisse, nec regulis includi posse.

### §. XXIV.

Recte, vt opinor, calculum ita subducendum est. Nostra sententia. se monuit III. BOEHMERVS, quem semper honoris causa nomino, *generaliter* olim ius canonicum in Germania *obtinuisset*, & post Reformationem, *generaliter retentum* fuisse: alicubi tamen per *ordinationes* ecclesiasticas, hinc inde promulgatas, *mutationem* aliquam *subiisset*. Nam etiam inter Pontificios illud quandoque mutationem pati, in confesso est. Hinc ad certa capita aut regulas, quam viam olim ingressi sunt Doctores, vsus huius iuris restringi nequit. Ita potius ratio ineunda est, vt *non in totum iuris canonici decisiones recipiamus*, quippe quod auctoritate authenticae, quam inter Protestantes consequuta est, refragatur: *nec tamen temere decisiones illius sequamur*, quia in multis ab illis recessum est, aut recedendum adhuc erit. Hoc vt fiat, I. *Conceptus* genuinus de *statu ecclesiae* est formandus, vt iuxta illius indolem iura aestimentur. II. Examinandae sunt *rationes decisionum* iuris canonici, & *cum statu nostrarum ecclesiarum* conferendae, vbi enim *principiis* nuntium misimus, tunc sane & *conclusiones*, ex principio hoc propullulantes, repudiandae sunt. III. Vbi ad *observantiam* prouocatur, circumspectendum: *vtrum constans, euidens & vniuersalis* sit. *k*)

b 3

§. XXV.

*b*) RHETIVS de auct. iur. can. in. A. C. conf. RITTERSHVSIVS in prol. diff. iur. ciu. & can. STRVVIVS exerc. iur. XI. §. 39.

*s*) RITTERSHVSIVS, cit. l.

*k*) Hanc *mediam viam*, calcandam proposuit, III. BOEHMER, in *diff. praesl. ad Schiltneri inst. iur. can.* Edit, MDCCXIII.

## Dissertatio Proœcialis.

§. XXV.

subsidia ad  
iurispr. ec-  
clesiæ Protest.

Multum, ne ab hac via aberremus, vtilitatis ad-  
ferre Historiam ecclesiasticam, talem potissimum,  
quae in enarrandis fatis disciplinae & ceremonia-  
rum, adeoque originibus, progressibus & mutatio-  
nibus institutorum ecclesiasticorum occupata est,  
nemo inficias ibit. Egregia hanc in rem proflare  
opera eruditissimorum virorum, Gallorum maxi-  
me, & Anglorum: illi saltem ignorant, quibus Po-  
lymathia incognita est. Iustum vero systema, quod  
fata & variationes per secula iusto ordine enarraret,  
tale potissimum, quod illis, qui in studio ecclesiasti-  
ci iuris plus vulgo sapere volunt, inferuaret, quan-  
tum ego scio, nondum prodiit. Hinc iam olim in  
eo fui, vt in gratiam mei auditorii, quam adhuc in  
alma Salana iura canonica & ecclesiastica docerem,  
tale systema concinnarem. Euocatio vero ad aliam  
spartam, remoras iniecit. Sicuti vero vbi conflictus  
& strepitus forenses, quibus nunc circumseptus  
sum, nonnihil quiescunt, ad Musas redire, mentem-  
que lassam in tali consortio recreare soleo; hinc  
periculum feci, numne qui auditoribus consecran-  
dus labor esset, in gratiam iuris studiosorum prodi-  
re posset. Officii autem rationes quum non tantum  
temporis indulgant, vt integrum systema mox pro-  
dire possit, per partes & seculorum seriem, succes-  
sive prodibit, sub rubro: Versuch einer Kirchen-Hi-  
storie, so ferne solche als eine Einleitung zu gründ-  
licher Erlernung der geistlichen Rechts-Gelahr-  
heit dienen kan. Quid in hoc conatu praestiterim;  
ex Historia seculi primi, quae nundinis autumnali-  
bus Lipsiensibus in bibliopoliis prostrabit, pruden-  
tes rerum aestimatores iudicabunt.

§. XXVI.

Obseruatio  
de colle-  
ctionibus  
concilio-  
rum.

Concilia quidem ea potissimum de caussa fuere  
coacta, vt doctrinam & fidei articulos determina-  
rent; verum varia etiam ad disciplinam & regimen  
ecclesiasticum, moresque respicientia, definierunt.  
Hinc cateruatim eruditi collectiones conciliorum  
& generalium & particularium ediderunt: Alii  
sum-



## De Origine & fatis Legum ecclesiast.

summas & compendia conciliorum promulgarunt, qui labores egregiam vtilitatem iurisprudentiae ecclesiasticae adtulerunt. Generalium equidem conciliorum collectionum catalogum iam alii dederunt; 1) Non tamen alienum a scopo nostro erit, indicem collectionum eiusmodi hic addere. Primam adornauit IAC. MERLINVS, Gallus, cuius tres exstant editiones, puta prima duobus Tomis in folio, Lutetiae MDXXV. altera Coloniae, totidem Tomis in octauo, MDXXX. tertia iterum Lutetiae Parisiorum, in octauo MDXXXV. Altera collectio est PETRI CRABBII, Monachi ordinis S. Francisci, quae prodit Coloniae Agripinae Anno. MDXXXVIII. duobus Tomis in folio, sed Ao. MDLI. tertio Tomo aucta fuit. Tertia collectio debetur LAVRENT. SVRIO, qui Ao. MDLXVII Coloniae quatuor Tomis in folio eam promulgauit. Quartam pro stabilienda Pontificis auctoritate adornauit DOMINICVS NICOLINVS, simulque opera DOMINICI BOLLANI vsus est, Venetiis Anno MDLXXXVI. Quinta est, prima collectio BINII Ao. MDCVI. Coloniae. Sexta vero Romana, in quatuor Tomos distributa, cuius priores Ao. MDCVIII. posteriores duo autem Ao. MDCXII. in folio prodierunt. Collectiones Binianae secunda, quae Ao. MDCXVIII. & tertia, quae Ao. MDCXXXVI. adparuerunt, septimum & octauum locum occupant. Abhinc nona, Regia scilicet Parisiensis. Ao. MDCXLIV. voluminibus XXXVII. splendidissimis, exhibitae fuit. Decimam adornarunt LABBEVS & COSSARTVS Anno MDCLXXII. voluminibus XVII. quorum studia vndecima collectione excepit STEPH. BALZIVS, sed Tomus primus saltem prodit Parisiis Ao. MDCLXXXIII. Duodecimum inter collectores locum tenet celebris HARDVINVS, cuius labor sub titulo: *Collectionis maximae*

XII.

1) B. THOM. ITTIGIVS in *Act. erudit. Lips.* Ao. MDC. LXXXIV. pag. 348. seq. celeb. IO. ALB. FABRICIVS in *bibl. Graec. Tom. XI. pag. 113. seq.* SALMON *Traite de l'usage de concil.* Part. II. c. 2.

Diff. Procem. de orig. & fat. Leg. ecclesiast.

XII. voluminibus Parisiis Ao. MDCCXV. prodit.  
De nouissima COLETI collectione, alibi dicam *m*)  
§ XXVII.

Index Epi-  
tomatorum  
concilio-  
rum.

Praetereo collectiones conciliorum Particularium; & in eorum gratiam, qui vasta volumina sibi comparare nequeunt, paucis moneo, varia proflare opera variorum, qui omnium conciliorum *summas* *o*) elaborarunt. Hanc in classem referri debent BARTHOL. DE CARRANZA *summa conciliorum*, CASP. CONTARENVS, qui in breue quoddam corpus, seruato temporum ordine, conciliorum sanctiones redegit: FRANC. LONGVS A CORIO-LANO, *summa conciliorum omnium*, IO. PRIDEAVX *synopsi conciliorum*, DAM. ANGELOCRATORIS *Epitome conciliorum*: MARC. BATTAGLINI *Istoria vniuersale de concili*. HERMANTII & RICHERII *Histor. concilior*. VAN ESPEN *trat. Histor. de codic. & collectionibus*: POISSONII *delect. Actor. eccles. vniuersal*. CABASSVTII *notitia concil*. RVELLII & HARTMANNI *Concil. illustrata*, ANONYMI *analysis, seu idea generalis conciliorum*. Taceo eos scriptores, qui aliquot concilia generalia, in compendio exhibuerunt, puta AVGVSTINVM PATRICIVM, CONR. RITTERSHVSIVM, ABR. SCVLTTETVM, IOACH. CAMERARIVM; vel & generalia & particularia nonnulla concilia in Epitomen redigerunt, in quo studio laudem consequuti sunt FR. IO. LE MAIRE, GESNERVS, CHRIST. LVPVS; vel denique particularium conciliorum huius vel illius prouinciae epitomatores exstiterunt, quorum, quantum ad Spaniam AIGVIRRIVS, Mediolanum CORTVS, Galliam LAVR. BOVCHEL, suam industriam exercuerunt. Fruere his Lector beneuole, & sicubi me errantem deprehendis, comiter in regiam viam reducere ne dedigneris precor! Dab. Hildesiac 10. Cal. Maii Ao. MDCCXXXV.

*m*) vid. Elementor. § CIV. \*



ELEMENTORVM  
IVRIS CANONICI  
ET PROTESTANTIVM EC-  
CLESIASTICI  
LIB. I.

DE  
CONCEPTV ECCLESIAE, STATV  
ILLIVS, IVRISPRVDENTIA ECCLE-  
SIASTICA ET PERSONIS EC-  
CLESIASTICIS.

TIT. I.

DE  
CONCEPTV ECCLESIAE VARIO.

V

§. I.

Ox ecclesiae, origine Graeca, de-  
scendit ἀπὸ τῆ ἐκκαλέν, euocan. vocis ecclesiae etymologia.

*euocatio*, \* abhinc *conuentum plurium hominum*  
denotare coepit. Quum vero varius vocis  
sit significatus; haud incongruum erit ante

A omnia

omnia indagare: quo sensu apud Pontificios, in sacra scriptura, inter Protestantes, & denique iuxta Leges & pacta conuenta Germaniae nostrae, adhiberi soleat?

\* Vfus huiusmodi euocationis potissimum in democratiis obtinuit, & Atheniensibus nates adscribunt eruditi. PVFFENDORFF *de habit. relig. §. 30.*

TIT. I. MEMBR. I.  
DE NOTIONE ECCLESIAE IVXTA  
DOGMA TA PONTIFICIORVM.

§. II.

Doctrina  
Pontificio-  
rum de ec-  
clesia.

Definitio  
ecclesiae ex  
eorum  
mente.

Pontificii Doctores, instar *Reipublicae* considerant ecclesiam, et vbi illam *vnam & catholicam* dicunt, eo ipso innuunt, eam desiderare *caput vniuersale*, \* sub quo Episcopi & Praelati reliqui, *particulares ecclesias* regerent, vtpote in partem sollicitudinis vocati, non in plenitudinem potestatis. Inde & *monarchicam* formam ecclesiae tribuunt, quam tamen Galli, & qui Episcopismo fauent, *Aristocratia* temperandam esse censent. a) Pontificiis itaque est ecclesia: *Respublica siue Monarchica, siue Aristocratia quadam temperata, a Republica civili distincta, vbi regnat Pontifex, & in partem sollicitudinis reliquos Episcopos*

a) vid. MARC. ANT. DE DOMINIS *de Republ. eccl.* PETR. DE MARCA *de conc. sacerdot. & Imp.* EDMUND RICHERIVS *de eccl. & polit. potest.* add. Auctores, qui *de libertate ecclesiae Gallicanae* scripserunt, & a ZORNIO collecti sunt.

pos & Praelatos vocat, quorum imperium eate-  
nus subordinatum est: Laici vero absolute pa-  
rent, ut sic salus ecclesiae promoueat. b)

\* Hoc argumento Auctor, qui vitam Archi-Epi-  
scopi Cameracensis delineauit, se de veritate  
Pontificiae religionis conuictum, adeoque ad  
deferenda Protestantium castra, permotum  
fatur. vid. *Hist. de la vie de Msgr. François de  
Salignac de la Motte Fenelon, Archeuesque Duc  
de Cambrai pag. 112. seqq.*

### §. III.

In hac descriptione latent sequentes pro-  
positiones: I. Vna est ecclesia catholica, et. Assomata  
inde deducta  
iam visibilis & externa. II. Huic competit  
potestas summa & independens. III. Sub  
hac summa potestate regnant varii mino-  
res magistratus. IV. Omnes laici eccle-  
sisticae potestati sunt subiecti.

### §. IV.

Ex prima propositione inferunt: 1) Ec-  
clesiam aequè vnum constituere corpus, ac in Confectaria  
ex primo  
regimine ciuili, plures prouinciae vnicum  
regnum aut principatum efficiant: adeoque  
2) particulares ecclesias esse saltem mem-  
bra vnus corporis: sicque 3) vnicum in  
ecclesia dari *Episcopatum oecumenicum*, &  
4) reliquis Episcopis & Praelatis duntaxat  
*portionem gregis*, dependenter traditam ef-  
se. c) 5) Vnum summum imperantem, ad *schis-  
mata* tollenda desiderari; \* & 6) Christum

A 2

hunc

b) conf. c. 6. x. de maior. & obed.

w) PETR. DE MARCA cit. Lib. VI. cap. 11

hunc potentatum Apostolis, primario vero Petro dedisse, hunc vero illum in Romanum Pontificem contulisse. d) 7) Hos esse saltem ciues vniuersalis Reipublicae ecclesiasticae, qui capiti fideliter adhaerent, & dogmata eius sequuntur; sed 8) alienos a capite, a compage totius corporis auulsos, in peregrinitatem redigi. e) 9) Ecclesiam catholicam, per imperii prouincias quidem dispersam, sed de imperio non esse, verum vni tantum Episcopo subiacere.

\* Olim plures Presbyteri in qualibet ecclesia collegium quoddam constituerunt, vbi ex natura collegiorum vni prima sedes collata fuit. Vt hac ratione reliqui Presbyteri eo melius in officio continerentur, cum praerogatiua praesidens auctoritatem quandam consequutus est. Quum vero praecminentiam suam in dominatum conuerterent; ad semina discordiarum euertenda, plures Episcopi, vni Archiepiscopo vel Patriarchae subiecti fuerunt. Cum etiam hi primatum affectarent, Romanus cristas erexit, & factum est, vt supremus omnium Episcopus agnosceretur.

### §. V.

Confectaria  
ex secundo.

Ex secundo principio colligunt: 1) *Libera* esse Rempublicam ecclesiasticam, totaliter exemptam & *independentem* a Republica ciuili, \* quum 2) duo in mundo sint gladii, spiritualis & temporalis. Imo 3) vbi Respublica politica ad Christum accedat, ita

d) PETR. DE MARCA *cit. l. Lib. V. cap. 27. §. 3. add. Lib. I. cap. 2. §. 4.*

e) IDEM *ibid. Lib. I. cap. 2. §. 5. seq.*

ita iungatur Reipublicae ecclesiasticae, ut ex utraque una coalescat, in qua duo Praefecti, unus in *spiritualibus*, alter in *temporalibus*. f) aut 4) temporalem, spirituali quodammodo esse *subordinatum*. \*\* g) 5) Summam ecclesiasticam potestatem, aequae ut civilem, in sollicitudinis partem alios vocare, & hinc 6) uti in Republica civili, ita & in ecclesiastica *subordinationem* requiri, adeoque varios *magistratus* ecclesiasticos desiderari.

\* Ita argumentatur clerus pontificius, ubi illi cum Principibus res est. Quandoque ipsi clerici inter se de libertate concertant, & tunc illam collocant in *independentia* & exemptione *ab alterius imperio*. Imo quando ausibus papalibus se opponunt, libertatem in eo collocant, ut *absolutum* Pontificis *dominatum* impugnent. Vid. Scriptores *de libert. Eccles. Gallic* collecti a PETRO ZORNIO. SCHILTER *de libert. Eccles. German.* De vera libertate, nunquam cogitat.

x Ecclesia sui quatenus univ. sum datum denotat.

\*\* Hinc per omnia tempora contentiones fuere inter imperium & sacerdotium. conf. CHRIST. THOMASII *Hist. cont. int. Imp. & sacerdot.* Hinc varia prodire scripta, quae utramque potestatem in certos limites deducere voluerunt; quorum illa etiam pertinent, quae *not. a)* adduxi. His iungi debent RENAT. CHOPPINVS *de sacr. Polit. Forensi*, & ex Protestantibus IO. WOLFG. IAEGER *de conc. imp. & sacerdot.* Hic quidem saniora principia passim fouet; aut de

A 3

statu

f) PETR. DE MARCA *cit. l. Lib. II. cap. 1. §. 2.*

g) STEPH. BALVIVS *ad Petr. de Marca Lib. II. cap. 3.* ubi Bullam Bonifacii VIII. exhibet.

statu ecclesiae, genuinum conceptum non habuit. PHIL. IAC. HARTMANNVS *de reb. Christ. sub Apost.* ex ecclesia separatam Rempublicam facit, & sic fere cum Pontificiis conspirat.

## §. VI.

Confectaria  
ex tertio.

Ex tertio axiome deducunt: 1) Summam potestatem tenere *Christi vicarium*, Pontificem Romanum; Episcoporum vero reliquorum auctoritatem vel 2) a Pontificis *delegatione* dependere; vel, si 3) a Christo deriuanda foret, tamen ad *particulares*, quibus praesunt. *ecclesias*, restringendam esse. Imo 4) Pontificem Episcoporum potestatem *modificare*, & quaedam ad sua *reseruata* trahere posse. 5) Episcopos ad vniuersalis & catholicae ecclesiae regimen, eatenus saltem concurrere, quatenus Pontifex eos in *partem sollicitudinis* vocaret, adeoque 6) ab eorum decisibus *recursum* ad Pontificem, semper in mundo esse. b)

## §. VII.

Confectaria  
ex quarto.

Ex quarto denique colligunt: 1) omnes clericos & pastores, *magistratus ecclesiasticos*; & 2) omnes Laicos etiam Reges & Principes ouium & *subditorum* loco esse. 3) Ouium generalem curam Petro & eius in sede successoribus relictam fuisse, cuius proinde voci, per omnia obedire debeant. 4) Proinde 4) incumbere Principibus, tueri ecclesiae

b) Conf. hic Auctores de monarchia sacra, qui exstant in *Biblioth. max. Pontificia*.

i) PETR. DE MARCA *cit. l. Lib. II. cap. 4. §. 2.*



siae auctoritatem, *k*) & potestati ecclesiasticae *brachium* suum saltem commodare, iusque promte exsequi. *5*) Hinc teneri Principes, vindices se praestare, vbi quid contra canones & praecepta ecclesiae suscipitur: *l*) nec *6*) eos pollere facultate, leges contra canones ferendi; *m*) aut *7*) prouincias ecclesiasticas mutandi, *n*) & quae sunt alia; quum plebis in hac Republica, nulla plane habeatur ratio. \*

\* Ita cohaeret structura Reipublicae ecclesiasticae, ex mente Pontificiorum. In horum castris etiam illi Protestantium militant, qui *separatum statum* ex ecclesia faciunt: de *forma regiminis* disputant: inter *interna & externa, spirituales & temporales* potestatem distinguunt: *repraesentatiuam* quandam ecclesiam somniant: *Clericorum & laicorum* differentiam propugnant: *ministerium ecclesiasticum* e iure diuino reperunt, & quandam gubernationem potestatiuam illi vindicant. Ex multis paucos nominabo, puta GISB. VOETIVM *de Polit. eccl.* IO. BEN. CARPZOVIVM *diff. de iure decid. contr. theol.* PHIL. IAC. HARTMANNVM *cit l.* AVCTORES collectos ab AHASV. FRITSCHIO *in iur. eccles. GVIL. APOLLONIVM in iur. maiest. circ. sacr.* RANGONEM *in prudent. circ. error. ac haeres.* Sed eiusmodi naenias mox profligabo.

A 4

Tit. I.

*k*) PETR. DE MARCA *cit. l. Lib. I. cap. 12. §. 1. Lib. II. cap. 10. §. 1. seqq.*

*l*) IDEM *ibid. L. II. c. 12. §. 9.*

*m*) IDEM *ibid. cap. 11. §. 6.*

*n*) IDEM *ibid. cap. 8. §. 1.*

TIT. I. MEMBR. II.  
DE VARIO SIGNIFICATV EGCLIE-  
SIAE EX TRADITIS S. SCRIP-  
TVRAE.

§. VIII.

Varius vo-  
cis ecclesiae  
significatus  
in sacris.

**S**Aepius in sacris vox *ecclesiae* occurrit ; sed nusquam in eo sensu, quo a Pontificiis adhibetur. In sacris enim modo denotat: 1) omnem in genere *hominum concionem*, etiam *seditionem*: o) modo 2) *Multitudinem credentium in Christum*, quatenus scilicet credentes fide in Christum vniti sunt, licet externa congregatio desit: p) modo 3) *Fideles quoscunque, certo in loco commorantes*, licet externam & separatam congregationem haud faciant: q) modo 4) *Fideles in vna domo degentes*, r) vtut peculiarem cœtum ab aliis distinctum non constituerint: modo 5) *coitiones Christianorum sacrorum causa institutas*. s) Hic vltimus significatus iurisprudentiam nostram potissimum occupat. Quum vero praedicata *ecclesiae*, quatenus vox pro *multitudine credentium in Christum*

o) Act XIX. 32. 39.

p) Matth. XVI. 18. Eph. V. 23. seqq. 32. Rom. XVI. 16.

q) Act. II. 47. IV. 32. V. 11. 14. VIII. 1. 3. IX. 31. I. Cor. VI. 4.

r) Rom. XVI. 5. I. Cor. XVI. 19. Philip. IV. 22. Colof. IV. 15.

s) conf. III. BOEHMER *iur. eccl. antiq. diff.* VIII §. 8. seq.

flum sumitur, a Pontificiis aequae ac illis protestantibus, qui minus caute eorum dogmata sequuntur, his conditionibus tribui soleant; de vera & catholica ecclesia, quaedam praemittenda erunt.

## §. IX.

Vera & catholica ecclesia illa mihi est, quae sponsa Christi dici meretur. Ita sacra pagina illam definit, t) & per comparationem cum sponso & sponsa, intimiorem coniunctionem & unionem Christi, cum ecclesia innuit. u)

Quae ecclesia vera & catholica?

## §. X.

Inde non potest non fluere: Vera ecclesia ex illis conflat, qui verae religioni sunt addicti. Hoc principium nemo, ut opinor, in dubium vocabit.

Axioma in de deducitur. Veram ecclesiam conflat, qui verae religioni sunt addicti.

## §. XI.

Veram autem religionem illi demum profitentur, qui eo laborant, ut rursus cum Deo uniantur, aeternam salutem consequantur.\*

Quid vera religio.

\* Veritatem itaque propositionum & dogmatum quorundam agnoscere; credere, quaedam vera esse; nequaquam arguit, me verae religioni addictum esse. Sane & diaboli veritatem agnoscunt, callentque fidei articulos; sed quis dicet: eos propterea verae religioni addictos esse? Vera religio hoc exigit: ut Deo viuamus in Christo Iesu. Rom. VI, 11.

## §. XII.

His suppositis recte infero, 1) veram ecclesiam ex eiusmodi saltem hominibus constitutam.

Confectaria inde deducta.

A 5 flatam

t) 2. Cor. XI. 2. Eph. V. 23. 32. Apoc. XXI. 9. 10.

u) Iob. XVII. 11. 21. 22. 23.

flatam esse, qui cum *Deo vnici* viuunt: 2) omnes reliquos esse *peregrinos*, licet nil nisi veritates cognoscerent, & omnis erroris theorectici expertes essent. 3) Nullam *externam societatem* sibi vindicare posse titulum verae ecclesiae, nisi maxima membrorum pars tales sistat animas, quae Deo viuunt, in Christo Iesu: Sed 4) talem ecclesiam, seu coetum externum nusquam existere: adeoque 5) *veram ecclesiam*, seu multitudinem hominum, quae Deo viuunt, in Christo Iesu, *inuisibilem*, & saltem *vnione inuisibili* cordium, congregatam esse: adeoque 6) nec *visibile caput*, nec *visibilem iudicem*, in rebus fidei habere posse: nec 7) vlli coetui visibili & externo, sacrorum causa congregato, praedicatum verae ecclesiae, *priuatiue* competere: nec 8) priuilegia a Christo ecclesiae, sponsae suae data, attribuenda fore; & hinc 9) nullum ex eiusmodi coetibus gloriari posse: se constituere fundamentum fidei, w) se esse erroris expertem: nec 10) dicere: extra suam communionem, non dari salutem, vel se tantum tenere veram religionem.\*\*

\* *Inuisibile* esse corpus verae ecclesiae, ex thesibus sequitur. Hinc cum membra eius non possint non esse dispersa, nec mundus ea cognoscat; 1. *Iob. III. 1.* qua ratione *visibile caput* praeesse possit? non comprehendo. Imo vera ecclesia non indiget eiusmodi capite aut iudice. Omnia enim quae salutem aeternam concernunt, & ad illam nos ducunt, ex *Scripturis* ab omnibus, qui Christo manus dant

w) vid. 1. *Tim. III. 15.*

dant, cognosci possunt. Quae ad hanc salutem non conducunt, de illis veri Christiani cum nemine contendunt, sed dissentientes *anice tolerant*, nec propter dissensum pacis & amoris vinculum rumpunt. Quid itaque opus est iudice?

\* Interim quaelibet externa congregatio, quodlibet membrum illius, eo intendere potest *luc. de* <sup>quin vel debet</sup> certos, quo *purissimas doctrinas* ab erroribus purgatas, teneat, simulque remedia conuenientiora, ad veram religionem consequendam, inueniat.

### §. XIII.

Quatenus vero vox ecclesiae, *coitiones Christianorum sacrorum caussa*, denotat, *Indoles visibilis ecclesiae generatim delinens.* (§. VIII. §) non potest non fieri, vt vna ecclesia altera sit *purior*. Quo magis enim instituta eiusmodi congregationis eo tendunt, vt *vera religio* (§. XI.) promoueatur; *tanto purior* est ecclesia. Vinculum vero, quo ligantur tales congregationes, est: *sponsantanea unio, facta ad praecedentem conuersionem, & ad probationem communis finis*. Sic itaque externae ecclesiae induunt naturam omnium licitorum *collegiorum*, ad certum finem obtinendum, congregatorum. (vid. §. XXII.)

### §. XIV.

Quum autem vera ecclesia ex illis conflata sit, qui veram religionem profitentur; (§. X.) & vera religio in eo posita sit, vt cum Deo vniti, aeternae salutis participes fiamus; (§. XI.) sequitur, vt *finis ecclesiarum nullus alius esse queat, quam: procurrere* <sup>Finis ecclesiarum.</sup> ~~intendendum~~ *rare*

*rare aeternam salutem cuiuslibet membri ecclesiae.* Hunc vero finem omnes intendunt, saltem intendere debent, qui externo cœtui, sacrorum causa congregato, se addicunt.

## §. XV.

Postulatum.

Haec cum ita sint, postulo concedi: *salutem aeternam, per coactiua media, obtineri non posse.* \*

\* Aeterna salus, sine *animi interna emendatione & vnione* voluntatis propriae, cum *voluntate diuina*, obtineri nequit. Talis vero emendatio & vnio, omnia *coactiua* remedia respuit.

## §. XVI.

Axioma.

Inde hoc resultat axioma: Ecclesia, etiam externa, est libera societas, omnis coactionis & vis plane expers: puta in illis, quae finem ecclesiarum (§. XIV.) concernunt.

## §. XVII.

Confectaria.

Exinde merito infero: 1) omnis ecclesia nec ad sui conseruationem, nec ad propagationem, aliis remediis indiget, quam quae DEVS in ecclesia colligenda & instituenda adhibuit. 2) Omne ecclesiae membrum, exceptis illis, quae *ordinem externum* concernunt, (vid. §. LIV. 5.) *libertate* gaudet: & sic 3) vbi nouae ecclesiae colliguntur, antiquioribus in illas nulla competit superioritas, sed 4) nouae eiusmodi ecclesiae, separata & *libera* sunt *corpora moralia*, \* adeoque 5) & *ordinem externum* talem eligere possunt, quem *fini* proposito conformem pu-

putant, nec 6) indigent *supremo interprete* scripturae, aut 7) *iudice* quodam vniuersali & oecumenico. x)

\* Contrarium neque ex doctrina, neque ex praxi Apostolorum colligi potest. Imo nec concilia, quæ ab Apostolis congregata fuisse dicuntur, aliud euincunt. Nam vbi in locum Iudae Apostolus esset surrogandus, ex beneplacito *totius ecclesiae*, sorti res commissa fuit. *Act. I. 15. ad 26.* Electio Diaconorum, a *tota Ecclesia* peracta fuit. *Act. VI. 1. ad 6.* In dirimenda quæstione, de obseruatione legis, *tota Hierosolymitana ecclesia* congregata fuit & sic saltem Antiochenam ecclesiam de dogmate, & quid facto opus esset, instituit. Nullum autem huic ecclesiae praescripsit ordinem, tantum abest, vt imperium in eam exercuerit. *Act. XV. add. Act. XXI. 18. ad 22.* Nec imperium colligi potest ex doctrina Christi *Matth. XVIII. 15. ad 18.* nec ex aliis scripturae locis.

### TIT. I. MEMBR. III.

## DE CONCEPTU ECCLESIAE IVXTA GENVINA PRINCIPIA PRO- TESTANTIVM.

### §. XVIII.

Vox ecclesiae, quatenus coitiones Christi- Ecclesiae  
stianorum, sacrorum causa, denotat, definitio  
genuina.  
(§. VIII. 5.)

x) doctrinas hactenus propositas, ex instituto enucleauit Auctor tractatus: von der wahren Religion und Kirche, was und wo sie sey? Nonnulli putant, liberum Baronem DE METTERNICH, olim Sereniss. Marchionum

(§. VIII. §) id innuit, constituere ecclesiam *societatem* quandam *externam*. Nam & illis, qui in Christo Iesu, in fide & Spiritu uniti sunt, sicque *inuiscibilem* cordium *unionem* inter se alunt (§. XII. §) non potest non *uisibilis unio* & congregatio oriri. Hinc iuxta genuina Protestantium dogmata, ita definienda erit, quod sit: *Societas aequalis \* ad colendum Deum, secundum doctrinam a Christo traditam unita, & ordine conueniente colligata.*

\* Duplicis generis sunt societates, vel *aequales*, vel *inaequales*. Illae imperii omnis sunt expertes, & *simplici* coeuntium *pacto* eoque vel expresso, vel tacito, innituntur; hae vero *ordinem imperandi & parendi* inducunt. *Aequalem* vero *societatem* constituere ecclesiam, mox demonstrabo. (§. XIX. \*)

### §. XIX.

Axiomata  
inde de-  
ducta.

Hinc fluunt axiomata: I. Ecclesia denotat uniuersum coetum. II. Est quidem societas externa, sed aequalis. \* III. Constituit collegium in Republica. IV. Non intendit commercium aliquod ciuile, sed salutem animarum (§. XIV.) V. Vti societas omnis, ex bonis & improbis constat. VI. Occurrunt in ea Doctores & auditores.

\* Ipsa sane vox ecclesiae, non *status* quandam *politicum*, sed multitudinem quamcunque denota-

---

num Brandenb. ad comitia Imperii Legatum, postea Sereniss. Princip. Schwartzburg. Rudolstadt. primarium status administrum, hoc opusculum concinnasse; sed nil certi de super definitio,



notare solet, (§. VIII. 1.) add. VITRINGA de *syn. Veter. Lib. I. part. 1. cap. 1.* adeoque & multitudinem fidelium disperforum, (§. VIII. 2.) quae congregari in vnum nequit. Sicuti vero multitudo dispersa inter se imperium exercere non potest, & tamen ecclesia dicitur; ita ubi facultate coeundi gaudet, alium statum non induit, sed illum quem antea habuit, retinet, (conf. §. XVI.) adeoque ex tali coitione euadit *societas externa aequalis*. Nam nec Christus venit, vt ecclesiasticam Rempublicam adornaret, sed vt homines saluaret. Regnum eius non fuit de hoc mundo, *Matth. XVIII. 1. Marc. IX. 34. Luc. IX. 46.* adeoque nec voluit, vt ecclesiae Reipublicae formam induerent. Ipsa praxis Apostolica hoc confirmat, quae ostendit, omnem multitudinem concurrisse ad negotia, in communi expedienda (§. XVII. \*) id quod notam societatis aequalis infert. Denique praxis primitivae ecclesiae, hanc assertionem corroborat. vid. CYPRIANVS *epist. 67.* BLONDELLVS *de iur. pleb. in regim. eccl. III.* BOEHMER *iur. eccl. Prot. Lib. I. tit. 33. §. 13. seq.*

## §. XX.

Quum itaque ecclesia denotet *uniuersum coetum*; (§. XIX. 1.) merito exinde infertur: 1) errare eos, qui per ecclesiam tantum *Clericum, Presbyterium, Episcopos*, \* intelligunt: 2) vel 2) qui ecclesiam quandam *repraesentatiuam* somniant, & sic *conciliorum* auctoritatem propugnare volunt: nec non 3) qui *templis* hoc nomen tribuunt: & 4) insigniter fallere, qui ecclesiae externae, de qua loqui-

Ecclesia denotat uniuersum coetum.

Et papatum non esse  
vnde gaudet  
§. 5 17.

1) vid. CAMPEO, VITRINGA *de synag. veter. Lib. I. Part. 1. cap. 2.*

loquimur, illa praedicata tribuunt, quae scriptura ecclesiae *per excellentiam* ita dictae, seu *uniuersitati fidelium* (§. IX. seqq.) vindicat, v.g. quod sit *domus DEI*, quod *portae inferorum contra illam nihil praeualere possint*, & sic porro.

\* Iam seculo III. ita corrupta fuit ecclesiae notio, quod vel CYPRIANI scripta docent, qui ecclesiam fere *vnice in Episcopo* constituit, quod ipsum Romanenses strenue defendunt. (§. IV. 7. sq.)

### §. XXI.

Et imperii  
expers.

Quum porro ecclesia sit societas externa *aequalis*, (§. XIX. 2) consequens est, 1) eam non constituere *statum* aut speciem *Reipublicae*: 2) Eam quidem directione quadam indigere, vt ordo conferuetur, (§. LX. seq.) ita tamen *vt omne imperium*, quantum ad finem ecclesiarum, exsulet. (§. XIV. & LIV.) adeoque 3) nec *Doctoribus* quicquam, quod imperium sapit, competere, cum hi potius ab ecclesia dependeant: 4) si quae *pænae conuentionales* contra immorigeros obtineant, illas vnice pro fine habere *quietem externam*, non vero eo tendere, vt sic *interne* homines meliores euadant. (§. XV.)

### §. XXII.

Imitatur naturam collegiorum.

Quumque porro *collegium* constituat ecclesia, *in Republica*; (§. XIX. 3) sequitur sane, 1) vt reliquorum collegiorum qualitates

2) VLR. HUBERVS *de iur. ciuit. Lib. I. sect. 4. cap. 1. §. 36.*

2) Vt

in ea occurrant, (§. XIII.) eoque collineent omnia, vt *finis* propositus obtineri queat. 2) Vt in *paucioribus* personis consistere possit, a) (§. VIII. 4.) 3) vt ad *templa* alligata haud sit, (§. VIII. 3) 4) vt negotia ecclesiam respicientia, qua talia, a *tota ecclesia* iudicari debeant: 5) vt ecclesia iura sibi competentia vel per *singulos* exercere, vel *certis personis* ea demandare possit, quo facto iura illa quodammodo quidem *inaequalia* fiunt, quia inde certa *personarum distinctio* oritur; ita tamen, ut 6) propterea non exuat naturam collegii, ac ne quidem tunc, si vel *Princeps* ei accedat, licet 7) illo casu naturam *collegiorum ciuilium*, ita nanciscatur, ut *effectibus* corporum adprobatorum gaudeat; 8) vt, sicuti reliquis collegiis, praedicatum *libertatis* seu facultatis, de negotiis collegii libere disponendi, competat; ita & ecclesiis *libertas* tribuenda sit, maxime quia talia negotia in illa obueniunt, quae *conscientiam* tangunt, (§. XVI) 9) Esse ecclesiam, vt reliqua collegia, in *Republica*, neutiquam vero *Rempubicam* in ecclesia: neque tamen 10) suam subsistentiam a Republica habere, nec tolerantia aut adprobatione indigere. Denique facile sic reddideris rationem, cur 11) *Principi summa inspectio* & ius circa sacra, proprie sic dictum, denegari nequeat, (§. LXXIX. sq.) & 12) qua ratione ecclesia illos, qui semel

B

no-

a) Matth. XVIII, 20.



nomen societati dederunt, statutis vero se confirmare detrectant, e collegio eicere possit.

§. XXIII.

Quatenus purior doctrina in ea promoueri debeat.

Quia dehinc ecclesia non commercium ciuile, sed salutem animarum respicit; (§. XIX. 4.) recte inferre licet: 1) desiderari quidem hic *puritatem doctrinae*, (§. XII.\*\*) verum 2) hanc non sufficere, quia ad vnionem cum Christo, vnde salus dependet, (§. XI.) tunc demum ducimur, *vbi coelestis patris voluntatem facimus*, b) (add. §. XII.) 3) doctrinam eatenus determinari non posse, vt alii *conceptus* suos iuxta id, quod determinatum est, efforment: (§. LIV. 1.) multoque minus 4) *gladio & armis* determinatum obtundi & propagari debere, id quod vel ipsa *vox doctrinae*, quae omne imperium repudiat, innuit: c) nec 5) pietatis culturam, aliquam coactionem (§. XV.) admittere, quia tunc non pietas, sed *hypocrisis* est: denique 6) studium pietatis in *monopolium*, vt certis tantum personis competat, non minus conuerti, quam ex Theologia *opificium* clausum & determinatum fieri posse.

§. XXIV.

Visibilis ecclesia impuros admixtos habet.

Dum vero ex bonis & improbis conflata omnis sit externa ecclesia, (§. XIX. 5.) oritur inde 1) notabile discrimen inter *visibilem* & *inuisibilem* ecclesiam, cum haec *pura* sit; (§. XII.)

b) *Mattb. VII. 21.*

c) *conf. III. BOEHMER iur. Eccles. Protest. Tom. II. in diff. praelim. ibique citati Auctores.*

(§. XII.) illa admixtos habeat *impuros & hypocritas*. Porro consequens est 2) hos impuros non semper *excludi* & remoueri posse, cum alias ipsa ecclesia externa destruenda saepius foret: 3) *separationem* & transitum ad aliam ecclesiam, vbi deprauatis vbique ea, in qua viuo, repleta est, instituendam haud esse, quamdiu Deus in externo eiusmodi coetu recte coli possit. (conf. §. XII. \*\*)

## §. XXV.

Denique, quia ecclesia constat Doctoribus & auditoribus, (§. XIX. 6.) vides 1) erroneam esse diuisionem in *Lehr, Wehr, und Nehr-Stand*, licet quotidie, etiam ex publico suggestu, doceatur. \* 2) Quia Doctorum non est, imperare, (§. XXI. 3.) cessare sic omnem *politicum respectum*, adeoq; & 3) cessare debere omnes monstrosas diuisiones, *dominatum clericalem* producentes, quorsum merito refero 4) triticissimam illam in *clericos & laicos* (§. CLVII. \*) quia clerici proprie loquendo illi saltem sunt, qui *inuisibili ecclesiae* adhaerent: \*\* nec non 5) illam, vbi alii *spirituales*, alii *seculares*, *Geistliche und Weltliche* dicuntur, quia *spirituales* scriptura opponit *carnalibus*, quorsum multi pastores referendi sunt.

\* Ecclesia enim suam naturam non exiit, licet Princeps ei accedat: (§. XXII. 6.) nec Principes in ecclesia vt *magistratus*, sed vt *Christiani & auditores* considerantur. Conf. PVF. FENDORFF *de hab. relig. Christ.* §. 41.

B 2

\*\* Sunt,

\*\* Sunt, qui eatenus hanc diuisionem retinendam censent, quatenus nil aliud, quam distinctionem inter Doctores & auditores innueret. B. IO. FR. BVDDEVS *in præf. ad Binghamii orig. Tom. I.* verum cur nomen omnibus fidelibus commune, Vid. *Meine Kirchengeschichte sec. I. cap. II.* saltem *Doctoribus* tribuendum sit? ego non video. (§. CLII. \*)

TTT. I. MEMBR. IV.  
DE CONCEPTV ECCLESIAE, SECVNDVM PACTA CONVENTA ET LEGES GERMANICI IMPERII.

§. XXVI.

Origo mutati status ecclesiastici in Germania.

**F**Acta in Germania reformatione religionis Christianae, insignis quoque mutatio iurium inde orta est, secundum quam *Status ecclesiasticus* Imperii nostri diiudicare debet. Facta est hæc iurium ecclesiasticorum reformatio primitus quidem Anno MDLII. per *transaëtionem Passauensem*, & subsequutam Anno MDLV. *Pacem religiosam*; sed quia ne sic quidem mutua odia sopita essent, & Pontificii vulnus haud leue per Reformationem sibi inflictum putarent, nouae in dies ortae sunt lites, quæ tandem post initium Sec. XVII. in apertam eruperunt flammam, maxime cum motus Bohemici Imperatori animum adderent. *d)* Sed bellum hoc

*vid. Francisci Burkardi auctoria*

*d)* conf. CHRISTOPH. LEHMANN *in Act. pac. religios.*

hoc funestum peperit tandem *Pacem Westphalicam*, statui rei ecclesiasticae publico, ad modum salutarem & proficuum. \* Potiora itaque capita, quae statum ecclesiasticum publicum concernunt, ante omnia adducenda erunt.

\* Nam in Art. I. & VII. multa determinata fuerunt, quae antea in dubium vocata erant, quo ipso non potuere non plura iuris capita immutari. Ad illustranda loca dubia Instrumenti Pacis, plurimum faciunt Acta publica a Caesareo Legato VOLMARO collecta, & a CORTREIO edita. Nunc autem plena manu omnia, quae ad genuinum intellectum pacis Westphalicae conducunt, suppeditat Vir Generosissimus IO. GODOFR. A MEIERN fautor & amicus ætumatissimus, in *Actis pacis Westphalicae*.

## §. XXVII.

Ex quo vero ob reformationem, in imperio Germanico ingentes turbæ, maxime circa exercitium religionis, ortæ essent, tandem de reducenda pace cogitatum fuit. Ciuilis quidem pax primario dici debet; ast, quia potissimum circa ecclesiastica & religionis exercitium versatur, recte ecclesiastica & religiosa adpellatur. Consistit quippe: in cessatione omnis hostilitatis & vis, olim ob diversam religionis exercitium, aliorumque iurium ecclesiasticorum illatae, mutua conuentione per totum Imperium ita stabilita, ut omnis, exercitium religionis adprobatae cum annexis iuribus tranquille & secure, iuxta statum anni MDCXXIV. habere, & contra impediētes &

turbantes, legitimis remediis illud defendere possit. e) Tolerantiam quippe mutuam nec Pontificii, nec protestantes, olim agnoscere voluerunt, & hinc pax publica ecclesiastica, firmius vinculum ex pacto publico & transactione mutua accipere debuit. Sic prospectum fuit securitati, non solum integrarum provinciarum, sed & particularium ecclesiarum, imo singulorum.

§. XXVIII.

Capita praecipua statum ecclesiasticum concernentia.

Nam in hac pacificatione I. generaliter cautum est, vt omnis violentia & via facti, inter vtramque partem, perpetuo prohibita esse debeat; f) Ita quidem, vt neutra pars potentia ad alterum opprimendum abutatur: g) nec quis in libero religionis exercitio turbetur. b) II. vt eo firmior staret tolerantia, antea temere in dubium vocata, renunciatum fuit omni contradictioni, & protestationi, tam intra, quam extra Imperium. i) III. Singulis tranquillitas & securitas in exercitio religionis, possessione bonorum ecclesiasticorum, aliorumque iurium, promissa fuit. si vel maxime dissidium inter religiones dissentientes nunquam componi possit. k) IV. cassatae hinc sunt omnes exceptiones, cau-

Hec iuribus religionis exercitio anatais

e) conf. DECKHERR de pace civili relig. Germ. data.

f) Instr. Pac. Art. V. §. 1. in fin.

g) Ibid. Art. V. §. 8.

b) Ibid. Art. V. §. 36. in fin. add. §. 31. & 41.

i) Ibid. Art. V. §. 1.

k) Ibid. Art. V. §. 24. & §. 25. in fin.



cautumque ut ciues pacifice & comiter inuicem habitent. l) Propterea V. conuentum, ut turbati & quomocunque deiecti, sine vlla exceptione statim in eum statum sint restituendi, in quo Anno MDCXXIV. fuerunt.

m) Sic VI. etiam subditi, qui diuersam a Domino religionem amplectuntur, patienter tolerandi, si vel maxime publicum religionis exercitium illis non indulgeatur. n)

VII. Quum odia mutua ex religionis diuersitate orta essent, his quoque prospectum fuit, o) vnde etiam fuit, quod dissentientes a nominibus odiosis abstinere debeant, id quod etiam praxis Imperii obseruat. p)

Sic etiam VIII. prohibitum, ne quisquam publice, priuatimue, concionando, docendo, disputando, scribendo & consulendo, instrumentum pacis vsquam impugnet, aut assertiones, paci ita stabilitae contrarias, inde deducat. q) IX. Siquid dubii in causis religionem concernentibus emerferit, non aliter nisi amicabile compositione, vel in Comitibus, vel aliis imperii conuentibus, inter utriusque

B 4

reli-

l) Instr. Pac. Art. V. §. 2. & §. 29. in fin. & Art. XVII. §. 3.

m) Ibid. Art. V. §. 32.

n) Ibid. Art. V. §. 34.

o) Ibid. Art. V. §. 35.

p) vid. FABRI Staats-Cantley Tom. XIV. p. 253.

Tom. XXVI. pag. 728. 735. 737. Tom. XXXVI.

pag. 389. 516. Tom. XLVI. pag. 313.

q) Instr. Pac. Art. V. §. 50. quam varie hic peccent Pontificii vel ex VICKISCHII comm. ad

Instr. Pac. constare potest.

of hoc non solum in sacris sed et politicis cum multis in locis obmagnis grauius politicos sit mutata

pat eam non habuerunt in anno de rege non alios necessarios tolerandi sicut est in Electoratu Saxonico, Ducatu Wirtembergico

quia protestantes a catholicis non sunt nominandi acatholice

a) non tam prohibita una altera at hinc disputata diuersis hinc non prohibita non altera disputata tolerata

religionis proceres, res componenda est. r)  
 \* Tandem X. ad pacem hanc ecclesiasticam  
 conferuandam, varia *remedia*, tam ordinaria,  
 quam extraordinaria, competunt. \*\*

- \* Hodie vt plurimum in eiusmodi caussis con-  
 trouerfis ad *comitia* recurrere partes solent.  
 conf. HAPPEL. *diss. de recurs. ad Imp. Mai.*  
 vel *Comit. ap. Ill. DE LVDOLF. in iur. Cam.*
- \*\* Ad *extraordinaria* remedia pertinet *amica-*  
*bilis compositio*, & si haec non sufficiat, singulis  
 in Imperio permissum est, cum parte laesa *ar-*  
*ma* sumere, ad repellendam iniuriam illatam,  
 puta, si nec amicitiae, nec iuris via locum inue-  
 nerit. Instr. Pac. Art. XVII. §. 5. 6. Hinc &  
 alia remedia, speciem belli referentia, velut  
*arresta, repressaliae*, adhiberi possunt. Sub-  
 ditis a Principe turbatis integrum est, vt alio-  
 rum auxilia implorent, nam in causa religio-  
 nis singulariter permissum, alterius status *sub-*  
*ditos in tutelam* recipere. *Ordinaria* remedia  
 sunt, quae per implorationem *iudicis ordinarii*  
 expediuntur. Agi potest & *criminaliter*, &  
*ciuilitur*. Priori casu ad poenam fractae pacis,  
 non habita distinctione: vtrum laedens cle-  
 ricus sit an laicus? experitur. Instr. Pac. Art.  
 XVII. §. 4. Hoc vero remedio saltem *Status*  
*inter se* vtuntur, non vero subditi contra Prin-  
 cipem. Posteriori casu, agitur per *mandata*  
*sine Clausula*, & ita etiam subditi contra Prin-  
 cipem experiri possunt. Cessant hic austre-  
 galia iudicia, licet in actoris arbitrio sit, num  
 illis vti velit. conf. Art. XVII. §. 4.

### §. XXIX.

Securitas  
 religionis,  
 & publica  
 adprobatio.

Protestantibus, qui, iugo Pontificis  
 excusso, omnium odiis exponebantur,  
 de

r) Instr. Pac. Art. V. §. 50. in fin.

de *publica adprobatione* dogmatum cogitandum erat. Hanc tandem post varias turbas consequentibus, & primo quidem Euangelicorum religio adprobata fuit in transactione Passauiensi, deinde etiam Reformatorem sacris prospectum fuit. s) Sic itaque I. *tres in Imperio religiones adprobatae* adsunt, ita quidem, ut nulla alia in Imperio recipi & tolerari debeat. t) \* II. Iudicantur hae tres religiones ex suis *formulis*, seu *Confessionibus*, publice editis, & ita quae his se subscribunt, priuilegiis harum religionum fruuntur. \*\* III. Operatur haec publica adprobatio exactam *aequalitatem* inter utriusque religionis addictos, quousque illa conuentioni instrumenti pacis conformis esse potest. u) \*\*\* IV. Hinc competit *liberum religionis exercitium*, quatenus illud Anno MDCXXIV. obtinuit, cum omnibus annexis iuribus. w) Sic V. nemo ob religionem *despicatur* haberi, nec ab opificum aliorumque collegiis, nec ab hereditatibus, legatis, commerciiis aliisque iuribus, multo minus coemeteriis honoreque sepulturae arceri debet. x) † porro VI. singulis integrum est, *religionem mutare*, fama & honore illibatis. y) †† Inde VII. in ciuitatibus im-

B 5

me-

s) Instr. Pac. Art. VII. §. 1.

t) Ibid. Art. VII. §. 2.

u) Ibid. Art. V. §. 1.

w) Ibid. Art. V. §. 29. *in fin.*

x) Ibid. Art. V, §. 35.

y) Ibid. Art. V. §. 15.

mediatis & mixtis *mutuum est consortium adprobatarum religionum in publicis & priuatis caussis, imo etiam in regimine ciuitatum.* z) Haec aequalitas se se etiam exserit VIII. in *iuribus Imperii publicis*, ita vt capitula Ecclesiarum protestantium in comitiis voto & sessione gaudeant a)

\* Sed haec sanctio saltem de *publico religionis reprobatae exercitio* loquitur, non de personis peregrinis sacris addictis, quas vtique Princeps *tolerare potest.* (§. XLIII. 10. seq.)

\*\* Sufficit, si quis se subscribit *quoad litteram.* Si lites emergant circa quaestiones in inuariata Augustana confessione non decisas, potest quidem Princeps decernere, quænam opinio *publice doceri* debeat, non vero dissentientes a *consortio* Augustanae confessionis *excludere.*

\*\*\* Sic Episcopi Protestantes eadem *Prædria* gaudent, qua Catholici.

† Sic itaque intuitu adprobatarum religionum omnia iura, de *haereticis* disponentia, plane cessant.

†† Ita *exhereditatio*, ob mutationem religionis, locum non habet.

### §. XXX.

Vterior  
Declaratio.

Ad securitatem religionis pertinet: IX. ne quis alienos subditos, ad suam religionem pertrahere, eaque de causa in *protectionem* suscipere, aut alia ratione patrocinari debeat, nisi propter religionem publice adprobatam opprimantur (§. XXVIII. \*\*) b)

z) Instr. Pac. Art. V. §. 4. seq.

a) Ibid. Art. V §. 21.

\*\*b) X. Quod in negotio religionis status non absolute agere queant, sed ad *obseruationem status anni MDCXXIV.* adstricti sint. c) XI. Quod subditis, diuersam a Domino territorii religionem profitentibus, nihil imperari possit, quod *confessioni eorum, vel conscientiae,* repugnat. d) XII. Quod in *Deputationibus* imperii, & extraordinariis *commissionibus,* ratio sit habenda vtriusque religionis: e) XIII. Quod, quum religio conscientiam tangat, *uota maiora* hic non attendi debeant, f) sed XIV. *sola amicabile compositio,* ad dissidia religionis tollenda, locum sibi vindicet, (§. XXVIII. 9.) g) XV. Quod *pares numero* vtriusque religionis *Affessores* tam ad iudicium camerae, quam Aulicum praesentandi sint, b) ne scilicet ex zelo quodam religionis *indiscreto,* maiora, contra iuris rationem, fieri queant. \* XVI. Inde etiam Imperator, licet Sacris Romano-Catholicis sit addictus, non solum Romanae, sed & Protestantium ecclesiae, aequali ratione, *protectionem* praestare debet. i)

\* Sed

b) Infr. Pac. Art. V. §. 30.

c) Ibid. Art. V. §. 31.

d) Ibid. Art. V. §. 48.

e) Ibid. Art. V. §. 51.

f) Ibid. Art. V. §. 52.

g) Ibid. Art. V. §. 14. 25. in fin. 31. in fin. &amp; 52.

h) Ibid. Art. V. §. 53. &amp; 54.

i) vid. 10. CHRIST. MULDENER *diff. de Protect. ab Imper. eccl. vtriusque relig. debita.*

\* Sed in iudicio aulico *ficta* saltem *paritas* occurrit, ita si in Imperii negotiis Euangelici, licet pauciores numero, in vnam sententiam conueniant, & diuersae religionis Assesores oppositam tueantur, *paritas* votorum adesse creditur, & sic ad Imperatorem res defertur. Si catholicorum vnicus Euangelicis, aut horum quidam, illis accedat, maiora adsunt vota. vid. ERIC. MAVRITIVS *diff. de iudicio aulico* §. 8. Quantum ad iudicium camerae, maior quidem ratio paritatis, sed non vndique habetur. Scilicet praesentatio fit iuxta circulos, quorum quidam pro *pure catholicis*, alii pro *pure Euangelicis*, alii pro *mixtis* reputantur. Praesentant Euangelici cum catholicis Assesores *pari numero*; sed Caesari relicta insuper praesentatio *duorum Assessorum*. Deinde *Iudex* etiam *Camerae & Fiscalis* Romano catholicae religioni sunt additi. conf. Excell. IO. PAVL. KRESS *diff. de iure praes. Asses. camer. Cap. II.*

## §. XXXI.

Diuisio ecclesiarum in publicas & priuatas.

Quum vero iam obseruauerim, ecclesiam, vbi illi Princeps accedit, nancisci suo modo naturam *collegiorum ciuilium*; (§. XXII. 6. 7.) non potest non ex publica adprobatione vel denegatione eiusdem, diuersitas quaedam, ratione effectuum iuris, oriri. Hinc enim fit, vt ecclesiae sint vel *publicae*, vel *priuatae*. Illae sunt, quibus vel *Princeps ipse accedit*, vel *publice adprobat*: hae vero publica auctoritate destituuntur, & licet *tolerentur*, tamen saltem *priuato coeuntium placito* colliguntur.

## §. XXXII.

## §. XXXII.

Quantum ad Germaniam nostram, sunt quidem tres religiones adprobatae (§. XXIX. 1.) & inde sequi debuisset, ut ubique *liberum religionis exercitium* haberent; Sed indiscretus *Zelus* cleri intercessit, quo minus liberum & illimitatum exercitium permitti potuerit. Sic itaque trium harum religionum *adprobatio generalis* eo saltem tendit, ne quis ob earum professionem *incommodi quid* sustineat: neutiquam vero, ut adprobatae religiones semper in Rebus publicis Germaniae *liberum exercitium* habeant. Gaudent quippe singuli Status *iure Reformandi*, (§. XLIV. \*) ut cuius liberum exercitium determinare possunt. Itaque tenendum: Religionis in Germania exercitium esse 1) vel *publicum*, vel 2) *priuatum*, vel 3) *domesticum*.

Adplicata  
ad ecclesias  
in Germani-  
a.

## §. XXXIII.

Publicum & priuatum religionis exercitium in eo quidem conueniunt, ut *utroque* *sacra fieri possint*; sed ratione *modi & loci* non leuis differentia occurrit. Publicum quippe exercitium *in aedibus publicis & templis*, cum *solemni liturgia, pulsu campanarum*, immo cum *variis processibus, peragitur*. Priuatum vero exercitium, vel ad *aedes priuatas restringitur*, vel, si *templi cuiusdam constructio conceditur, pulsu campanarum destituitur, exulans-*

Descriptio-  
nes varii ex-  
ercitii reli-  
gionis.

*lantque processiones.* Domesticum tandem exercitium adhuc minus continet, quippe quod *sine administratione sacramentorum, sine concursu ordinati pastoris peragitur.* k)

## §. XXXIV.

Descriptio  
ecclesiae  
publicae.

Videamus itaque, quae de ecclesiis publicis & priuatis in genere sunt obseruanda: dehinc quid circa illas in Imperio Germanico obtineat. Ecclesiam publicam in genere ita describendam puto, quod sit *multitudo, quae certo loco publicum & stabilem religionis cultum exercet, publicaque Reipublicae auctoritate libere colligitur & ordinatur.*

## §. XXXV.

Axiomata.

Hinc notanda axiomata: I. Publica auctoritas ecclesias varie mutat. II. Publica ecclesia moralem constituit personam. III. Arbitraria, non necessaria, haec est societas.

## §. XXXVI.

Publicae ecclesiae publica auctoritate diriguntur.

Licet publica auctoritas Reipublicae, ecclesiae in se consideratae, nihil addat, nec *ad subsistentiam* ecclesiae requiratur; (§. XXII. 10.) Interim quia nec illam respuit ecclesia, varii effectus iuris, vbi illa accedit, inde nascuntur. Sic 1) non amplius *illimitato* priuato coeuntium *arbitrio* ecclesiae diriguntur, sed *publica auctoritate* varia ordinantur: 2) iura illarum *publicum*, consequuntur *effe-*

k) vid. Instr. Pac. Art. V. §. 34.



*effectum*, & de negotiis in discrimen vocatis, publice ius dicitur & leges desuper feruntur: 3) auxilium, quod ubi reprobata erat, a se-  
met ipsa petere debuit, iam a Republica ac-  
cipit: 4) Sic cessant *iudicia conuentionalia*,  
& poenae conuentionales: 5) propterea ta-  
men non exiit *statum aequalem*, quia quae-  
cunque Princeps ordinat, intuitu *Reipublicae*,  
quam gubernat, & in qua ecclesia est, fieri  
solent. l) (§. LXXIX. seq.)

## §. XXXVII.

Quia praeterea publica ecclesia *moralem* Gaudent  
constituit *personam*; (§. XXXV. 2.) confe- variis effe-  
quens est, l) vt instar *reliquarum vniuersita-* ctibus ciui-  
*tum* a Republica adprobatarum, libero iu- libus.  
ris communis exercitio fruatur. m) 2) ut li-  
berum & publicum *sacrorum exercitium* acci-  
piat, *pace ciuili* gaudeat, variaque *priuilegia*,  
*praerogatiuas*, *immunitates*, quibus antea de-  
stituta erat, consequatur. n) 3) Vt ipsa de-  
nique religio, sic fiat *dominans*, id quod  
rursus varios effectus producit, intuitu eo-  
rum, qui ei addicti sunt.

## §. XXXVIII.

Ex tertio denique axiomate (§. XXXV. 3.) Ecclesia  
intelligi potest: l) *congregationem* fidelium publica est  
*priuatam* omnino *necessariam* esse, quia citra focietas ar-  
bitraria.  
illam

l) PUFFENDORFF. de hab. relig. Christ. §. 4.

m) L. 10. de SS. ecclesia.

n) vid. tot. Tit. C. de SS. eccl. & Tit. de Episc.

& Cler.

illam vix concipi potest, qua ratione euangelium gentibus annunciari, doctrinaque Christiana propagari, debeat; o) sed, vt 2) *publicae congregationes* instituantur, *necessarium* haut esse.

## §. XXXIX.

Priuatæ ecclesie duplicis generis.

Quum vero priuatæ ecclesie illæ sint, quæ *publica autoritate* destituuntur; (§. XXXI.) ante omnia notari debet, quod 1) vel prorsus *publice reprobentur*; vel 2) *publicum* duntaxat *exercitium* iisdem *denegetur*.

## §. XL.

Primitiua ecclesia plane reprobata.

Prioris exemplum præbent ecclesie primitiuae, de quibus historia nos docet, quod 1) Christianorum coitiones eo usque reprobatae fuerint, vt in *crimen publicum* incidere iudicarentur. p) Inde sequebatur, 2) vt nihil *acquirere* vel *possidere* potuerint in Republica: q) nihilominus tamen 3) *indolem ecclesie* retinuerint, seque 4) in certa *pacta & ordinem* obstrinxerint, quæ pacta 5) effectum *intra ecclesiam* produxerunt, cum, qui in leges pactas impingerent, a *societate excluderentur*: nam tale remedium limites societatis aequalis non excedit. (§. XLIX. \*) Hinc 6) constat, praxin hanc primitiuae ecclesie, omnibus hodiernis haud quaquam conuenire. X

## §. XLI.

o) conf. observ. Hallens. Tom. I. obs. 3.

p) III. BOEHMER *iur. eccl. antiqu. diff.* IV. §. 2. sq.

q) HUBERVS *de iur. ciuit. Lib. II. sect. 3. cap. 4. §. 6. seq.*

## §. XLI.

Si publicum saltem religionis exercitium ecclesiae denegatur, (§. XXXIX. 2.) sequitur, vt in totum *reprobata* dici nequeat, sed potius *effectibus* quibusdam *ciuilibus* gaudeat. Inde consequens est, vt 1) sibi quidem relinquere soleat, adeoque & multa, *ordinem* respicientia, *determinare* possit; nihilominus tamen 2) se intra *privatos parietes* continere debeat. 3) Vt iuxta pacta conuenta *iudicetur* & laesis succurratur, adeoque eatenus cum publica conspiret. 4) Vt nec Principi *suprema inspectio* in haec sacra denegari possit, ita vt *modum* eorum determinare, & *exercitium* restringere queat. (§. LXXXIV. 4. & 5.)

Quae toleratur priuata ecclesia, effectibus ciuilibus gaudet.

in peragendis et admodum cultu diuino.

## §. XLII.

Quum vero in Imperio Germanico, adprobatae quidem sint tres religiones, sed eatenus saltem, ne quid incommodi, qui vnā ex illis proficentur, sustineant: de caetero exercitium liberum, non vbique habeant; (§. XXXII. seq.) hinc tenenda axiomata: I. Omnes tres religiones adprobatae, in effectu iuris quidem pro orthodoxis habentur; sed II. quantum ad exercitium religionis, respicitur ad statum anni decretorii. III. Potest tamen Princeps religionis exercitium nouiter concedere, si subditi propterea

Ratio ecclesiarum in Germania.

Axiomata.

C

pterea

pterea contra statum anni decretorii non turbantur.

§. XLIII.

Effectus ge-  
nerales to-  
lerantiae  
religiosae.

Quum itaque omnes tres adprobatae reli-  
giones, in effectu iuris, pro *orthodoxis* habe-  
antur, \* consequens est, 1) illis *tolerantiam ex*  
*lege* deberi, \*\* r) adeoque 2) ita de *conscientiae*  
*libertate & optione religionis* cautum esse, vt  
tribus religionibus addicti, non solum ab  
omni iniuria & contumeliis sint tuti; sed &  
*pari* cum aliis ciuibus *iure*, in loco uiuant.  
(§. XXVIII. & XXIX.) 3) Vt neutri ex his  
religionibus, nota *haereseos*, in effectu *iuris*  
*ciuilis*, obici possit. s) (XXIX. † & ††) 4) Vt  
*aequali iure* gaudere debeant intuitu *religio-*  
*nis*, ita, vt quod vni parti iustum est, alteri  
quoque iustum esse debeat: t) §) Vt aequa-  
liter *pace publica* frui, bonaque, quae in anno  
decretorio habuere, imposterum quiete pos-  
sidere debeant, praclusa omni via tam *iur-*  
*is* quam *facti* ad bona illa repetenda.  
(§. XXIX.) u) 6) Vt nulla plane *coactio* in  
negotio religionis, locum inueniat. w)  
(§. XXIX. 13 & 14) 7) Vt ad *praebendas* &  
quaeuis *beneficia ecclesiastica* aequae habiles  
sint

r) Instr. Pac. Art. V. §. 34.

s) Ibid. Art. V. §. 35.

t) Ibid. Art. V. §. 1. & 35.

u) Ibid. Art. V. §. 1. 14. 25. 29. & 4)

w) Ibid. Art. V. §. 16. 34. FABRI Staats-Gang-  
ley Tom. X. pag. 205.

sint protestantes, ac catholici. x) 8) Vt *bona ecclesiastica*, tam Catholicorum, quam Protestantium, aequalibus iuribus & privilegiis, quoad effectus publicos, gaudeant. y) 9) Vt omnes, qui vnam ex formulis adprobatis (§.XXIX.2) non accipiunt, pro *heterodoxis* sint reputandi. Vt tamen 10) a principe tolerari possint, (§.XXIX.\*) \*\*\* ita tamen, vt 11) talis tolerantia *mere gratiosa* dici mereatur. Vt 12) si ita tolerentur, *pace ciuili* quidem gaudeant, vt intuitu religionis a nemine laedi, vel iniuria affici queant; z) vt tamen 13) talis tolerantia *aequalitatem iurium*, tam sacrorum, quam profanorum, haud inducat. †

\* Orthodoxia a Theologis quidem aliter defini-ri solet, qui illam potissimum in agnitione *veritatum*, & *articulorum fidei* ponunt; heterodoxiam vero, & sic haeresin, primario in *errore* quaerunt; (Part. II. §. CCXCIII.) sed ego, vt Jure-Consultus, orthodoxiam alia ratione, quam ex *adprobatione religionis publica*, dimensurare nequeo. Quin quod ex ipsa scriptura sacra constet, *errores*, etiam graues, haud quaquam obesse, quominus quis *verus Christianus*, & *verus Dei filius* esse possit. Nam opinionem, de necessaria legis Moisaicae obseruatione, vt grauem errorem depingit Apostolus; Gal. III. 10. IV. 9. V. 1.4.

C 2

&amp;

α) GOTTL. GERH. TITIVS *diff. de iur. nobil. Luth. ad immed. Germ. capit.*

y) Instr. Pac. Art. V. §. 14. seq. *iunct. §. 21. 22. & Art. XIII.*

z) vid. L. 14. C. *de Iudaeis* L. 6. C. *de pagan.*

& tamen Zelotae ex gente Iudaica, qui talem errorem errabant, fuere veri fideles. *Aët. XV. iunët. Aët. II. 42. 47. IV. 31. ad 35.*

\* Sane *tolerantiae* praedicatum, tam *Catholicae*, quam *Protestantium* religioni tribuitur. Instr. Pac. Art. VII. § 2. *in fin.* Hinc tenendum: aequè catholicos *tolerari* inter protestantes, ac hi inter illos. Hoc principium, utpote in lege fundamentali stabilitum, nulla ratione impugnari potest. Instr. Pac. Art. V. §. 50. Impugnant tamen illi pestilentissimi homines, qui Catholicis *dominium religionis*, Protestantibus saltem *gratiosum* quandam *tolerantiam*, ut haereticis, assignant. Sic tollunt, contra mentem instrumenti pacis, *aequalitatem religionum* adprobatarum. Impudentiores adhuc sunt, qui innuunt: cum *Protestantibus*, sine Pontificis auctoritate, Catholicos *pacisci non potuisse*. Sic conculcant saluberrimas dispositiones, quas Instrum. Pacis art. V. §. 50. Art. XVII. §. 2. 3. 4. & seq. firmas pronunciauit, & reuera *crimen fractae pacis publicae* committunt.

\*\*\* Qui dissentientes tolerare nolunt, sed omnes, qui *fidei* suae *formulariae* assensum praebere detrectant, poenis aliisque malis afficiunt, plus quam *tyrannicum imperium* in conscientias affectant. Plures limatioris ingenii viri, contra tales tyrannos, calamum strinxere. vid. Illustr. BOEHMER *iur. eccl. Prot. Tom. II. diff. praelim.* (vid. P. II. §. CVIII. seq.) utrum vero in lege Imperii fundamentali, puta, Instr. Pac. Art. VII. §. 2. cautum sit, nullam plane religionem, praeter Catholicam, Lutheranam & Reformatam, tolerandam esse? paucis dispiciendum. Loquitur lex de *exercitio publico* religionis, sed non prohibet, quominus Principes etiam illos, qui non sunt ex his  
reli-

religionibus, tolerare queant. Deinde clausula in Instrumento pacis, a *Catholicis* ideo adiecta fuit, ne ultra memoratas tres religiones, alias tolerare teneantur. Hoc ipsum eorum principiis, non autem *Protestantium*, conforme est, adeoque dici nequit, Protestantibus sic obligationem impositam fuisse, ne *ex gratia* alias religiones tolerare possint. vid. III. BOEHMER *cit. l. Tom. I. Tit. I. §. 58.*

† Sic non admittuntur ad *magistratus* officia. Sacrorum exercitium sibi ulterius vindicare nequeunt, quam a Principe per *privilegium* vel concedi potuit, & expresse concessum est. De reliquo tolerantiae privilegia cum effectum habent, ut *iure subditorum* communi fruuntur: dummodo inter iura civitatis specialia & ius commune distinctio fiat. Sane ad *specialia iura*, in regula saltem, *cives* admittuntur. & plerumque *incolae*, licet eiusdem religionis, excluduntur. Possunt itaque dissentientes a religionibus adprobatis, eo loco, ubi tolerantur, *testamenta* condere, & gaudent omnibus *iuribus singularibus*, ut dotis, cessionis bonorum, competentiae & similibus; imo & illis, quae in *iure provinciali generaliter* cunctis, qui *subditorum* numero computantur, sunt indulta. Aliud tamen dicendum de illis, qui per *convenienciam* saltem tolerantur, vel *occulte*, absque *pleno usu*, omnium *iurium*. Conf. III. BOEHMER. *diff. de toler. relig. effe&t.*

#### §. XLIV.

Quum vero, quantum ad exercitium religionis, respiciatur ad statum *anni decretorii*, (§. XLII. 2.) sciendum est: 1) *Publicum Augustanae confessioni addictis*, ut & catholicis, *libe.*

Speciales effectus intuitu religionum adprobatarum. *Principis*

*liberum & illibatum* exercitium religionis, ita relinquendum esse, prout illud Anno MDCXXIV, *quacunque anni parte*, habuerunt. 2) Dominum territorii, vigore *iuris reformandi*, nil contra hoc exercitium audere posse. a) \* 3) Alia tamen ratione non competere publicum exercitium, quam *quatenus in anno decretorio* exercitium, id quod in dubio subditi probare tenentur, nisi constiterit, eos *tempore factae pacis*, in possessione vel quasi, publici exercitii fuisse. 4) Exulare debere *simultaneum* religionis exercitium in eodem templo, quia statum religionis anni MDCXXIV. prorsus mutat, & antiquiorem possessorem semper turbat. b) 5) Statum anni decretorii, etiam ratione *iurisdictionis ecclesiasticae*, respiciendum esse, ita ut tam Catholici, quam Protestantes, in omnibus locis eam exercent, in quibus illam anno MDCXXIV notorie exercuerunt. c) 6) Non *immutari* posse statum rerum ecclesiasticarum, Catholicos inter & Protestantes, licet videatur *in melius* mutari. 7) Religionem, quae in hoc anno praevaluit, *dominantem* esse. \*\* 8) Presbyteros in Catholicorum monasteriis, quae in territoriis statuum August. Confess. addictorum sunt, *adus parochiales*, respe-

a) Instr. Pac. Art. V. §. 31. & 32.

b) Vid. Uugrund des Simultanei. It. Ursprung des so genannten Simultanei. It. Gespräch von Simultaneo.

c) Instr. Pac. Art. V. §. 45.



respectu *Catholicorum*, exercere non posse, nisi tales actus in anno decretorio exercuerint. (§. DCCXCV. 7) d) 9) Eundem terminum circa *privatum religionis exercitium* ita obtinere, ut illud nullo modo subditis interverti possit. e) 10) Vbi subditi in dicto anno nec publicum nec privatum religionis exercitium habuerunt, non prohibentur *sacra domestica* exercere, & in vicinia, toties quoties voluerint, religionis exercitio publico interesse, & liberos suos vel *vicinis scholis*, vel domi *Praeceptoribus*, committere possint: modo alias pacifice vivant. f) 11) Domino tamen territorii, absolutam necessitatem, tolerandi subditos, qui in anno decretorio nec publicum, nec privatum suae religionis exercitium habuerunt, vel post pacem religionem mutarunt, iniunctam habere esse; sed potius subditis facultatem competere *sponte emigrandi*, quam Principi, *emigrationem eis imperandi*. g) 12) Hanc emigrationem, nequaquam aliquam poenam includere, aut *relegationem* inferre debere b)

C 4

\*Quura

d) Instr. Pac. Art. V. §. 23. &amp; 31.

e) Ibid. Art. V. §. 31.

f) Ibid. Art. V. §. 34.

g) Ibid. Art. V. §. 36. seq.

b) Vid. SIGM. FERDIN. PRAVN *diff. de benef. emigrand. ob relig.* B. C. A. BECK *diff. de eo quod just. est circ. emigr. civium relig. caus. factam.* AVG. FRID. MÜLLER *diff. de emigr. relig. caus. suscip.* IO. GUIL. HOFFMANN *d. ff. de iur. emigrant. prop. relig.* Excell. IO. LAVR. FLEISCHER *diff. de iure reform. & inde depend. iure emigr.*

- Quum Protestantes ante Pacem Westphalicam semper in ore haberent: *illius esse religionem*, seu arbitrium de religione, *cuius esset regio*: Catholici vero hoc principium admittere nolent; tandem in Pacificatione Westphalica indultum fuit Statibus, definiendi: *quanam sacra publica habenda, quae toleranda, quae fugienda*. Hæc potestas vulgo: *ius reformati* dicitur. Quidam itaque vbi de exercitio religionum verba faciunt, hoc ius *pro regula* ponunt; & statum possessionis anni MDCXXIV. ad *exceptionem* referunt. vid. Antiuindic. Hildesienf. pag. 93. Alii autem ipsum hunc anni decretorii statum, instar *regule* obrinere contendunt. vid. Exam. vindic. Rittmeier. pag. 76. seq. Sed nulla sic occurrit contradictio. vid. ERDMANN (seu THOMASIVS) in Gespräch von Simultaneo. cap. VI. §. 14. addi potest doctissimus Anonymus de orig. indol. atque Hist. Iur. Reform. Reg. ac Princ. nec non Stat. Imp. Germ. Part. II.
- \*\* Ab hac religione dominante, probe separanda, *religio domini*. Hinc in illis ciuitatibus, in quibus alterutra religio praeualet, ad magistratus alii non admittuntur, quam qui dominantis religioni addicti sunt. vid. KNIPSCHILD de Iur. Ciuit. Imp. Lib. II. cap. 8. n. 13.

## §. XLV.

Quatenus publicum vel priuatum religionis exercitium, contra statum anni decretorii, introduci possit.

Quum denique Princeps etiam nouiter religionis exercitium concedere possit, si subditi propterea contra illum statum non turbantur; (§. XLII. 3.) consequens est, 1) vt Dominus territorii, sacris a subditorum religione diuersis addictus, suae religionis *exercitium publicum* vel *priuatum* introducere queat, quatenus per talem introductionem subdi.

subditi in *publico & libero religionis exercitio* non impediuntur. i) \* 2) Vt Dominus territorii *catholicus*, subditis *protestantibus*, vsum sacerorum suorum publicum concedere *non* possit, quum hi sacra sine vlllo *externo* apparatu, & sine praeiudicio religionis dominantis catholicae, peragant. 3) Vt Dominus territorii, *Augustanae confessioni* addictus, *catholicis* exercitium publicum eatenus concedere possit, ne religioni Protestantium inde *molestia* accrescat, nec horum *sacra* vlllo modo *turbentur*. 4) Vt Princeps *privatum* suae religionis *exercitium* in *aula* & in *aulico templo*, introducere queat. 5) Vt catholicus territorii dominus, in praeiudicium suorum subditorum August. Confess. addictorum, *liberum & plenum* catholicae religionis exercitium concedere haut possit. \*\* 6) Vt id, quod inter Protestantes & Catholicos iuris est, multo magis *inter ipsos Protestantes*, quatenus duas partes constituunt, obrineat, ita vt si Dominus territorii ad alterius partis sacra transeat, *publicum* quidem subditorum *exercitium immutare* fas ipsi non sit; suae tamen religionis publicum exercitium introducere non prohibeatur. 7) Vt tamen attendenda sint *Paeta*, Principes inter & status Prouinciales inita, quatenus obseruantiae anni MDCXXIV. non repugnant. k) 8) Vt omnis tolerantia, contra statum anni de-

C 5

cre-

i) Instr. Pac. Art. V. §. 30. &amp; 31.

k) Conf. Instr. Pac. Art. VII. §. 1.

# *Ua Uctor Sacrorum* decretorii indulta, mere gratiosa sit, nisi speciali  
*29 az nato cum Imperato* pacto, in conuentionalem & necessariam, trans-  
*se adhibetis ha. n. co.* mutata fuerit.  
*re oria. religio.*  
*exercitium concessit.*

\* Fundamentum hujus assertionis his nititur principiiis : In Instrum. Pacis Art. V. §. 30. Statibus Imperii *Ius Reformandi*, ratione territorii, confirmatum, & ciuitatibus quoque immediatis assertum fuit. conf. Art. V. §. 29. 39. & 43. & quamuis iuxta dispositionem in Art. V. §. 31. subditi in quieto religionis exercitio, in quo An. MDCXXIV. fuerunt, permanere debeant ; haec tamen sanctio iuri reformandi saltem eatenus derogat, quatenus subditi in exercitio religionis publico turbantur. Nec impugnat hanc thesin opinio : quod obseruantia anni MDCXXIV. instar *regulae* obtinere debeat ; Art. V. §. 33. obtinet enim, quoties sacris, in decretorio anno exercitis, *nullum fit praecudicium*. Hac ratione & obseruantia dicti anni, & ius reformandi simul stare possunt.

\*\* Quodsi enim *plenum* catholicae religionis *exercitium*, illis in locis concederetur, vbi Anno MDCXXIV. in vsu haut fuit ; non possent non inde *turbari sacra* religionis Protestantium, id quod Instrumenti Pacis dispositioni repugnat. Nec obstat Art. V. §. 1. hujus Instrumenti : quod quae vni parti iusta sint, alteri quoque iusta esse debeant, vt sic exacta aequalitas inter vtriusque religionis confortes obseruetur. Nam tunc demum *aequalitas* obseruari potest, vbi *verinque rationis paritas* occurrit. Haec vero in catholicorum sacrorum pleno & libero exercitio, ratione ad protestantium sacra habita, omnino deficit. Protestantes quippe in cultu religioso *solemni, se intra templa* continent ; at Catholiciper

per varias *processiones & deductiones* viatici ad aegrotos, per plateas rem diuinam faciunt. Inde non possunt non Protestantes varie turbari.

## TIT. II.

## DE

NECESSITATE LEGVM ECCLE-  
SIATICARVM, SIVE PRO REPV-  
BLICA VENDITETVR ECCLESIA;  
SIVE COLLEGIVM QVOD-  
DAM CONSTITVAT.

## §. XLVI.

**S**ive ecclesiam vt *separatam Rempublicam* (§. II. sq.) siue vt *Collegium in Republica* (§. XXII.) consideres; non poterit illa sine legibus subsistere. (§. XLIX.) Vtrobique enim adest *externus coetus*, in quo varia sunt agenda. Actio dependet a voluntate, voluntates autem singulorum sibi semper non sunt similes, sed diuersorum in diuersa abeunt. In omni autem coetu *ordo* desideratur. Ad ordinem vero constituendum, *norma* opus est, ad quam voluntates componuntur. Quod si *citra normam* quisque ageret, quod illi in mentem veniret, non posset non maxima oriri confusio. (conf. §. LXI. seq.)

Necessitas  
legum ec-  
clesiastica-  
rum.

## §. XLVII.

Norma talis vbi a superiore praescribitur, *lex* audit. Est quippe *lex*, proprie sic dicta,

Definitio  
Legis.

dicta, nil aliud, quam *decretum*, quo superior sibi subiectum obligat, ut ad istius praescriptum actiones suas componat. \*

\* Ius itaque condendi leges, radicaliter penes imperantem residet. Sic differt haec potestas a iuribus affinibus, utpote 1) a *praeceptis*: 2) a *dogmate*: 3) a *consilio*: 4) a *pactis*, 5) a *statuto*, striete sic dicto: 6) ab *ordinationibus collegiorum & corporum*. conf. III. BOEHMER in iur. publ. univ. Part. spec. Lib. II. cap. 3. s. 9. seq. s. 24. seq. Num *permissio* ad actionem legis, an ad eius *negationem*, sit referenda? non disputo. Si enim in significato strictiore legem capis; pertinet sane ad ea iussa, quae *libertatem* naturalem, siue praeciando, siue vetando *restringunt*. Si in laxiore; ius *permissivum* eius pars esse viderur. Accedit, quod in omni *permissione* *adsit prohibitio*, ne scilicet reliqui me impediunt, libertate uti, quatenus non est restricta. Sic *privilegiis* (§. CXLVI. seq.) omnes ceteri obligantur, ut constitutioni effectum tribuant.

### §. XLVIII.

Quid obligatio.

Per obligationem intelligo: *Vinculum iuris, quo necessitate adstringimur, alicuius rei praestandae & faciendae, aut non praestandae vel non faciendae.* \*

\* *Obligatio, vinculi nomen, a ligamenti corporis, per Metaphoram accepit, a ICtis. Si ICtorum definitio non placet, dicas me non inuito, esse illam: qualitatem, vel necessitatem moralem, qua quis aliquid agere aut pati tenetur.*

### §. XLIX.

Necessitas normae

Si itaque 1) formam *Reipublicae ecclesiae* tribuis; non potest non inde consequi, actio.

actiones eorum, qui membra sunt huius Rei-  
publicae, per *normam* quandam & *legem*, ita  
in ordinem redigendas esse, ne ex tot diuer-  
sis ingeniis conflatum magnum corpus, in sua  
compagine, scissuram experiatur. Si 2 )  
pro *collegio* quodam, in Republica subsisten-  
te, ecclesiam sumis; concedere debes, non  
aliter collegium subsistere posse, nisi ad cer-  
tum *ordinem* membra eius adstringantur.  
Hinc quae ex re collegii sunt, ordinanda &  
determinanda erunt, ea quidem ratione, ut  
*instar legis* intra membra collegii valeant. \*  
(conf. § XLVI.)

fue pro Re-  
publica, fue  
pro colle-  
gio ecclesia  
reputetur.

- Potest sane *poena conuentionalis* determinari.  
Ad illam subeundam se membra collegii ob-  
stringunt. Si nolunt stare pacto conuento, ex-  
eant ex collegio, necesse est. Dicuntur eius-  
modi conuentiones in vernacula: *Willkühr*,  
seu *ein willkührliches* siue *aus freyen willen*  
*erfohrnes Recht*. Sic ecclesiae ab antiquo, ceu  
collegia, ius condendi statuta quaedam eccle-  
siastica, exercuerunt. Conf. III. BOEHMER  
*in iur. eccl. antiqu. diff. III.*

+ 2) patet ex confederata  
disciplina

### §. L.

Collegium vero dico: *plurium persona-* Quod col-  
*rum, ad certum finem vnitarum societatem, eam-* legium.  
*que mediam, inter familiam, & magnam societa-*  
*tem ciuilem.*

### §. LI.

Iam vero nemo inficias ibit: 1) *singulorum* Postulata  
in Republica viuientium actiones, *normam* quaedam  
accipere ab imperante: 2) collegia consti-  
tuere *personam moralem*, (§. XXXV. 2.) & sic  
ne.

negotia eorum pariter directioni Imperantis subesse, ac singulorum. Certe *sociabilia* debent esse omnia collegia, ne finis ciuitatum eludatur. 3) Imperantes impedire posse, ne sub praetextu religionis, *scelera, fraudes, nefaria* patrentur, & sic 4) etiam illis integrum esse, varia circa societates ecclesiasticas constituere. (§, LXXXIV.)

## §. LII.

Quousque  
circa eccle-  
siastica leges  
obtineant.

Quum vero homines non conuerint in societates ciuiles, *religionis* causa, sed *securitatis* & *sufficiantiae* gratia; non potest non inde consequi: 1) ecclesiam, quatenus illa pro fine habet *procuracionem aeternae salutis*, (§. XIV.) *arbitrio ciuitatis eximendam esse: 1)* sed 2) quatenus *coetus externus*, *ordine colligendus* & *in compage retinendus est*, eatenus normam & leges desiderare.

## §. LIII.

Axioma.

Hinc notandum erit axioma: Leges ecclesiasticae pro obiecto habent negotia hominum sacra, quatenus respectus iusti in ea cadit.

## §. LIV.

Confectaria  
inde dedu-  
cta.

Inde sequitur: 1) Leges ecclesiasticas dirigere agenda, non *credenda*, adeoque pro obiecto non habere *dogmata fidei*. 2) Religionem non solum omnem *coactionem* (§. XV.) respuere, sed & 3) ea *media*, quae ad finem con-

1) B. NIC. HIER. GYNDLING *in iur. nat. cap. 35. §. 76. sq.*



consequendum (§. LII. 1) adhibentur, *spontaneum spiritum* desiderare. \* 4) Actiones *immediate ad cultum Dei* directas, quae absque vlla hominum coitione inter se perfici possunt, *coactioni* civili obnoxias haud esse. m) 5) Ea ecclesiae instituta, quae *vinculum externum* respiciunt, v. g. tempus congregationis, ordo, vocatio & institutio ministrorum, constitutio scholarum, cura aedificiorum, & his similia, *obiectum legum* ecclesiasticarum constituere; adeoque 6) omnem, qui cupit esse membrum ecclesiae, se in his, illius iudicio se subiicere, & eatenus iudicem agnoscere debere. \*\*

\* Varietas horum mediorum, ususque eorum diuersus, fini ecclesiarum haud obest. Sic vbi quis alia media adhibet ac ego adhibere soleo, saltem illis diuerso modo vtitur; nulla adest idonea causa, quare illi irasci aut iudicium postulare debeam. Imo talia *nullo iudicio* subiacent. Conf. *Zustand der wahren Kirche*. §. 40. seq.

\*\* Ita etiam in primitiua ecclesia obtinuit. Quam uero ius ordinem ecclesiasticis conuentibus praescribendi, siue *expresso*, siue *tacito ecclesiarum consensu*, vbiq; fere in vnum collatum fuerit, (§. XC. seq.) huic omnis, qui membrum ecclesiae esse cupit, eatenus se subiicere debet.

### TIT. III.

---

m) Ill. BOEHMER *iur. publ. vniu. Part. Ger. Cap. I. §. 23. Part. Spec. Lib. II. Cap. 5. §. 3. seq.* add. NOODI *orat. de relig. ab Imp. Iur. Gent. Libera.*

## TIT. III.

## DE

## FINE LEGVM ECCLESIASTICARVM, SCIL. VT SALVS ECCLESIAE PROMOVEATUR.

## §. LV.

Connexio.

**Q**um leges sint medium, per quod coetus omnis in officio contineri solet: (§.XLVI.) nec de *societatibus ecclesiasticis* aliud dici possit; (§.XLIX.) vides, leges omnes ad hunc collimare scopum: *vt salus societatis promoueat*. Hinc etiam leges ecclesiasticae, ad *salutem ecclesiae*, quae *supremam legem ecclesiasticam constituit*, concentrare debent.

## §. LVI.

Quorundam  
tendant leges ecclesiasticae apud  
catholicos.

In hoc consentiunt Pontificii cum Protestantibus; sed in quo *salus ecclesiae* posita sit? in eo dissentiunt. Nam eos ecclesiam *vt separatam Rempublicam* considerare, dixi. (§.II.seq.) Sicut itaque primi Imperantes, qui ambitione ducti, imperia in alios introduxerunt, leges magis suae *ambitioni & avaritiae* conformes tulerunt, quam *vt Reipublicae* sic consulerent, licet ubique *salutem* illius praetexerent; ita etiam se res habet cum *Republica*, quam Catholici fingunt, *ecclesiastica*.

## §. LVII.

Salus ecclesiae in do-

Scilicet sicuti in Imperio civili, *salus Principis*, ipsius *Reipublicae salus* reputatur, imo prin-

principem, ipsam *Rempublicam repraesentare*; Ita & de ecclesiastica Republica, argumentatur. Fingunt in illa occurrere vnicum Episcopatum oecumenicum, & reliquos Praelatos particulares saltem ecclesias dependenter gubernare: (§. IV. 3. 4.) Omnes clericos, magistratus ecclesiasticos, & omnes laicos, subditorum loco esse. (§. VII. 1. 2.) Sic itaque inferunt: *clerum repraesentare ecclesiam*, & huius salutem, esse *salutem ecclesiae*. Hinc salus ecclesiae quaeritur in *dominatu sacro & avaritia*.

minatu sacro & avaritia, peruerse quaeritur.

## §. LVIII.

Nimis longum foret, per singula capita hoc ipsum demonstrare, adeoque iuuabit, summatim haecenus dicta declarare. Sic 1) sub pallio salutis ecclesiae, *eminentia Episcopalis*, cum pluribus iuribus eximiis fabricata fuit: 2) Inde petita initia reliquarum *subordinationum* & 3) ipsius *potestatis*, quam Romanus *Pontifex* consequutus est, & sic 4) structura totius *hierarchiae*. (§. IV. \*) Hinc 5) *Conciliis* tanta auctoritas adscripta, vt *formulariis fidei confessionibus*, conscientis imperare, & 6) *supremum* etiam *Episcopum*, iudicare possent. 7) Hinc distinctae *dioeceses* & *parochiae*, vt quisque Clericorum proprium haberet territorium: Inde 8) populo ius suum in *eligendo* ablatum, & 9) ipsa *pietas* in monopolium transit, & modus ac-

D qui-

Quod speciatim illustratur.

quirendi fieri cepit. *n*) Haec & innumera alia, sub praetextu de *salute ecclesiae* promo- uenda, facta sunt, quum tamen saltem do- minatum & opes Cleri augeant, ad veram salutem autem ecclesiae nil faciant, sed potius eam conculcent.

## §. LIX.

Transitio  
ad inuesti-  
gandam ve-  
ram eccle-  
siae salu-  
tem.

Quum enim 1) ecclesia non intendat *com- mercium civile, sed salutem animarum*; (§. XIX. 4.) immo 2) finis earum nullus alius sit, quam *ut salus aeterna*, cuiuslibet membri, promo- ueatur; (§. XIV.) haec vero salus 3) per coactiva media obtineri nequeat; (§. XV.) & ne quidem 4) actiones immediate ad cul- tum Dei directae, coactioni obnoxiae sint; (§. LIV. 4.) consequens est, ecclesias externas, licet *corpus* aliquod *externum* constituent, (§. XIX. 3.) pro fine non habere *bonum* ali- quod *externum & civile, sed spirituale*.\*

\* Sane: finis Christianismi spiritualis est. Re- spicit *sordis* & prauarum inclinationum *emenda- tionem*, ut sic homo in totum transforma- tus, exuat carnalem naturam, & coelestem accipiat. conf. *Eph.* II. 3. 5. 6. *IV.* 23. 24. *Co- loss.* III. 10. *1. Cor.* VI. 17. *2. Cor.* III. 18.

## §. LX.

Quid eccle-  
siae ad Chri-  
stianismum  
contri-  
buant.

Quamvis vero hic finis vnice ex *viribus spiri- tualibus* impetrari debeat; non tamen excludit *paedagogiam*. Nam quum ad fi- nem hunc obtinendum, Christiani etiam in *exter-*

*n*) vid. Illustr. BOEHMER *iur. eccl. Prot. Tom. I. diss. Praelim. §. 17. seqq.*

*externas congregationes* abeant; (§. XVIII.) facile vnusquisque concedet, *externam manuductionem*, non excludendam, sed potius commendandam esse, quo vel sic magis magisque se ipsam ecclesia aedificet.

## §. LXI.

Externa sane ecclesiae instituta, obiectum <sup>Quare ordo</sup> legum ecclesiasticarum constituunt. (§. LIV. <sup>necessarius?</sup> 5.) Quae vero ad animae culturam pertinent, his coactiuis remediis, impetrari non possunt: (§. LIV. 1. seq.) Sed nihilominus augeri & promoueri posse Christianismum, si omnia *ordine* fiant; nemo inficias ibit. \*

\* Hinc etiam Paulus ordinem in ecclesiis sollicitate inculcat. 1. Cor. XIV. Est quippe ecclesia consideranda vt *corpus*, multis membris constans. Rom. XII. 5. 1. Cor. XII. 13, sq. Eph. IV. 16. Est instar *aedificii*, Eph. II. 20. sq. 1. Tim. III. 15. 1. Petr. II. 5. IV. 17. In corpore vero & aedificio, vbi cuncta iusto ordine non cohaerent, non possunt non eiusmodi machinae corruiere.

## §. LXII.

Ordo vero in ecclesiis obseruandus ita <sup>Quid ordo</sup> describi potest, quod sit *conuenientia apta*, <sup>ecclesiasticus,</sup> *rerum ecclesiasticarum, paedagogice spirituum*, (§. LX.) *tum inter se, tum ad integrum corpus. nn)*

## §. LXIII.

Exinde sequentia deduco axiomata: I. Axiomata  
Ordo est arbitrarius: II. Talis est eligendus,

D 2

dus,

nn) vid. B. BREITHAVPT *diss. de ord. in eccl. seru.*  
Cap. I. 5.3.

us, qui finem propositum promouet: III. Tendere debet eo, vt salus ecclesiae promoveatur.

## §. LXIV.

Ordo determinari debet.

Quum itaque ordo sit arbitrarius, (§.LXIII.1.) consequens est, 1) vt *determinari* debeat, quo omnes ad hanc determinationem sint adstricti; 2) vt talis determinatio etiam citra *leges* propriae sic dictas fieri possit, vbi ecclesiae status labe corruptionis non est contaminatus; 3) vt tamen tunc *legibus*, saltem *conventionibus*, poena quadam *firmatis* opus sit, (§. XLIX. \*) vbi tales se sociant ecclesiae, qui magis *videri* volunt Christiani, quam esse; 4) vt eiusmodi determinatio, licet indicium status corrupti ecclesiae praebear, tamen pro *bono* quodam *extraordinario* reputanda sit.

## §. LXV.

Quid circa determinationem obseruandum.

Quumque porro talis eligendus sit ordo, qui *finem* propositum promouet, (§.LXIII.2.) sequitur 1) eo respiciendum esse, ne *nimis* indulgeatur ordini, in *εὐταξία* conseruanda, quia sic per indirectum *superstitio* promouetur; nec tamen 2) eo deueniendum, vt nimis *parci* simus in ordine habendo, quia sic facile in *ἀταξία* incidimus, & vbi que a vero scopo recedimus. 3) Praebere ordinem saltem *manuductionem & paedagogiam externam*, (§.LX.) nec desiderari propter se, sed aliud plane, puta: vt *finis* ecclesiarum obtineatur. 4) *Leges & conuentiones* ecclesiasticas, *fini* ecclesia-

clesiarum semper subordinandas esse, ea quidem ratione, vt sint *adminicula* quaedam *remota*, ad finem illum faciliore ratione consequendum. o) §) Sedulo praecauendum esse, ne ad *schemata politicum* ordo accedat, vel 6) totus cultus diuinus in *negotium civile* degeneret.

## §. LXVI.

Quum denique eo tendere debeat ordo, Finis ordinis. vt *salus* ecclesiae promoueat, (§.LXIV. 3.) sequitur, 1) vt eo quidem respiciat, quo *animi cultura* promoueri possit; (§.LX.) sed 2) eatenus saltem, vt *resistat peculantiae* eorum, qui, quum saltem quae sua, non quae Christi sunt, quaerunt, ad peruersos motus ansam dant: finis enim ecclesiarum, per remedia coactiua, aut externum ordinem, obtineri nequit. (§.XIV. & XXIII. §.) 3) vt ad promouendam talem salutem, *externa tranquillitas*, adiuumentum quidem praebat, sed nihilominus *salus* ecclesiarum, ab ea non dependat. p) 4) vt *salus* ecclesiae *suprema lex* sit, quae reliquas limitat, restringit, modificat. §) vt ad hanc supremam legem, etiam inter Protestantes respiciendum sit, maxime ideo, quod reformatione insequuta, multa intacta manserint, non pauca respirauerint, quae cum *vera salute* ecclesiae pugnant. q)

D 3

§. LXVII.

o) Ill. BOEHMER *iur. eccl. Prot. Tom. I. diff. prael.* §. 10. & 11.

p) IDEM *ibid.* §. 12.

q) Illustr. BOEHMER *cit. l. §. 28.*

## §. LXVII.

Descriptio  
iurispru-  
dentiae ec-  
clesiasticae.

Sic itaque suprema lex ecclesiastica, quae reliquas limitat, restringit, modificat, (§. LXVI. 4.) & in ferendis & in interpretandis, & in adplicandis legibus reliquis, respicienda erit. Hinc resultat illa facultas, quam *iurisprudentiam ecclesiasticam* dicimus. Haec sane nil aliud est, quam *habitus practicus, & ferendi leges ecclesiasticas, & eas interpretandi, adplicandique speciebus obuenientibus.*

## §. LXVIII.

De inter-  
pretatione  
legum.

Vtrumque spectare ad officium Iuriconsulti, res ipsa loquitur, licet potissima illius cura, in *legibus iam latis*, sita sit. Hinc scire debet leges, seu vim potestatemque earum tenere: deinde facultate praeditus sit, necesse est, easdem adplicare negotiis. Priori inseruit *interpretatio*, quae est *facultas vim & potestatem legum ex earum verbis & rationibus eruendi*: Posteriori vero, *dexteritas respondendi, agendi, cauendi, iudicandi.*

## § LXIX.

Interpreta-  
tio est varia.

Quod si itaque *verba legis* cum ratione conueniant, **DECLARATIVA** interpretatio sibi locum vindicat: si *ratio legis* *latius* pateat quam *verba*, **EXTENSIVA**: si *verba* *latius* pateant *ratione*, **RESTRICTIVA**. Vbi vero *in totum* legis ratio cessat, tunc ipsam legem cessare, in aprico est.

Tit. IV.



TIT. IV.

DE

IURE ET POTESTATE FERENDI  
LEGES ECCLESIASTICAS.

§. LXX.

**E** Vista legum ecclesiasticarum necessitate; Connexio  
(§. XLVI. sq.) suppositoque principio, a  
nemine, vt opinor, in dubium vocando, quod  
omnium in Republica viuentium actiones,  
ab Imperante normam accipiant; (§. LI. 1.)  
nunc circumspectum est, quisnam eccle-  
siis normam praescribat? Siue enim vt *Rem-  
publicam*, siue vt collegium consideres ec-  
clesiam; non poterit illa sine norma agendi  
subsistere. (§. XLVI.) Hinc tam secundum  
dogmata Pontificiorum, quam Protestan-  
tium, imo secundum statum Germaniae no-  
strae, de iure & potestate ferendi leges ec-  
clesiasticas, pauca differenda veniunt.

TIT. IV. MEMBR. I.

DE

IURE ET POTESTATE FERENDI  
LEGES ECCLESIASTICAS, IUX-  
TA DOGMATA PONTIFI-  
CIORUM.

§. LXXI.

**D**ixi, 1) Pontificios considerare ecclesiam Recapitu-  
vt *separatam Rempublicam*: (§. II.) ob. latio breuis  
seruauit, 2) hoc dogma eousque progredi, dogmatum  
pontificio-  
rum.

vt hanc separatam Rempublicam in *uniuersalem* & *particulares* diuidere soleant: vel inuant, *uniuersalem Rempublicam ecclesiasticam* sese diffundere in *particulares* ecclesias, quae ceu *minores Respublicae*, vni capiti ita conglutinatae essent, ut vnā *generalem* & *uniuersalem Rempublicam* efficerent. (§. IV.) 3) Monui: *uniuersalem* ecclesiam, *unicum* agnoscere *Imperantem*, qui *Rectores* reliquos ecclesiarum, in partem sollicitudinis, quoad *particulares ecclesias* vocaret; (§. V. & VI.) 4) omnes *laicos*, etiam Reges & Principes, in Republica hac, *subditorum* loco esse: (§. VII. 2.) Denique 5) per *leges superiores* sibi *subiectos* obligare, vt ad praescriptum actiones suas componant (§. XLVII.) adeoque consequitur; 6) *Leges ecclesiasticas* ferri ab his, qui *loco Imperantium* sunt in Republica ecclesiastica.

## §. LXXII.

Definitio  
legum ecclesiasticarum ex  
mente pontificiorum.

Quum vero illi saltem ciues sint Reipublicae ecclesiasticae, qui capiti fideliter adhaerent, & dogmata eius sequuntur; (§. IV. 7) merito ita definitio iuxta Romanensia principia *leges ecclesiasticas*, quod sint: *praecepta communia Imperantis, obligantia ciues Reipublicae ecclesiasticae, vt ad eorum normam, non solum actiones, sed & conceptus mentis componant.*

## § LXXIII.

Axiomata.

Hinc notanda axiomata: I. *Leges ecclesiasticae feruntur a summa potestate.* II. *Continent*



ditarum legum habere, quo *promptum* illis *obsequium* praestetur. 8) vt *laicis* omnibus nuda *parendi* gloria relicta sit. (§. VII. 2. 4. sq.)

## §. LXXV.

Quatenus  
leges eccle-  
siasticae sint  
communia  
praecepta.

Quum praeterea leges ecclesiasticae sint praecepta communia; (§. LXXIII. 2.) consequens est, 1) vt non in *singulas* personas ferantur. (Conf. CXL.) 2) vt, quia salus ecclesiae potissimum in dominatu & affluentia bonorum ponitur, (§. LVII.) eo collineare debeant, vt repraesentatiuae *ecclesiae bene sit*. 3) vt inter leges *scriptas & non scriptas*, nulla sit differentia: sed 4) inter *divinas & humanas* ea intercedat, vt illae mutationis expertes sint; hae vero, pro temporum ratione, *mutationem* recipiant.

## §. LXXVI.

Dirigunt  
actiones &  
conceptus.

Quumque porro omnes ad normam harum legum vitam & conceptus componere debeant; (§. LXXIII. 3.) sequitur 1) vt *universales* omnes in orbe Christianos; sed 2) *particulares*, ecclesiae particularis subditos obligent. (vid. §. CII. seq. & CXIII. seq.) adeo vt 3) nec terrae *Principes* hic exempti sint. (§. VII. 2.) 4) Vt qui vel *ad tempus* in ecclesia particulari commorantur, legi particulari parere debeant, quamdiu ibi viuunt; 5) vt intuitu *credendorum & dogmatum*, superior *leges* dare, & verum a falso discernere possit: (§. XIII. 3) 6) vt subditi in hoc deciso acquiescere, imo 7) Principes ad tuendam eccle.

ecclesiasticam autoritatem, *brachium suum* <sup>De Cap. 32 de iurisdictione</sup>  
commodare debeant. (§. VII. 4.) <sup>Cap. 2. de</sup>

§. LXXVII.

Ex quarto denique axioma ( §. LXXIII. Potestas su-  
4) intelligimus, 1) superiorem leges *exse-* perioris,  
*quitioni* mandare, vel *per se*, vel per *secula-* circa legum  
*rem potestatem* : (§. VII. 4. §.) 2) quosdam *exsequutio-*  
ab obligatione legum eximere, ac *dispensare*, nem. <sup>per</sup>  
nec non 3) *priuilegia* concedere posse. (Conf.  
§. CXLVI. seq.) 4) Discrepare vero eatenus  
leges ecclesiasticas a ciuilibus, quod regula-  
riter *poenas spirituales*, non corporales, infli-  
gant, saltem 5) per corporales productio-  
nem *spiritualis effectus* intendant. (conf. P.  
II. §. CCCL seqq.)

TIT. IV. MEMBR. II.

DE

POTESTATE FERENDI LEGES  
ECCLESIASTICAS, IUXTA PRIN-  
CIPIA PROTESTANTIVM.

§. LXXVIII.

SEd *Collegium* in Republica constituere ec- Connexita-  
clesiam; occurrere etiam in illa reliquo- tis ratio.  
rum collegiorum qualitates, iam obseruau-  
(§. XXII.) Norma etiam opus esse, iuxta  
quam actiones componi debeant, monui.  
(§. XLIX. 2.) Denique quorsum omnis nor-  
ma & ordo tendere debeat? mentem meam  
aperui: (§. LXI. seq.) Sic ordo etiam nos du-  
cit, vt paulo distinctius circumspeciamus,  
quid

*vid. de iurisdictione*  
*de iurisdictione*  
*de iurisdictione*  
*de iurisdictione*  
*de iurisdictione*

quid inter protestantes, circa ius ferendi leges ecclesiasticas obtineat.

§. LXXIX.

Vna summa potestas in Republica.

Fundata est Principis potestas, intra terminos *territorii*, quoad omnes *res ac personas*, ibi existentes, cuiuscunque conditionis & status sint personae. r) Quaelibet enim Respublica *vnam* saltem agnoscit *summam potestatem*, ita vt *biceps Respublica* merito inter *portentia* referri debeat. s)

§. LXXX.

Etiam ratione ecclesiae.

Ecclesiam quod concernit, est quidem illa 1) *societas libera*, respectu ad illa habito, quae *finem* ecclesiarum concernunt: (§. XVI.) Est 2) eatenus *imperii expers*; (§. XXI.) sed quia 3) *collegium* in Republica constituit, instar *reliquorum collegiorum*, (§. XXII. 1.) adeoque sic 4) *moralem* quandam *personam* efficit, (§. LI. 2.) & 5) *ordinem* desiderat: (§. LXI. sq.) non potest non illa 6) ad exemplum singularum personarum & reliquorum collegiorum in Republica existentium, *inspectioni Principis subesse*: (§. LI. & §. LII. 2.) licet, 7) quatenus pro fine habet *procuracionem aeternae salutis*, arbitrio ciuitatis eximenda sit. (§. LII. 1.)

§. LXXXI.

Fundamentum generale, iuris circa sa. ra.

Omnium vero ciuitatum & Rerum publicarum indoles hoc requirit, vt ciuilis auctoritas,

r) HENR. COCCEIUS *diff. de fundat. in territ. potest. Tit. 2. seq.*

s) I. G. REINHARD *de iur. Princ. Germ. circ. sacr. pag. 1.*

ritas, eo curam suam dirigat, ne singuli aut vniuersitates integrae, *publicam securitatem* conuellant, ne *turbas* excitent. Hoc ipsum etiam ecclesiarum intuitu obtinet, (§. LI. 3. 4.) & inde ceu ex limpidissimo fonte, *iura generalia* Principum *circa sacra*, \* optime deriuari possunt. 1)

\* Quam plurimi existere vindices iuris maiestatici circa sacra. Nominandus ante omnes GROTIVS *de iur. summ. potest. circ. sacr.* Hunc post PVFFENDORFFIVM, alii exceperunt, puta, B. THOMASIVS *diff. de iur. Princ. circ. adiaph.* & *diff. de vindic. iur. maiest. circ. sacr.* nec non in dem Recht derer Ewangeltischen Fürsten, in Theologischen Strittigkeiten, qui liber opera & studio ENNONIS RVD, BRENNYSENII prodiit. III. IVST. HENN. BOEHMER *in iur. publ. vniu. part. spec. Lib. II. cap. 5.* & *in diff. de iur. Episc. Princ. Euang.* Iungendus est his IO. CLERICVS, qui in *Parrhasianis*, sub nomine THEODOR. PARRHASE editis, *Tom. II. artic. 3. sect. 3.* & *in Biblioth. Choisie Tom. XI. art. 7.* & *Tom. XXI. Part. I. art. 1.* multa egregia circa hoc argumentum tradit. Addi meretur ANONYMVS in tractatu: von der wahren Kirche (vid. §. XVII. not. X) & alius ANONYMVS, quem tamen scimus esse CAR. FRANC. BVDDEVM, & illum ut amicum honoris causa nominamus, in der Untersuchung des wahren Grundes, woher die Macht eines Fürsten über die Kirche zu leiten. Taceo alios auctores, quos magno

nume-

---

1) PVFFENDORFF *de bab. relig. Christ. ad vit. ein.*

numero nominare possem. Conferri interim  
 potest B. THOMASII *Hist. content. int. Imp.  
 & Sacerd.* in append.

## §. LXXXII.

Descriptio  
 huius iuris.

Describi poterit ius circa sacra, quod sit:  
*summa & suprema inspectio Principis, quam  
 vi iuris superioritatis exercet, & cauet, nequid  
 ab ecclesiis in detrimentum Reipublicae geratur.*  
 Per principem intelligo: *summam potestatem,*  
 qualiscunque Reipublicae forma sit; per  
 sacra vero, *exercitium religionis,* qualecun-  
 que illud sit. (§ XXXIII.)

## §. LXXXIII.

Axiomata.

Exinde haec deduco axiomata: I. Prin-  
 cept exercet in ecclesiam inspectionem, vt  
 in alia collegia in Republica. II. certo mo-  
 do etiam curam religionis gerit. III. Exer-  
 cet haec omnia iure superioritatis.

## §. LXXXIV.

Quousque  
 Principis  
 potestas, in-  
 ruitu eccle-  
 siarum per-  
 tingat.

Quum itaque Princeps in ecclesiam, vt  
 in alia collegia, inspectionem exercent;  
 (§. LXXXIII. 1.) consequens est, 1) vt eccle-  
 sia, ad normam reliquorum collegiorum. de  
*rebus suis disponere possit. \* 2) vt vix maio-*  
*rem auctoritatem* in ecclesiam exercent Prin-  
 cept, quam in reliqua collegia, \*\* licet 3)  
*accuratiorem,* quam in alia, sibi merito vindi-  
 cet, cum ex desidia principum, *hierarchia*  
 nata sit. 4) vt sicuti collegiis modum ponit;  
 ita *coitiones* sacrorum causa *restringere,* imo  
*prohibere* possit. \*\*\* 5) vt tunc, vbi tolerat  
 ecclesiam, *libertatem* in certos & iustos limites  
 redu-

2. d. Fructus  
 in 1. d. de leg. 1. c. 1.





*uiant iuxta eiusmodi modum, quem ad salutem aeternam consequendam necessarium arbitrantur. Quare in talem coetum maior affectanda sit auctoritas, quam in reliquos? ego quidem non penetro. Si maior Principi auctoritas competeret, concedendum foret: hos qui religionis causa conuenirent, maiorum scelerum suspectos esse, ac qui theatra aut forum frequentant. Sed inepta cum sit haec ratiocinatio; firmo stat mea assertio talo. Consentientem habeo in hac, quam propugno, sententia, laudatum iam ANONYMUM, qui meditationes de origine, indole, effectibus atque historia iuris reformandi, concinnauit, utpote qui Part. I cap. II. hanc generalem regulam tradit: *Tantum potest summus Imperans, circa religionem subditorum, quantum salus publica requirit, quantumque uniuscujusque conscientia admittit.* Hanc regulam deinde eadem plane ratione illustrat, ac meae cogitationes loquuntur, licet, quum hae prodierint, in prima elementorum editione, huius eruditissimi viri cogitationes mihi ad manus non adfuerint.*

\*\*\* Loquor de cultu sacrorum publico. De sacris domesticis, nolim haec dicta esse. Potest quidem Princeps priuata collegia & conuenticula reliqua prohibere; sed illa circa negotia ciuilia versantur, & sic simpliciter subsunt dispositioni Imperantis. Pietatis vero & animarum cultura, non aequae Principis arbitrio subest. Hinc libertatem coeundi, Deicolenti causa, primaevi Christiani suo exemplo vindicarunt. Hoc largior: Possit Principem eos, qui peregrinis sacris addicti sunt, non recipere: posse illis, si iam recepti sunt, emigrationem iniungere; (§. XLIV. 10. & 11.) minime vero priuata sacra, quousque eos tolerat, penitus interdiceret.

§. LXXXV.

## §. LXXXV.

Quumque porro Princeps, certo modo curam religionis gerat; (§. LXXXIII. 2.) consequens est 1) ut id fieri debeat *mediis aptis*, x) adeoque 2) iniungere nequeat, quae *credenda* sint; y) (§. LIV. 1. seq.) sicuti enim nec reliquis collegiis praescribit, ut rationia ad sua principia accommodent; cur facere illud posset, intuitu ecclesiae? ego non video. 3) Ut proinde nihil circa *dogmata* innovare possit, dummodo, quod ceu postulatum constituo, nihil *sediciosum* ab eiusmodi coetu doceatur z) (§. LXXXI.) 4) ut rationi & iuris regulis repugnet, *dissentientes* intuitu dogmatum *poenis* afficere, aut 5) *bello & armis* propagare religionem: a) 6) ut tamen integrum sit Principi, oppugnatam religionem *armis defendere*. b) 7) Ut exigente ita necessitate *doctrinam* publicam *determinare* queat, (§. XXIX. \*\*) in quo genuinus modus, decidendi controuersias Theologicas, quaerendus. c) 8) ut cum turbae maxima ex parte

Qua ratio. ne circa ipsam religionem potestate utatur.

E te

- x) B. CASP. ACHAT. BECK *diff. Princ. Christ. aetern. subdit. salut. curat.*  
 y) AD. RECHENBERG *diff. an cuius est regio, illius sit religio?*  
 z) vid. Thomastische Gedanken und Erinner. Tom. II. cap. I. §. 80 seq.  
 a) B. IO. FR. BVDDEVS *diff. de exped. cruciat.*  
 b) AD. RECHENBERG. *diff. de relig. arm. defens.*  
 c) vid. III. BOEHMER *iur. eccl. Prot. Lib. I. Tit. I. §. 19. seq.*

te inde oriantur, quod sentiendi & credendi libertas, intempestive constringatur; *d*) *tolerantiam* maximopere custodire & possit, & debeat; *e*) (conf. §. XLIII. \*\*\* & §. XLV. add. P. II. §. CCCVIII. seq.) haec enim quousque statui civili non est aduersa, recte largitur, & optima est via, conferuandi pacem & quietem, *f*) *g*) vt denique, si tolerare nolit, *emigrationem* iniungere possit, (§. LXXXIV. \*\*\*) nisi *pacta tolerandi necessitatem* imponant *g*) (§. XLIV.)

## §. LXXXVI.

Vtitur  
princeps  
hac potesta-  
te, vi impe-  
rii ciuilib.

Quum denique Princeps talia iure superioritatis exerceat; (§. LXXXIII. 3.) consequens est, *1*) vt *omni Imperanti* haec facultas vindicanda sit, nec Principem ea tuto carere posse. \* *2*) Vt ob eiusmodi exercitium, *non vt caput ecclesiae*, aut *Episcopus*, aut *Papa*, in suis terris considerari queat. \*\* *3*) vt Princeps potius, quatenus ecclesiae accedit, non vt Imperans, sed vt *Christianus*, similia dogmata adprobans, se coetui societ. *4*) vt tamen *qua Princeps* & illorum intuitu, quorum sacris addictus haud est, hoc iure vti possit, dummodo *5*) sese conformet ad *confessionem* huiusmodi ecclesiae; *b*) nec *6*) aliunde

*d*) COLLIN *la liberté de penser librement.*

*e*) Ill. BOEHMER. *diss. de toler. relig. effect.*

*f*) PVEFENDORFF *de hab. relig. ad stat. ciu. §. 49.*

*g*) Ill. BOEHMER *iur. eccl. Prot. cit. l. §. 89.*

*h*) B. BRUNNEMANNVS *iur. eccl. Lib. I. cap. 2. §. 26. conf. Instr. Pac. Art. V. §. 48.*

*Boehmer Confessio*  
*Ref: 17.*

unde eius *potestas restricta* fit. (conf. § XCVII) 7) vt bonus Princeps eo respicere soleat, quo cum potestate sibi competente, simul *officio Principis* satisfaciat, adeoque α) eo respiciat, quo finem ecclesiarum ordinationibus suis promoueat, non impediatur: (§. LIX. seq.) β) ius hoc exercent secundum praescriptum *verbi diuini*: γ) curet, quo tales ecclesis praeficiantur, qui ad monitum Apostoli vitam componere sciunt; δ) vt circumspiciat, ne praefectura pastorum degeneret in *dominatum*: ε) vt licet emigrationem imponere possit, tamen illam non imponat, si tranquille vitam agunt dissentientes. (conf. §. XLIII. & XLIV.)

\* Inde admodum solliciti sunt eruditi, vt ostendant: Principes, & maxime Germaniae Proceres, iam ante Reformationem & Pacem religiosas, *ius circa sacra* exercuisse. Id ipsum de Saxoniae Ducibus, IO. GEORG. REINHARD *in medit. de iur. Princ. Germ. cum prim. Saxon. circ. sacr. ante reform.* de Ducibus Bavarum, Ill IO. PETR. DE LVDEWIG *diff. de Princ. S. R. I. potest. in sacr. ante pac. relig. cap. 3.* de Ducibus Guelphis, B. SIM. FRID. HAHN *in obs. ex iur. publ. med. aeu. §. 8.* demonstrandum sibi sumserunt. His iungendi: GOLDASTVS *in monarch. Imp. & Auctor tractatus de Droits & libertés, de l'eglise Gallicane*, aliique. Possem eadem de REPUBLICA HILDESIENSI asserere & per varia capita demonstrare, quod strenuum assertorem variorum iurium circa sacra iam olim,

δ) 1. Tim. III. 2. seqq.

lim, vbi adhuc catholicae religioni addita erat, egerit. Sed nisi me omnia fallunt, *particulas* saltem, seu *lacinius* quasdam, huius eminentioris iuris, quandoque habuere ante Reformationem Principes reliquique status & liberae ciuitates; potiora vero & plurima, sub nomine *Episcopalium iurium* Clericis instar praedae cessere. Inde forsitan natae non tolerandae distinctiones: inter *iura sacrorum*, & *Episcopalia*: inter *ius circa sacra*, & *jus sacrorum*; quas naenias olim multi Protestantium cecinere, & adhuc illi cantant, qui contra Christi doctrinam, Clero imperium quoddam tribuunt.

\*\* Nesciunt, qui de iure Episcopali, Principibus Euangelicis vindicando, defudant, quid dicant. Inconcinna enim omnia sunt. Iura Episcopalia *dependentia* esse, quis negabit? Quodsi cum STRYCKIO ea *Papalia* dicere velis, & sic incommoda multa adsunt, maxime cum nec haec, *independentia* dici possint. vid. REINHARD *cit. l. pag. 2.* Iura vero circa sacra Principum sunt *independentia*. Deinde qui de Episcopalibus aut papalibus Principum iuribus, inconcinna dogmata fouent, eo ipso *Clericis imperium* tribuunt, quod Principes ab illis acceperint, & *iure* quodam *fiduciario* tenerent; quum tamen Clerici *subditorum* loco haberi debeant, & omnis clericalis potestas, si recte calculum ducis, ex munificentia Principum descendat. Taceo alia incommoda, ex tali insulso dogmate resultantia, iam detecta ab Ill. BOEHMERO in *diff. de iur. Episc. Princ. euang.*

### §. LXXXVII.

Iura circa  
sacra etiam  
collegialia  
sunt.

Haec iura *maiestatica* dici possunt, a quibus merito distinguenda erunt *collegialia*.

Nam

Nam cum ecclesia *collegium* constituat in Republica, (§. XIII.) & ubi ei Princeps accedit, effectibus *corporum adprobatorum* gaudeat, (§. XXII. 7.) immo etiam *privatis ecclesiis*, quae tolerantur, *effectus civiles* denegari nequeant, (§. XLI.) in collegiis vero ea, quae ordinem concernunt, mediante *conventionione* determinare possint; Inde nec ecclesiis iura haec collegialia deneganda erunt. Condent itaque *statuta* per modum pacti, conventionionis, confoederationis, *poenasque* conventionionales adiicient, vt, qui eas declinare cupiat, ex collegio exesse iubeatur. (§. XLIX.\*)

§. LXXXVIII.

Haec cum ita sint, iura *collegialia* circa Descriptio sacra, describi possent: *Conventioniones, ubi per* eorum. *confoederationem quandam expressam aut tacitam, illi, qui ecclesiam constituunt, ea, quae ad finem propositum & ordinem externum conducunt, determinare solent.*

§. LXXXIX.

Ex hac descriptione facile intelliges, huc Enarratio referri potissimum deberi: I. *Doctrinae* quorundam *adprobationem* iurium col- *conventionalem.* II. *Constitutionem & depositionem* legialium. *ministerorum ecclesiae.* III. *Determinationem ceremoniarum.* IV. *Adornationem cultus publici.* V. *Bonorum ecclesiasticorum administrationem.* VI. *Decisionem controuersiarum* per compromissum. VII. *Seiunctionem* a coetu externo, eorum, qui contra confoederationem peccant, aliaque plura. Nimirum quotidie videmus, quod ecclesiae, quibus *privatum*

*tum* faltem religionis *exercitium* competit, his iuribus vti soleant. (conf. §.XLI.) Immo & *publicas* ecclesias, faepius hac libertate gaudere, vel certa *indiuidua* ea pollere, cernimus.

## §. XC.

Qua ratione haec iura principibus inter protestantes, vt plurimum cesserint.

Sicuti vero ecclesia iura sibi competentia certis personis demandare potest; (§.XXII. 5.) ita & integrum illi est, iura haec collegialia, quanta quanta sint, illi resignare, qui ad *clauum Reipublicae* sedet. Inde euenit, quod ea apud Protestantes, plerumque a *Principibus* exercentur. Sicuti enim ante Reformationem clerus haec iura vna cum maiestaticis plerisque, ad se traxerat; sic post Reformationem, vt *maiestatica* (§. LXXXVII.) in sua plenitudine Principibus quasi postliminio restituta fuerunt; ita & *consensu ecclesiarum*, siue *expresso*, siue *tacito*, collegialia iura pleraque his cesserunt. *k)*

## §. XCI.

Axiomata.

De horum itaque collegialium iurium exercitio tenenda axiomata: I. Princeps exercet iura collegialia, quousque illi vel expresse, vel tacite ab ecclesia concessa. II. Exercitium suum ita moderatur, prout salus ecclesiae subinde id requirit.

## §. XCII.

In quo exercitium horum iurium se potissimum exerat.

Ex primo itaque colligo: 1) Possesse Principem condere *formulam fidei*, (§. LXXXIX. 1.) non

*k)* III. DE LVDEVVIG *diff. de praecipuo Princ. Euang.*



non vt a singulis conceptus iuxta illam efformentur, sed vt de *doctrina publica* constet. \*

2) competere illi ius *constituendi ministros* ecclesiae, maxime illos, quos Episcopus seu *Superintendentes* dicimus, (§. CCLVI. *seqq.*) rursusque 3) *exuendi* eos dignitate: (§. LXXXIX. 2.) 4) Adornare & mutare *ceremonias*, (§. LXXXIX. 3.) pariter ac 5) ipsum publicum *cultum* (§. LXXXIX. 4.) & *festos dies*: (§. DCXXI.) 6) Sibi vindicare supremam inspectionem, quoad *bona ecclesiastica*: (§. LXXXIX. 5. & §. DCCCXLI.) 7) Dirimere *controuersias* omnes, (§. LXXXIX. 6.) etiam Clericorum, maxime cum ipsa summa potestas, qua splendet, id largiri soleat: (conf. §. LXXXIV.) 8) Cognoscere, vtrum quis *exclusionem* a coetu dignus, an alia ratione coercendus sit: (§. LXXXIX. 7. add. §. XXXVI. 4. & P. II. §. CCCLXVIII. 7.) 9) quod & tunc, vbi ipsa ecclesia aut alia persona iura collegialia exercet, *prouocatio* ad Principem, in casu controuerso integra sit, vt hic cognoscat, vtrum iuxta conventionem exercita fuerint iura, nec ne?

\* Nisi pacta obstant. (conf. §. XXIX. 2.) Haec vero formulae concinnatio, differt a *determinatione* doctrinae controuersae, de qua supra (§. XXIX. \*\*) diximus.

### §. XCIII.

Ex posteriori colligo: 1) Principem *cre-* Qua ratio-  
*denda per modum legis nec iniungere debere,* ne iuxta sa-  
*nec posse.* §. LXXXV. 2.) 2) *Debere illum* lutem ec-  
*curare, vt dignissimi ecclesiis praeficiantur,* clesiae, ex-  
erceri de-  
beant.

qui requisitis Paullinis instructi, a vitiis alieni, & pacis studiosi, sunt: 1) nec ecclesiis inuitis, facile *ministros obtrudere*: 3) ignoscere ministris, si intellexerit *dolum* abesse a facinore, & spes sit, ad frugem eos redire, vbi peccarunt: 4) *ceremonias* & alia, quae ad *ordinem* (conf. §. LXII. seq.) spectant, in *mliorem formam* quo mutantur, sedulo allaborare, maxime si Papatus schema redolent pristina instituta, aut *vero* ecclesiarum *fini* (§. LIX. seq.) impedimento sunt: nullum tamen 5) ritum, *vi* mox *obtrudere*, sed potius curare, vt sensim sensimque populus in sermonibus publicis desuper instruatur: 6) *ferias* illum potius diminuerere, quam augere: *m*) 7) vix sibi praedae instar vindicare *bona ecclesiae*, sed potius de *augmento salariorum*, ministrorum ecclesiae sollicitum esse. *n*) 8) Vbi a sacris subditorum diuersus est, recte vel *ipsi coetui* diremptionem ecclesiasticarum controuersiarum relinquere: vel per *eiusdem religionis* consortes, eas decidere; 9) Exclusioni a coetu fidelium merito eum modum ponere, cohibereque potius, quam permittere: denique 10) iura *collegialia*, (§. LXXXIX.) si coetus aut alius illis gaudeat, facta tecta potius illa seruare, quam ea minuere.

Tit. IV.

1) conf. REU. C. M. PFAFF *diff. de vitiis eor. qui sacr. oper.*

m) I. S. STRYCK *diff. de iur. Sabbati.*

n) B. THOMASIVS *diff. de iur. & off. Princ. circ. aug. Salar. ministr. eccles.*

## TIT. IV. MEMBR. III.

## DE POTESTATE FERENDI LEGES ECCLESIASTICAS, IVXTA STATVM GERMANIAE.

## §. XCIV.

**D**ixi: Ius circa sacra cuique Imperanti competere, intuitu Reipublicae, cui praeest, eumque vi huius iuris praecauere, ne quid in ecclesia fiat, in praeiudicium Reipublicae. (§. LXXIX. seq.) Sed qua ratione circa sacra versari debeat? ex *sine religionis & ecclesiarum* dependet, & inde quoque aestimari debet: id quod iam passim inculcaui. Superest, vt per indicem, quid iura publica Germaniae nostrae disponant, haecenus dictis adiiciam.

Connexio.

## §. XCV.

Ius circa sacra, leges imperii fundamentales potissimum ex *iure territorii* deducunt. Hinc itaque 1) in thesi competit omnibus *statibus imperii*, o) & quum ius territorii supremam in politicis potestatem inuoluat, 2) etiam *ciuitatibus immediatis*, p) & 3) *liberae Imperii nobilitati*. q) \* Imo si 4) catholicorum statuum *domestica principia*, Statibus huic religioni additis hoc ius non adimerent, non posset non illis pari ratione ac Protestantibus

Fons iuris circa sacra, iuxta leges publicas Germaniac.

E 5

com.

o) Instr. Pac. Art. V. §. 29. 30. 39. &amp; 43.

p) *Ibid.* §. 29.q) *Ibid.* §. 28.

competere. Interim tamen 5) in *iure reformandi* (§. XLIV. \*) laciniam quandam, ex hoc eminentiori iure possident. Quod si 6) ius territorii dubium sit, vel iam in anno MDCXXIV. dubium fuerit, ad *possessorem* dicti anni respicitur, ut ille hoc ius exercere queat r) 7) competit illud possessori *territorii oppignorati*, s) \*\* ita tamen ut 8) facta *reluicione*, ius sacrorum in debitorem transeat, cum plena & libera potestate, suae religionis exercitium publice introducendi t) 9) *sola qualitas feudalis, vel subfeudalis vel dominium directum, vel criminalis iurisdictio, vel ius patronatus, vel ius Aduocatus*, ius sacrorum haud inferunt. u) Deniq; 10) obseruandum est, in exercitio huius iuris respici: num Princeps *religionem eandem, vel diuersam* a subditorū religione, foueat? Priori casu, si nullum pactum cum statibus prouincialibus obstet, *libere* hoc ius exercet, quatenus scilicet *finis religionis* hoc admittit, & ratio Reipublicae suadet; Posteriori casu, contra *statum anni MDCXXIV.* nil mutare poterit, nec subditis aliquid iniungere, quod *confessioni & conscientiae* repugnat. w) (conf. §. XLIV.)

\* Liberae quidem imperii nobilitati, ius territoriale in sensu proprio non competit, quum illud  
in

r) Instr. Pac. Art. V. §. 43.

s) Ibid. Art. V. §. 25.

t) Ibid. Art. V. §. 27.

u) Ibid. Art. V. §. 42. 44. & 46.

w) Ibid. Art. V. §. 31. & 48.

in suo complexu & ambitu, non teneat. Ple-  
raque tamen quum iura territorialia habeat, &  
*immediate ab imperio* dependeat, merito illi  
hoc ius vindicatum fuit.

\*\* Qui oppignorationes Imperii modulo iuris  
communis dimetiuntur, dicunt: penes cre-  
ditorem esse *utile*, penes debitorem *directum*  
*dominium*. conf. STRAVCH *de oppign. Im-*  
*per.* Sed pignoris Germaniae ea fuit indoles,  
ut *dominium* in creditorem, sed *reuocabile*  
transfulerit. vid. B. GVNDLING *de iur. oppign.*  
*territ.*

### §. XCVI.

Quantum 1) ad status catholicos attinet, De iure  
illi ex suae religionis principiis, iura circa Dioecesa-  
sacra, ex superioritate territoriali proma-  
nantia, tenentur *Dioecesano*, seu Episcopo,  
cuius sacro imperio prouincia addicta est, re-  
linquere. (conf. §. CCXLVIII.) Sed quan-  
tum 2) ad Status protestantes, ius hoc dioe-  
cesanum *suspensum*, immo penitus *sublatum*  
& *extinctum* est. x) \*

\* Conditio enim, sub qua suspensio haec resolu-  
queat, moraliter est impossibilis. Suspensio  
autem iuris perpetua, potius sublatio est, quam  
suspensio. Hinc etiam cautum in Instr. Pac.  
*Art. V. §. 14. in fin.* perpetuam pacem esse de-  
bere, si vel maxime de religionis dissidiis, ami-  
cabiliter conueniri nequeat. Hoc posito,  
frustranea sunt omnia, quae de *iurium episco-*  
*patum reuiuiscencia*, in medium proferuntur.  
conf. MVLLERI *disp. de reuiuisc. iur. Episc.*  
*in terr. protest.*

### §. XCVII.

x) vid. Instr. Pac. *Art. V. §. 48.*

## §. XCVII.

De iurisdictione, statuum catholicorum ecclesiastica in subditos protestantes.

Quantum ad *iurisdictionem ecclesiasticam* catholicorum, intuitu subditorum protestantium, sciendum est, 1) rem omnem dimensurandam esse, ex statu *anni decretorii*, vtrum scilicet anno MDCXXIV. Episcopi iurisdictionem ecclesiasticam exercuerint, nec ne? γ) \* 2) si illam exercuerunt, subditi in omnibus illis, quæ *Augustanam confessionem* non concernunt, *iurisdictioni subsunt*, modo ipsis occasione processus nil iniungatur, confessioni & conscientiae repugnans. z) \*\* 3) Si Episcopi talem iurisdictionem non exercuerunt, relinquendi sunt subditi in *eo statu*, in quo *An. MDCXXIV.* fuerunt & si tunc *proprium consistorium* habuerunt, illi porro subiunt. a) 4) Haec consistoria sunt *immutabilia*, ita vt territorii Princeps ea tollere nequeat: \*\*\* quin quod 5) nec causas ecclesiasticas inde *auocare*, sed 6) saltem eo casu, si *vt suspectum recusatur*, auctoritate sua *iudicium extraordinarium*, quoad causam illam, per delegatos protestantes, instruere possit: sic & 7) vbi de *protracta* vel *denegata iustitia* querela deferatur, illi saltem integrum sit, de *formalibus*, vel de *puncto denegatae iustitiae* cognoscere, neutiquam vero de *materialibus*. 8) Denique notandum, ea-  
tenus

γ) Instr. Pac. Art. V. §. 31. & 48.

\* Ibid. Art. V. §. 48. in fin.

a) Ibid. Art. V. §. 31.

tenus non respici ad *diem primam Januarii*, dicti anni decretorii; sed sufficere, si *quacunque anniparte*, in libertate subditi fuerint.

\* Nouissime, & quidem in Annis MDCCXIV. & sequentibus, in imperio nostro disputatum fuit: V. rum, & quousque iurisdictio ecclesiastica, Principi catholicorum sacris addicto, in subditos Augustanae confessionis competat? Acta quaedam huc pertinentia, vna cum responso desuper confecto, exhibet FABER in *der Staats-Ordnung*, Tom. XLVII. art. 12. Tom. XLVIII. art. 10. Tom. XLIX. art. 14. Principes seculares, catholicae religioni addicti, in anno decretorio ne quidem intuitu suae religionis consortium iurisditionem ecclesiasticam exercuerunt: sic multo minus erga Protestantes illa vti potuerunt. Immo, iuxta Principia iuris canonici, *sacrilegium* committerent, si sibi talem iurisditionem vindicarent.

\*\* Sic v. g. subditi Protestantes cogi nequeunt, vt eisdem *ferias* cum Pontificiis celebrent: vt *Calendarium Gregorianum* agnoscant: vt coram *venerabili genua flectant*: vt in feriis catholicis ab *operis manualibus abstineant*; & quae sunt alia.

\*\*\* Sane haec consistoria non sunt aestimanda ex illis regulis, secundum quas Principum Protestantium consistoria diiudicari solent. Nam eodem modo ab Episcopo catholico, licet Dominus territorii sit, dependere nullatenus possunt vti reliqua protestantium consistoria a Principis Protestantis dispositione dependent, quia *diuersitas religionis* hoc non patitur. Sic a talibus consistoriis, ad Episcopum catholicum prouocari & adpellari nequit, ne per indirectum *causae ecclesiasticae protestantium*,  
iuris-

iurisdictioni Episcoporum, contra statum anni decretorii subiicerentur. *conf.* Antiuindic. Hildesiens.

§. XCVIII.

De iure  
protestan-  
tium inter  
se.

Protestantes vbi intuitu catholicorum considerantur, *duae* saltem *religiones*, adeoque & *duae* saltem *partes*, catholicorum puta, & *protestantium*, in Imperio occurrunt. *b)* \* vbi autem *inter se* considerantur, *duas partes* faciunt, & hinc subditis, quatenus a territorii domino dissentiunt, prospectum fuit. Hinc sciendum: 1) respiciendum hic esse ad *pacta* cum subditis inita, vel ad *privilegia* indulta, aut ad exaratas *reuersales*; quum catholicos inter & protestantes, sola *obseruantia anni decretorii*, norma normans sit. *c)* 2) Saluam inter hos relinquendam, *conscientiae libertatem*, quae iuxta principia olim a protestantibus, contra catholicos defensa, attamen longe aliter comparata esse debet ac illa, quae a catholicis statibus sperari potest. 3) Sic exfulare *coactionem*, adeoque vbi subditi ad sacra reformata transeunt, aut ad Lutherana, *emigratio* (§. XLIV. II.) *iniungi nequit*. 4) Singulariter prospectum esse Augustanae Confessionis confortibus in *Palatinatu*, quorum status iuxta annum MDCXXIV, iudicatur; *d)* Reformatorum autem iuxta annum MDCXVIII. *e)* 5) in caeteris prouinciis, *extra*

*b)* Instr. Pac. Art. VII. §. 1.

*c)* Ibid. Art. V. §. 33. Art. VII. §. 1.

*d)* Ibid. Art. IV. §. 19.

*e)* Ibid. Art. IV. §. 6.



*tra Palatinatum*, intuitu Reformatorem ille status respiciendus, qui fuit tempore *pacis conditae*, puta anno MDCXLVIII. f) 6) Si Princeps Protestantium religioni addictus, territorium diuersae religioni addictum, iure *successionis* consequatur, vel ad *alteram* protestantium *partem transferit*, subditis nec templa aut scholas aut alias domus religiosas adimere potest, nec suae confessionis ministros obtrudere. 7) Integrum tamen illi est, publicum suae religionis exercitium, in *residencia* introducere. \*\* g) 8) *Communitas*, quae religionem Domini sui amplectitur, *exercitium* illius, suis sumtibus, sine praeiudicio reliquorum, introducere ita potest, vt ne quidem a *successore* diuersae religionis, *tolliqueat*, modo visitatores sacrorum, consistoriales, publici Professores, statum priorem non amittant. b) 9) *Leges ecclesiasticas* in casibus sub nr. 6. & 7. adductas, *mutari* non posse, nisi cum *consensu* Statuum prouincialium. i) Inde nec 10) subditis inuitis, noua *formula confessionis* obtrudi poterit. (§. XCII. \*)

\* Olim Euangelico-Lutherani, Reformatos a suo consortio excludere voluerunt, immo adhuc tempore Pacificationis Westphalicae, in ea sententia persisterunt. Sed cessauit postea Zelus indiscretus. Hodie enim non solum

f) Instr. Pac. Art. VII. §. 1. verba: *de praesenti*.

g) Ibid. Art. VII. §. 1.

b) Ibid. Art. VII. §. 2.

i) Ibid. Art. VII. §. 1.

coniunctim *corpus Evangelicum* in comitiis constituunt; sed & nomine *der beyderseits Augspurgischen Confessions-Verwandten*, in scriptis publico nomine euulgatis, veniunt.

\*\* Quidam verba *Pacificationis de priuato aulae exercitio* intelligunt; sed perperam. Vox quippe *Residentiae*, nil aliud quam *totam urbem Principalem* denotare potest.

### §. XCIX.

De termino decretorio.

Restat, vt pauca adiciam de *termino decretorio*, cuius hinc inde mentionem feci. Ita vero dicitur *tempus, secundum quod in causis ecclesiasticis status rerum, ex placito illorum, qui Pacificationem Westphalicam inierunt, diiudicari debet*. Sciendum proinde 1) duplicem esse hunc terminum, α) ex *capite amnestiae*: \* β) ex *capite grauaminum*. \*\*

\* Effectus huius termini est: vt omnia restituantur, in eum statum, quo ante motus Bohemicos, seu MDCXVIII. fuerunt, qui annus prima belli initia constituit.

\*\* Hic intelligantur grauamina, pendente bello, catholicos inter & Protestantibus orta, postquam edicto Ferdinando, Anno MDCXXIX. publicato, bona ecclesiastica Protestantibus adempta fuerunt, vtvt in motibus Bohemicis, nullas partes habuerint, nec illis se immiscuerint.

### §. C.

Differentia  
vtriusque  
termini

Tenendum itaque: 1) Restitutionem ex *capite amnestiae*, fieri iuxta statum anni MDCXVIII. *saluis iuribus cuiusuis tertii*, & praeterea, *salua restitutione ex capite grauaminum*. k) 2) Hunc terminum obtinere tam inter

k) Instr. Pac. Art. III. §. 1. & 2.

ter *diuersae* quam inter *eiusdem religionis* confortes. l) 3) Sed restitutionem ex capite *grauaminum*, *ius irreuocabile* tribuere, *limitare* priorem restitutionem, & obtinere saltem inter *diuersae religionis* confortes. m)  
 \* 4) distinguendum tamen esse: utrum de *immediatis* an *mediatis* quaestio occurrat? Priori quippe casu, praecise attenditur *dies criticus*, anni MDCXXIV. puta, *primus Ianuarii*; n) posteriori autem, puta ubi de *subditis mediatis* quaestio est, ad quamcunque partem dicti anni respicitur. o) His obseruatis, facile est intellectu, quatenus facultas, leges ecclesiasticas ferendi, superiori libera, restricta & adempta sit.

\* Quantae disceptationes intercesserint, donec tandem talis terminus restitutorius paciscentibus placuerit; ex Generosi de MEIERN, quem denuo honoris causa nomino, *Actis Pac. Westph.* disci poterit.

## TIT. V.

DE

### LEGIBVS ECCLESIASTICIS.

§. CI.

Vidimus, penes quem, iuxta diuersos de *Connexio.* ecclesia conceptus, sit potestas, leges ecclesiasticas ferendi: (§ LXXI. seqq.) Obseruauimus ex mente Pontificiorum, *vnam esse*  
 F *eccle.*

l) HENR. COCCEIUS *diff. de Amnestia.*

m) *Instr. Pac. Art. V. §. 2. seq.*

n) *Ibid. Art. V. §. 2. 14. 20. 23. 25. 26. 29.*

o) *Ibid. Art. V. §. 31. 32.*

*ecclesiam catholicam, unum dari Episcopatum oecumenicum, reliquis vero praelatis portionem saltem gregis commissam esse: (§. III. 1. §. IV. 3. 4.) & sic leges ecclesiasticas ab illis ferendas esse, qui sunt Imperantes in Republica ecclesiastica. (§. LXXI. 6.) Aliam tamen esse rationem societatum ecclesiasticarum, inter protestantes: (§. LXXVII. seqq.) Immo propria & peculiaria habere instituta, ecclesias in Germania; (§. XCIV. seqq.) adeoque quae leges tam in vniuersa catholica ecclesia, quam inter Protestantes, sigillatimque in Germania, inter adprobatas religiones obtineant; circumspiciendum erit.*

## TIT. V. MEMBR. I.

### DE LEGIBVS, QVAE IN VNIVERSA CATHOLICA ECCLESIA OBTINENT.

#### §. CII.

Quare & quatenus, 1) Biblia sacra legem ecclesiasticam faciunt?

**I**am obseruauit, Biblia sacra, constitutiones conciliorum vniuersalium, constitutiones Pontificum generales, traditiones Apostolicas, obseruantiam ecclesiae Romanae, constituere leges ecclesiasticas. (§. LXXIV. 1. sqq.) Sed de his aliisque, quae *normae* instar in vniuersa catholica ecclesia obtinent, nunc plenior paulo differendi occasio adest. I. *Biblia* itaque *sacra*, propterea *vniuersalibus legibus*, iisque palmariis, annumerantur a) quia

quia inde *iura sacerdotalia* (§. CLXVI. \*) Clero vindicari debent: β) *regulae virtutis & amoris* remediis coactiuis inculcari possunt; γ) Laici, quibus interpretatio scripturae prohibita est, cleri explicationes instar oraculorum venerari, obstringi queant.

## §. CIII.

II. Legibus vniuersalibus, propter vni-  
 uersale Imperium, quod Apostolos in eccle-  
 sias exercuisse perhibent, accensent *traditio-  
 nes Apostolicas*. Vtrum vero aliquid ex Apo-  
 stolica traditione deriuandum sit, exinde di-  
 iudicandum arbitrantur, si vniuersa ecclesia  
 institutum teneat, semper illud retentum,  
 nec tamen conciliis institutum fuerit. p) Re-  
 liquias varias ex eiusmodi traditionibus, in  
 sic dictis *canonibus & constitutionibus Apostoli-  
 cis*, aliisque scriptis, occurrere, etiam Prote-  
 stantes nonnulli pro vero adsumunt. q)

2) constitu-  
 unt Legem  
 vniuersi  
 constitut.  
 Apost.

## §. CIV.

III. Huc referunt sanctiones *conciliorum* 3) *constitutio-  
 vniuersalium*, potissimum Nicaeni, Constan-  
 tinopolitani, Ephesini, Chalcedonensis, Sed  
 quantum ad *disciplinam* ibi determinatam,  
 passim ab illa recessit ecclesia Pontificia.  
 Interim tamen docet, 1) conciliorum vniuer-  
 salium canones vbique esse obseruandos:  
 2) *particularium* autem sanctiones, extra di-

3) constitut.  
 concil.  
 vniuers.

F 2

oece-

p) PETR. DE MARCA *de conc. sac. & Imp. Lib. VI.*  
*cap. 7. §. 1.*

q) CONF. GVIL. BEVEREGIVS *in cod. can. primit. eccl.*

oeceſin vel prouinciam, non protendere obligationem: poſſe tamen 3) alias eccleſias talia decreta *recipere*, & ſe illis *ſubiicere*: immo 4) ex *adprobatione Pontificis*, expreſſa aut tacita, legum eccleſiaſticarum vniuerſalium vim accipere: 5) particularia concilia, *arbitraria poteſtate* non gaudere, in *diſciplina eccleſiaſtica corrigenda*. \*

\* Ad legum eccleſiaſticarum originem, vim pariter ac poteſtatem, rationemque cognoscendam multum facit ſtudium conciliorum. Ad hoc rite inſtituendum conducit opusculum, magno cum iudicio, nec minori labore concinnatum, quod titulum praefert: *Traité de l'etude des conciles & de leurs collections*. Auctorem agnoſcit SALMONIVM, Doctorem ac Bibliothecarium Sorbonae Pariſienſis. Exponit in hoc libro vir eruditiffimus vtilitatem, quae ex conciliorum ſtudio redundat: recenset collectiones conciliorum & antiquiores & recentiores, illaque ad examen criticum reuocat: denique rationem, qua ſtudium conciliorum inſtituendum ſit, praefcribit. Conciliorum *generalium collectionum* notitiam dedit celeb. FABRICIVS in *Bibl. Graec. Tom. XI. pag. 113.* & laudatus modo SALMONIVS tredecim collectiones generales numerat, & ſumma cum induſtria *particulares* conciliorum, in hac vel illa regione habitorum, *collections* enarrat, & dehinc *Epitomatorum* conciliorum mentionem facit. Ex collectionibus generalibus, vltimam facit *Harduinam*, ſed poſtea nouam adornauit NIC. COLETVS, Venetiae, quae ſi ad finem eſt perducta, prioribus cunctis palmam praeripiet. Concilium Lateranenſe An. MDCCXXV. ſub auſpiciis Benediſti XIII. celebratum, iuxta exemplar Romanum, Auguſtae Vindelic. prodiit An. MDCCXXVI.

MDCCXXVI. sub Titulo: *Concil. Roman. in Basil. Later.* celebr. Ao. 1725. a *Sanct. Patr. ac Dom. Benedict. XIII.* vnde conspicere licet, decretalium ordinem, Pontificem in conficiendis suis decretis, ante oculos habuisse. Prodiit etiam de hoc concilio Reu. IO. GEORG. WALCHII *Commentatio*, in qua vir eruditus etiam de naevis huius concilii differit.

### §. CV.

IV. Pontifices, vt *Christi vicarii, & visibilia capita* ecclesiae Catholicae, suis *constitutionibus* vim legum vindicant. Eatenus autem vniuersam ecclesiam obligant, quatenus 1) vel *generales*, vel 2) ab omnibus Episcopis in suis dioecesibus *publicatae*, vel 3) vsu *receptae* sunt.\* Sed 4) satellites ecclesiae Romanae in ea versantur sententia, Pontificem ceu oecumenicum Episcopum, regulariter omnibus, legem suis edictis imponere.\*\*

4) Constitut.  
Pontif.  
generales.

\* Galli sane eam propugnare solent doctrinam: Pontificum decreta non aliter obligare, quam ex *publicatione* aut *receptione*. vid. PETR. DE MARCA *de conc. sacerdot. & Imp. Lib. II. cap. 16.*

\*\* Continentur Pontificum constitutiones in *Bullario Magno*. Nouissima huius operis editio prodiit An. MDCCXXVII. & exhibet constitutiones a Leone M. vsque ad Benedictum XIII. Primam collectionem instituit LAERT. CHERVBINVS, non publico, sed *privato ausu*. Auspice tamen Sixto V. in lucem edidit. Denuo opus prodiit sub Paulo V. Posthaec Filius Laertii, ANGELVS MARIA CHERVBINVS, Monachus Cassinensis: dehinc ANGELVS A LANTVSIA, & IO. PAVL. A ROMA, Ord. minor. S. Francisci, iteratam editionem adornarunt. Tandem nouissima,

de qua dixi, prodiit editio, nouem voluminibus constans. Sex priora volumina continent constitutiones Pontificum, vsque ad Clementem X. Septimo & Octauo Tomo exhibentur Bullae Innocentii XI. Alexandri VIII. Innocentii XII. Clementis XI. Innocentii XIII. & Benedicti XIII. huiusque illae, quae vsque ad tempus editionis prodierunt. Nonus Tomus promittit omnes constitutiones, in prioribus editionibus praetermissas, vna cum reliquis Benedicti XIII. constitutionibus, post publicationem octauo Tomi exaratis. Bulla sumitur pro *sigillo*, quod chartis appensum est. Hinc *Bullator* designat *sigillatorem*: *bullare* vero idem est ac *sigillare*, e contra *dispullare* idem denotat ac *sigillum auellere, dissigillare*. Hinc litterae bullatae, i. e. *sigillo adpenso munitae*. Inde ipsa *diplomata*, sigillo siue bulla munita, *Bullarum* nomen acceperunt. Sigilla autem, siue Bullae, vel ex auro, vel argento, vel plumbo, vel cera, conspiciuntur. *Plumbea Bulla* vtitur Pontifex, vel ideo, quod *Petrus*, cuius se successorem perhibet, coeco eleemosynam petenti dixerit: *argentum & aurum non est mihi. Act. III. 6.* vel ideo, quod nimia *parsimonia* uti velit. Pro plumbo tamen aurum accipit, & sic in Chymica arte *adeptus* dici meretur. Non omnibus vero constitutionibus & rescriptis plumbum adiungit, sed *Brenia* Apostolica plumbo caret. Differunt vero Breuia a Bullis, 1) quod Bullae in *membrana*, Breuia regulariter in *charta*: 2) illae in causis *gravioribus & arduis*, veluti in collationibus & confirmationibus beneficiorum, personatum & dignitatum ecclesiasticarum; haec in negotiis *minoris momenti*, veluti causis iustitiae, dispensationum, indulgentiarum, expediuntur. 3) Quod Bullis *subscriptio* Pontificis & *plumbeam sigillum* adponatur; Breuia vero saltem *cera rubra*, & annu-



lo *Piscatoris* signata, a solo *Secretario* subscripta, sub tali clausula expediri soleant: Dat. *sub annulo Piscatoris* die — anno — *Romae apud Scum Petrum Pontificatus ann.* — conf. HENR. GVNTH, THVLEMARIVS de *bulia aurea, argente. plumb. & cer. cap. 1. §. 8. seq. cap. IV. §. 15. seq. add. B. HEINECCIUS de sigillis pag. 28. 48. 49. 52. 142. seq. 148. B. IO. ANDR. SCHMID de annul. Pastor.*

## §. CVI.

V. *Dicta sanctorum*, licet nil aliud, quam doctrinas & opiniones Doctorum ecclesiae contineant, horum vero opiniones leges haut sint; eatenus tamen vim legum nanciscuntur, quatenus 1) in *codicem* legum, vniuersaliter obligantium, transferuntur; vel 2) *Pontificis consensu*, expressio aut tacito, colliguntur. Inde Decreti, a GRATIANO collecti, auctoritatem, multi arcessunt, (Vid. praefat.)

5) Quatenus dicta sanctorum vniuersales leges constituent.

## §. CVII.

VI. Ob oecumenicum Episcopatum, quem ecclesia Romana tenet, multum etiam *observantiae & consuetudini* huius ecclesiae tribuitur, quia reliquae, certe occidentales, ad hanc, tanquam ad *normam & exemplar*, respicere solent. Hoc quum potissimum ratione *ordinis*, seu rituum & Liturgiae, contingat; mirari nemo debet, *ordinem Romanum* per totum fere catholicum orbem, liturgiae & rituum normam constituere.\* (conf. §. DCXI. 3.)

6) & observantia ecclesiae Romanae.

- \* Antiquissimus liber, qui de liturgia & ritibus ecclesiae Romanae agit, dicitur: *Ordo Romanus*. Antiquitas huius libri ad minimum ad tempora Gregorii M. ascendit. Eruditis observationibus hunc ordinem illustravit MABILLON in *Musco Ital. Tom. II. post cap. XXI.*

### §. CVIII.

7) nec non  
symbola.

VII. Quum leges ecclesiasticae etiam conceptus dirigant, credendaque & dogmata, per modum legis determinare soleant; (§. LXXVI. §. seq.) hinc videre licet, quare *symbola fidei*, \* potissimum illa, quae in conciliis vniuersalibus fabricata fuerunt, in legum censum veniant. Potissimum huc referunt: *Apostolicum, Nicaenum, Athanasianum, Tridentinamque Professionem.* (Vid. §. CXXIV. sq.)

- \* Habent quidem antiquitatem symbola; nulla tamen de illis vestigia in *sacris litteris* occurrunt. *Singuli* professiones fidei edebant. Hunc morem postea *integrae ecclesiae* imitatae sunt. Per modum *legis* vero tunc demum omnibus obtrusa fuerunt, vbi Imperantes *brachium* suum doctoribus commodarunt. conf. Reu. IO. GEORG. WALCHIVS, quem, vt amicum, honoris causa nomino, in *introd. ad. libr. symb. eccl. Luther. in proleg.*

### §. CIX.

8) Stilus curiae  
Romanae.

Sicuti obseruantia & consuetudo. ecclesiae Romanae, aliis ecclesiis normam & exemplar suppeditat; (§. CVII.) Sic etiam VIII. *Stilus curiae Romanae*, in catholica ecclesia, in *subsidium* saepius vocatur. Consistit quidem

dem stilus eiusmodi potissimum in *formula* illa *iurisprudencia*, quam curiales adhibere solent, in negotiis expediendis; r) sed non raro etiam omnia ea, quae in Pontificis tribunalibus expediuntur, quoad *materialia*, alibi tantae sunt auctoritatis, vt leges particulares vel vincant, vel modificent, vel limitent, vel restringant. Hinc magnae auctoritatis sunt *Decisiones Rotae Romanae*. \* Deinde praxin *Datariae*, \*\* regulas denique & obseruantiam *cancellariae* Pontificiae, \*\*\* *normae* instar, non raro regna & prouinciae, sedi Romanae addictae, habere solent.

\* In Tribunali, quod *Rotae Romanae* nomen gerit, expediuntur omnes caussae *contentiosae ac forenses*, atque adpellantur: *caussae sacri Palatii Apostolici*. Caussae vero *minus contentiosae*, quae versantur circa generalem ecclesiae administrationem, cardinalibus (vid. §. CCLXXXVIII. sq.) a Papa commissae sunt, & vocantur: *consistoriales*, a loco in Palatio Apostolico, vbi Cardinales ad dirimendas illas caussas conuenire olim consueuerant. (s. CCXCI.3.) Sunt, qui contendunt, cum ipsis Pontificibus natum hoc Tribunal, *Assessoribus*que illius olim nomen *seniorum*, postea *Consiliariorum* & *Decurionum Reipublicae*, dehinc *Cubiculariorum*, mox *Capellanorum*, immo *Magistrorum* ecclesiae Romanae gessisse. Nunc vocantur: *Auditores Rotae*. Vnde denominatio descendat? variae prostant variorum opiniones. Coniectura, quam DOMIN. BERNINVS, qui historiam huius dicasterii delineauit, sub titulo: *Il Tribunale*

r) vid. CORVINVS *iur. can. Lib. I. tit. 1. §. 26. & 27.*

della S. Rota Romana, pag. 13. seq. adfert, admodum probabilis est. Putat quippe ideo denominationem inualuisse, quia in Auditorio Palatii causas ad se delatas audiuisent, quae causae iuxta antiquam consuetudinem, in Rota, seu rotula, hoc est, volumine in orbem & formam ROTAE complicato, scriptae fuissent. Sacram propterea dici Rotam, quod Pontificis tribunal forense sit: Romanam vero, ut distingueretur ab aliis Rotis, alio tempore in aliis ciuitatibus institutis, velut Bononiae & Ferrariae. Numerus Auditorum ad XII. ascendit, ita ut tres ex illis sint Romani, duo Spani, vnus Germanus, Gallus, Venetus, Bononiensis, Mediolanensis, Florentinus & Ferrariensis. Germanum Imperator nominat ac eligit, Gallum Rex Galliae, Spanos Rex Spaniae. Veneti quatuor Doctores e sua gente, Mediolanenses vero tres denominant, quorum vnus a Pontifice eligitur. Reliquos Pontifex iuxta proprium arbitrium constituit. Qualitates, quae in illis desiderantur, huc redeunt, ut sint Doctores, qui famam iam ad minimum ex triennali lectione iuris consequuti fuerint, commendati de vitae ac morum honestate, legitimi, nec bonis temporalibus destituti. Disputant ante receptionem publice, in cancellaria Apostolica, in Cardinalium, Praelatorum, curialium aliorumque doctorum hominum corona. Tunc secretum examen, a Cardinali Vice-Cancellario (vid. Schol.\*\*) instituendum, sustinent. Probari ita a Cardinali Camerario, de mandato Papae, rochetum, cappam & birettum accipiunt. Tandem in Auditorium Rotae introducitur Candidatus, vbi Decanus illi os claudit, silentiumque imponit: in proxima vero Rota, os rursus aperit, adiectis verbis: esto Auditor. Hinc accipit Benedictionem Papalem. Tres sunt

sunt hodie auditorum classes. In singulis quatuor sunt Auditores. Vnus proponit causam, & propterea nomen *Ponentis* accipit, reliqui *Correspondentes* vocantur. Qui causa cecidit, ab vna classe ad aliam, porroque ad tertiam *prouocare* potest. Ab ipso Tribunali recursus ad *Pontificem* in mundo est. Concessum huic tribunali, quandoque rigorosos iuris cancellos egredi, atque iuxta *regulas* vel *leges*, quae *prudentiali* dicuntur, procedere. Auditorium habent in Palatio Papae, adeoque hyeme, in *Vaticano*: aestate, in *Quirinali*. Adsunt in hoc iudicio, *Aduocati*, *Procuratores*, *Adiutores*, *Notarii*. Bis quavis hebdomate Auditores conueniunt.

\*\* *Datariae* nomen, Romae, illud collegium gerit, quod non solum de *praebendis* & *beneficiis*, quorum redditus summam LXXX. aureorum non excurrunt, nec ad *Consistorialia* beneficia referuntur, disponit; sed & *diplomata gratiae*, prouisiones, prorogationes terminorum electionis, restitutiones, suspensiones, relaxationes, confirmationes sententiarum, & infinita alia, vbi *gratiam concedere potest* & *solet* Pontifex, decernit & expedit. Ex tribus personis constat collegium, puta *Datario*, seu *Pro-Datario*, *Sub-Datario*, & *Praefecto vacantiae per obitum*: quibus alii *subofficiales*, sub nomine Reveditorum, Registratorum, Scribarum, parent. *Datarii* & *Datariae* nomen, a *datando* descendit, quia olim litteris gratiae, ipse Praefes collegii *Datum* seu *tempus expeditionis*, sua manu adiecit. Semper *Praelato* cuidam haec dignitas confertur, quandoque Cardinali, qui tunc *Pro-Datarii* titulo superbit, quum alius *Datarii* saltem nomen gerat. Quandoque *Vice-cancellarius*, simul *Datarii* dignitate gaudet. conf. THEOD. AMYDENIVS *de officio & iurisd. Datarii, & stylo Datariae*.

\*\*\* In

\*\*\* In *Cancellaria Pontificis*, caussae *beneficiariae maioris momenti*, & quae in *gratiosis* inter *ardua* referuntur, tractari solent. Eum ordinem, quem nunc tenet hoc collegium, ab Alexandro VII. An. MDCLV. accepit, qui *Regulas Cancellariae* publicavit, & in illis varia de reservationibus beneficiorum omnis generis, mensibus Papalibus, reuocationibus vnionum, litteris gratiae, variisque ad rem beneficariam pertinentibus capitibus, disposuit: formam processus, indolemque expeditionum, determinauit, sensum variarum Clausularum elucidauit, & munus potestatemque *Vice-Cancellarii* circumscripsit. Inseruit has Regulas, DE NICOLIS *prax. canon. sive iuri Canonico*. Praesidis munere in hoc collegio fungitur *Vice-Cancellarius*, olim *Cancellarii* titulo ornatus. Ex quo vero hoc munus quandoque a viris, cardinalitia dignitate haut illustribus, fuerit administratum, hi ex modestia, *Vicecancellariorum* nomen sibi sumserunt. Hoc postea a successoribus, vtvt Cardinalium mitra ornatis, ex quadam incuria retentum, postea veluti in legem transiit. Maxima *Vice-cancellarii* est dignitas, & inter *Officiales Curiae*, proximum a Pontifice locum obtinet. Praest *Litterarum Apostolicarum* in *cancellaria expeditionibus*. Recipit ab illis, quibus *Episcopatus*, *Abbatiae*, *Prioratus Regulares* & *Conuentuales* aliaeque dignitates conferuntur, *fidelitatis iuramentum*. Alii quoque *officiales curiae* & *cancellariae* coram ipso *iusiurandum* praestare tenentur. Militant sub illo *Protonotarii Apostolici*, qui de *Brevium*, *Archiui*, & minorum *gratiarum scriptura* sunt, *Auditores Rotae*, *Abbreuiatores*, *Advocati Consistoriales*, *Secretarii*, *Scriptoresque Apostolici*, *Plumbatores Bullarum*, *Senescalcus* siue

siue custos Cancellariae, alique. Taceo alias praerogatiuas, integro libro delineatas, a IO. CIAMPINO, de *S. Rom. Eccl. Vice-Cancellario*. Qui etiam, quum ipse Abbreuiatoris officio praefectus fuerit, *notitiam Abbreuiatoris, de curia compendiarie*, publicauit, in qua ostendit: Abbreuiatoris partes in eo positas esse, vt, si quando Pontifex *supplicis petito annuerit*, aut *motu proprio gratiam* concesserit, Abbreuiator id, quod Bulla desuper exaranda dicere debet, verbis decentibus exprimat, ac ad formam debitam, iuxta canones, regulasque & stilum cancellariae reducat.

## §. CX.

IX. Ad vniuersales Leges Pontificiae ecclesiae, *Decretum & Decretales*, reliquique Libri, qui in *corpore iuris canonici* continentur, merito referri debent. Sed de his alibi. (in praefat.) Immo X. quum *Ius ciuile* varia ecclesiae proficua contineat, eatenus ad illud saepius ea recurrere solet. Verum huius iuris dispositione saltem *ναὶ ἀνδραμον*, vt in scholis loquimur, vtitur.

9) Ius canonicum.

10) Ius Romanum.

## §. CXI.

XI. Quum ab Episcoporum decretis, recursus ad Pontificem semper pateat; (§. VI. 6.) videre licet, quod etiam *Rescripta & priuilegia* Pontificis, normam inter partes, & in negotiis, seu rebus, super quibus exarantur, faciant. 1) Indolem vero tam rescriptorum, quam priuilegiorum, mox ex instituto enucleabimus. (§. CXL. seq.)

11) Legum, licet particularium, vim habent rescripta &amp; priuilegia.

## §. CXII.

1) Conf. C. 32. X. de rescript.

## §. CXII.

12) Statuta  
Episcoporum.

13) Statuta  
concilio-  
rum parti-  
cularium.

14) Obseru.  
& consuet.  
partic. ec-  
cles.

XII. Particularibus ecclesiis quum prae-  
sint Episcopi; (§. VI. 3.) sequitur  $\alpha$ ) vt quae  
suae ecclesiae conducere arbitrantur, ordi-  
nare, & *particulares leges* condere possint,  
propterea quod non semper ad legem com-  
munem, particulares ecclesiae reduci que-  
ant.  $\beta$ ) Vt tamen eo curam suam dirigere  
debeant, vt, quantum fieri potest, a commu-  
ni disciplina non recedant. XIII. Vt id, quod  
singuli Episcopi possunt, etiam multis, in *con-  
ciliis prouincialibus & nationalibus* congrega-  
tis, omnino liceat. XIV. Vt etiam eatenus  
particularium ecclesiarum *obseruantia & con-  
suetudo*, legis particularis vim obtinere de-  
beat. Ita se res habet in vniuersa ecclesia,  
sedi Romanae addicta. Ecclesiae vero  
Romano catholicae in Germania, quum  
praeterea peculiaribus legibus, statum  
ecclesiasticum concernentibus, gaudeant;  
singularique ratione earum, quas adduximus,  
vtantur; peculiarem considerationem res  
mereri videtur.

## TIT. V. MEMBR. II.

## DE

LEGIBVS ECCLESIASTICIS INTER  
ROMANO CATHOLICOS IN  
GERMANIA.

## §. CXIII.

Symbola,  
vnde precipue

**D**iximus: Iudicari tres Religiones appro-  
batas in Germania ex suis *formulis*, seu



*confessionibus*, publice editis, & qui his se subscribunt, priuilegiis, adprobarum religionum frui. (§. XXIX. 2.) Memorauimus, symbola vniuersae Romano catholicae ecclesiae: (§. CVIII.) Restat ut paulo plenior commemoratio eorum symbolorum fiat, vnde fruitio priuilegiorum religionis adprobatae, respectu ad catholicos habito, in Germania dependet. In hunc censum veniunt 1) *Concilium Tridentinum*, siue illius canones ac decreta, quod An. MDXLII. sub Paulo III. congregatum, & per sessiones XXV. Ao. MDLXIII. finitum est. \* 2) *Professio fidei Tridentinae*, a Pontifice Pio IV. An. MDLXIV. publicata. \*\* 3) *Catechismus Romanus*, iussu Pii V. editus. \*\*\*

fessio fidei  
catholicae  
dependet.

vid. Henrici Dispart. sub  
Lib. Aristy a Concilio Tri-  
dentino Excommunicato.  
Germania in Secum Concilio

\* Varias huius concilii editiones recenset IO. ALB. FABRICIVS *Bibl. Graec. Vol. XI. pag. 694.* Qui etiam indicem eorum exhibet, qui ad historiam huius concilii illustrandam accesserunt, *cit. l. pag. 699.* Denique exhibet catalogum eorum, qui dogmata huius concilii impugnarunt. *cit. l. pag. 711.*

\*\* Ideo concinnata fuit haec professio, vt omnis, qui ad munus ecclesiasticum admouetur, vel dignitate Academica ornandus est, vel pristinis sacris relictis, ad Romanam ecclesiam transit, ei se subscribat.

\*\*\* Saepe editus & in alias linguas etiam translatus fuit hic catechismus. Nec defuerunt, qui illum obseruationibus illustrarent, aut in epitomen redigerent. vid. IO. HENR. HOTTINGERVS in *bibliothec. quadripart. Lib. III. cap. 1.*

## §. CXIV.

Conclusa  
corporis  
catholici.

Deinde obseruauimus: Protestantes, respectu ad catholicos habito, vnam religionem profiteri, licet inter se dissentiant, & sic saltem *duas partes, catholicorum & protestantium*, in Imperio nostro occurrere. (§.XCVIII.) Sic itaque 1) religiones in Germania, in *duo corpora* abeunt, & sicuti protestantes se *Corpus Euangelicum* dicunt; (§.CXXI.) ita & Catholici sibi titulum *Corporis Catholici* vindicant. 2) Quia omnibus Imperii statibus, & sic etiam principibus secularibus, Romano catholicae religioni addictis, *ius reformandi* competit; (§.XLIV.\*) inde varia a catholico corpore in comitiis prodeunt *conclusa*, instar *legis & normae* obseruanda. Sic α) ratione *clausulae*, articulo IV. *pacis Ryswicensis* adiectae: u) β) occasione *grauaminum religionis*: w) γ) super *pace Rastadiensis* x) nec non δ) *pace Badensi*, y) varia prodire conclusa. Porro ε) ubi catholici putant, fieri quid a Protestantibus, in *praeiudicium religionis* catholicae, licet vel *picturam* res concernat, in partes abeunt, & facto

z) vid. FABRI *Staats; Cantley Tom. V. pag. 190. Tom. XXXVII. pag. 363. 664.*

u) IDEM *ibid. Tom. IV. pag. 515. 525. 535. seq.*

w) IDEM *ibid. Tom. IX. pag. 51. seq. X. pag. 17. XV. pag. 142. 146. seq. p. 153. 159. 166. 172. Tom. XXIII. p. 481. seq. 489. 491. seq. 501. seq.*

x) IDEM *ibid. Tom. XXIII. pag. 580.*

y) IDEM *ibid. Tom. XXIII. pag. 666. Tom. XXIV. pag. 665.*

facto concluso, sibi prospiciunt. z) ζ) Si discrepantia ratione *calendarii*, inter vtriusque religionis consortes occurrit; a) immo si vel η) *Pontifex* contra statum religionis in Germania quid tentat, b) communi concluso obuiam ire solent.

## §. CXV.

Reliquae leges ecclesiasticae, in Germania Remissio ad obseruari solitae, fere *communes* sunt Prote sequentia. stantibus & Romano catholicis, licet quandoque *diuerso respectu*, adeoque illas ad mox sequentia reiicio. (§. CXXIII. seq.)

## TIT. V. MEMBR. III.

## DE

## LEGIBVS PROTESTANTIVM ECCLESII PROPRIIS.

## §. CXVI.

Iudicatur & Protestantium religio, ex *Symbolis seu confessionibus*. (§. XXIX. 2.) Quum vero Protestantes duas partes constituent; (§. XCVIII.) sigillatim de cuiusuis partis *libris symboliis* pauca differenda erunt. In Lutherana ecclesia, Symbolica pollent auctoritate 1) *uterque catechismus* LVTHERI, quos libellos vir beatus priuata quidem auctoritate composuit; sed ex quo formula

Symbola fidei Lutneranorum.

G

con-

z) vid. FABRI *Staats, Sangley Tom. XV. p. 245.*

a) FABER *cit. l. Tom. XLIII. pag. 696. Tom. XLV. pag. 447. & 469.*

b) IDEM *ibid. Tom. II. pag. 59. Tom. V. pag. 115. 117. 131. 135. Tom. IX. pag. 776. & 792.*

concordiae prodiit, publicam adprobationem acceperunt. \* 2) Solemnis illa *confessio*, An. MD XXX. *Augustae Vindelicorum*, Imperatori Carolo V. exhibita, proptereaque *Augustana Confessio* dicta. \*\* 3) Hujus confessionis *Apologia*, An. MDXXXI. concinnata. \*\*\* 4) *Articuli Smalcaldici*, Anno MDXXXVII. ab ipso LVTHERO conscripti, excepto tractatu *de potestate & primatu Papae*. Hunc enim post discessum LVTHERI, eodem anno, reliqui Theologi, Smalcaldiae congregati, composuerunt. † Denique 5) *Formula concordiae*, An. MDLXXX. edita, quae tamen, si verum fateri velimus, discordiarum mater foecundissima fuit. ††

\* Quo tempore vterque catechismus prodierit? quenam capita contineat? quantam conciliauerit sibi dignitatem? quomodo saepissime in lucem fuerit editus, in alias linguas translatus, variis commentariis, obseruationibus, homilibusque illustratus? Erudite enucleat Reu. IO. GEORG. WALCHIVS *intr. in libr. symb. Lib. I. cap. 6. §. 18. usque 33.*

\*\* Quo? fine & cuius auspiciis scripta & oblata hæc sit confessio? quale illius fundamentum, num Torgenses an Suobacenses articuli? quid in ea adornanda & LVTHERVS & MELANCHTHON præstiterint? qua ratione Germanico & latino idiomate, Imperatori exhibita fuerit? quale discrimen inter *uariatam* & *inuariatam* occurrat? quoties sit edita & in alias linguas versa? qui historiam illius concinnarint, vel ipsam confessionem illustrauerint, aut Synopsis confecerint? aliaque, egregia plane, legi possunt apud clar. WALCHIVM *cit. l. cap. 3. §. 1. seqq.*

\*\*\* Quum

\*\*\* Quum Pontificii confutationem Augustanae confessionis edidissent, cogitatum fuit de *Apologia*. Qua ratione haec sit conscripta, reuisa, aucta, in germanicam linguam translata, qualem operam MELANCHTHON hic adhibuerit? aliaque scitu digna, nec iniucunda; rursus delineauit Dn. WALCHIVS *cit. l. cap. IV.*

† Smalcaldiae Protestantes saepius conuenerunt, tam ut *foedus* contra oppressiones sibi intentatas conderent; quam ut *formulam*, qua ratione cum Pontificiis de conciliatione doctrinae agendum esset, conscriberent. Hanc in concilio quodam tentandam esse, ipsi Protestantes putabant, adeoque Smalcaldiae conuentum instituerunt, quo *articulos* quosdam, *concilio exhibendos*, concinnarent. Germanica lingua illos conscripserunt, mox tamen in idioma latinum transtulerunt. Multi hos articulos commentariis illustrarunt, historiamque illorum alii tradiderunt. vid. Dn. WALCHIVS *cit. l. cap. V.*

†† Per hanc formulam tollere voluerunt dissensiones; in ipsa *ecclesia Evangelico Lutherana* ortas, pacemque restituere. Fabricata fuit in monasterio Bergenfi, prope Magdeburgum, & mox a multis Statibus Imperii subscripta. Sed statim exstitere multi, qui libro huic subscribere recusarent, inde *dissensiones* maiora indices incrementa acceperunt. Maxima potissimum orta sunt *dissidia* de hoc libro, *Lutheranos* inter & *Reformatos*, quae omnia, ut & notitiam eorum, quae hanc formulam illustrarunt, studiosè collecta sunt a Dn. WALCHIO *cit. l. cap. VII.* Neminem ad subscriptionem huius libri adigendum esse, iam olim ex rationibus politicis & Theologicis deduxit ignotus auctor, cuius ratiocinia cum obseruationibus quibusdam publici iuris fecit, B. CHRISTIAN.

STIAN. THOMASIVS in *Juristischen Hän-  
deln, Part. II, art. 6. & 7.* His iungi potest re-  
sponsum IAC. SCHVLTESII, cuius sum-  
mam exhibet idem THOMASIVS in *annal.*  
*additis ad Offii Testam. ad An. MDCVII.*

## §. CXVII.

Symbola Re-  
formato-  
rum.

& 1) parti-  
cularia.

*Reformatae* ecclesiae etiam sua *symbola*  
habent, ita tamen, vt quaedam sint *quarun-  
dam ecclesiarum* propria; quaedam vero ab  
omnibus fere, qui Reformatam religionem  
profitentur, amplecti soleant. Ad priorem  
classem pertinent: 1) *Confessio tetrapolitana*,  
sive quatuor ciuitatum, nimirum Argen-  
torati, Constantiae, Memmingae & Lindauii,  
An. MDXXX. in comitiis Augustanis, Im-  
peratori exhibita, sed ab illo haut accepta.  
2) *Confessio Gallicana*, quae An. MDLIX. pro-  
diit. 3) *Confessio Heluetica* de An. MDLXVI.  
4) *Belgica Confessio*, in synodo Dordracena  
adprobata, quae An. MDLXXI. lucem ad-  
spexit. c) 5) *Confessiones Brandenburgicae*. d)  
*Formula consensus Heluetica* e) *Symbola eccle-  
siae*

c) Hae confessiones An. MDLXXI, coniunctim  
prodire sub Titulo: *Harmon confess. fid.  
orthodox. & reform. eccles.* & denuo An.  
MDCXII. & MDCLIV. sub rubro: *Corpus  
& syntagma confessionum.*

d) Quae Berolini MDCXV, Francofurti ad Via-  
drum MDCLXVI. & Coloniae Brandenb.  
MDCXCV. prodierunt. v. Reu. CHRIST. MATTH.  
PFAFF *intr. in hist. theol. l. ter. Part. I. pag. 264.*

e) Composita An. MDCLXXIV. a IO. HENR.  
HOTTINGERO vid. Reu. C. M. PFAFF *diss. de for-  
mul. consens. Heluet.*

*stae Anglicanae, puta, articuli Londinenses An. MD LXII. sanciti & MD LXXI. denuo reuisi, vt & liber homiliarum, & Liturgia Anglicana. f)*

## §. CXVIII.

Symbola quae ab omnibus fere Reforma-<sup>a) Genera-</sup> tis ecclesiis adprobantur, sunt 1) *Confessio Bel-* lia. *gica*, quae ex adprobatione Synodi Dordracenae ( §. CXVII. 4. ) & quod dehinc iterum confirmata fuerit, singularem auctoritatem accepit. 2) *Catechismus Palatinus*, siue *Heidelbergenfis*, conscriptus a ZACHAR. VRSINO, editus postea An. MD LXIII. translatus in alias linguas, in Synodo Dordracena symbolica auctoritate munitus, in ecclesiam Belgicam introductus, variisque commentariis illustratus. g) 3) *Decreta & canones synodi Dordracenae*, quae celebrari coepit Anno MDC XVIII. & post sessiones CLIV. finita fuit, An. MDC XIX. b)

## §. CXIX.

Eatenus itaque legem ecclesiasticam con-<sup>Qua ratio-</sup> stituunt, symbola, vt 1) qui eiusmodi con-<sup>ne haec</sup> fessio-<sup>symbola le-</sup>

G 3

f) conf B. IO. FRID. BVDEVS in *Isag. ad Theol. uniu. Lib. II. cap. 2. §. 10.*

g) vid. DN. BVRC. GOTTH. STRVV. in *der Pfälz. Kirch. Hist. pag. 141. seq.* Hunc catechismum perspicuis & eruditis obseruationibus illustrant HERO SIBERSMA V. D. M. apud Amstelod. in tractatu *Fontein des Heils* & PETR. VAN HOECKE in *lucubr. in catech. Palat.* vbi etiam eius Historiam tradit.

b) conf. PHIL. LIMBORCHIVS in *vit. Sim. Episcopii pag. 117. seq.* add. IAC. LEYDEKKERI *dignit. synod. Dordrac. euicta.*

gem eccle-  
siasticam  
constituant.

fessiones amplectuntur, effectibus *tolerantiae* religiosae, gaudere debeant. (conf. §. XLIII.)  
 2) Vt omnes, qui *litterae* Symbolorum insunt, licet declarationes & extensiones Doctorum respuant, aut circa quaestiones in symbolis non decisas, dissentiant, (§. XXIX. \*\*) in *suspicionem nouae religionis* vocari nequeant. <sup>i)</sup> 3) Vt qui ita dissentientes, a consortio pacis religionis excludere conantur, vt *turbatores* quietis publicae, coercendi sint.  
 4) Vt tamen Princeps, saluo caeteroquin consortio religionis, *publicam doctrinam*, si dissidia crescunt, determinare (§. XXIX. \*\*) possit. <sup>k)</sup>

### §. CXX.

Quousque  
Instrumentum  
Pacis  
Westphali-  
cae peculiarem  
normam  
protestantibus  
constituat.

Pacificationem Westphalicam, legem generalem & pragmaticam Germaniae, etiam in ecclesiasticis imponere, vidimus. (§. XXVI. seqq.) Esse praeterea hanc pacificationem *legem generalem inter Protestantes*, quatenus ceu *duae partes* separatae considerari debeant, deduximus. (§. XCVIII.) Hinc saltem adhuc notandum: Omnia ea, quae in Instrumento Pacis Protestantibus *inter se*, quatenus *duas partes* constituunt, indulta sunt, ad Pontificios haut pertingere, neque ab his contra Protestantes allegari posse.

### §. CXXI.

Conclusa  
corporis  
Euangelici.

Denique quia religiones in Germania in duo

<sup>i)</sup> vid. Ill. BOEHMER *iur. eccl. Prot. Lib. I. Tit. I. s. 61.* Vbi decisum camerae imperialis,

<sup>k)</sup> conf. Ill. BOEHMER *cit. l. s. 60.*



duo corpora abeunt, & catholici varia conclusa in comitiis condunt, instar normae obseruanda; (§. CXIV.) eandem facultatem maiori iure sibi vindicare possunt Status Protestantes, qui *corpus Euangelicum* in comitiis formant, propterea quod praeter ius reformandi, omnimodum *ius circa sacra* exercent. (§. LXXIX. seqq.) Sicuti itaque *singuli status* Euangelici, in suis territoriis *sacra ordinare & leges ecclesiasticas condere* possunt. Ita & *cunctis* integrum est in *Imperii comitiis*, ordine comitali consueto ecclesiasticis causis, legem dicere, & ius circa sacra exercere. Quae vero ita in comitiis decernuntur, & normam praescribunt, dicuntur *conclusa corporis Euangelici*. 1)

*vid: Frey's Diss. de Comitibus corporis Evangelici*

## TIT. V. MEMBR. IV.

## DE

## LEGIBVS ECCLESIASTICIS IN GERMANIA INTER ADPROBATAS RELIGIONES COMMVNIBVS.

## §. CXXII.

Sicuti omnes tres adprobatae religiones in Germania communi securitate gaudent; ita etiam quasdam *leges vt communes* in ecclesiasticis agnoscunt, licet quandoque *dis-*

G 4 *uersa*

1) Varia eiusmodi conclusa occurrunt apud FABRVM in der Staats- & Consley, & auxilio generalium indicum, sub rubro: *Conclusa corporis Euang.* facili negotio euolui possunt.

*uerso modo* id fit. Deinde inter omnes has religiones, particulares ecclesiarum *obseruantiae & consuetudines* occurrunt: *pruilegia*que hinc inde iam sunt concessa, aut adhuc conceduntur; denique in casibus controuersis, aut dubiis, *rescripta* exarari solent; hinc ad enucleationem eiusmodi legum & materiarum, ordo nos ducit.

## §. CXXIII.

1) Quatenus  
Biblia sacra  
pro lege re-  
putanda.

Ad communes itaque leges refero I. *Biblia sacra*. Pontificios ea pro lege agnoscere, dixi. (§. CII.) Agnoscunt etiam protestantes, sed diuersa ratione, puta eatenus saltem, quatenus 1) *moralia praecepta*, in illis vberius sunt explicata, & 2) quousque ea ipsa *obiectum legum* constituunt: Denique 3) quatenus per leges ecclesiasticas determinari solet, quae *doctrina publice tradi* debeat. (conf. §. CXIX. 4)

## §. CXXIV.

2) Symbola  
oecumene-  
nica.

II. *Symbola* quaedam Pontificiis instar legis esse; videmus. (§. CVIII.) Illa, puta *Apostolicum, Nicaenum & Albanasianum*, etiam Protestantes recipiunt, \* sed rursus diuersa ratione. Scilicet 1) monstrare iam olim ita voluerunt, & hodiernum protestantur, se ab *antiqua & Apostolica doctrina*, neuiquam discessisse. m) 2) Eatenus *legum* instar venerantur, quatenus per formulam, quae *doctrina publi-*

---

m) vid. Reu. Dn. WALCHIVS *intr. ad libr. symb. Lib. II. cap. 2. §. 1.*

publice tradenda sit, determinari solet. n)  
(§. CXIX. 4.)

\* Neque *Apostolicum* ab Apostolis, nec *Athanasianum* ab Athanasio compositum fuisse, omnes illi agnoscunt, qui iusti sunt veritatum historicarum arbitratore. conf. Reu. Dn. WALCHIVS *intrad. ad libr. symbol. Lib. I. cap. 1. §. 2. seq. §. 23. seq.*

## §. CXXV.

III. Maximi roboris esse *concilia*, potissimum *oecumenica* inter Romano catholicos, dictum. (§. CIV.) Oecumenica haec concilia, licet 1) non aequale robur, ut apud Pontificios, 2) inter Protestantes obtineat; tamen 2) dogmata in illis proposita agnoscunt quia & quatenus verbo Dei conveniunt. p) & sic 3) rursus eo respectu leges sunt, quo doctrina publica, (§. CXXIV. 2.) determinari potest. Verum 4) disciplina in illis determinata, non ubique inter Protestantes obtinet, sicuti & Pontificii, passim ab ea recesserunt: licet 5) multa apud adprobatas religiones supersint instituta, quae ex antiquis conciliis, adeoque & oecumenicis, illustrari possunt. q)

3) Concilia  
oecume-  
nica.

+ vid. f. am. Martini Concilia  
profat. Exam. Concilii Trin  
dentini p. 4.

ut celebrata sunt a papa  
no. peculiariter Pontificum  
habitu

## §. CXXVI

IV. Observantiam iurium, *civilis & canonici* 4) iura Romana ac Canonica, in ecclesia Romano Catholica, ostendimus.

## G § (§. CX.)

n) conf. de his symbolis W. E. TENZEL *exerc. select. Part. I. pag. 1. seq.* Dn. WALCH *cit. l. cap. 2.*

o) vid. NOV. CXXXI. *cap. 1.*

p) IO. LVD. HARTMANN *diff. proöm. ad conc. illustr. §. 29.*

q) vid IOACH. HILDEBRAND *in Hist. Concil.*

(§. CX.) Eadem fere dicenda sunt intuitu Germaniae nostrae. Quantum ad Protestantes sicuti 1) in foris iura ciuilia & canonica vt *subsidiaria* vim decidendi habent, & 2) ius ciuile plura circa negotia ecclesiastica tradat; r) ita & obtinet apud Protestantes, 3) quatenus iuri canonico non *contradicit*, quo casu *praeferri* ius canonicum plerumque solet. Sed quousque 4) ius canonicum in protestantium foris obtinere possit? nostram sententiam alibi diximus (vid. Praefatio.)

## §. CXXVII.

5) Reccessus  
Imperii.

V. Quae in comitiis, suffragio Statuum Germaniae, feruntur leges, ex indole Reipublicae obligationem producant. Veniunt illae sub nomine *Recessuum Imperii*, *decret Reichs Abschiede*. Vt plurimum quidem ciuilia negotia concernunt, quaedam tamen sanctiones de *pace religiosa* disponunt. s) Primario huc referri debent: 1) *Transactio Passaviaensis*: 2) *Pax religiosa*, t) quae pax tamen plus catholicis, quam Protestantibus fauet.

## §. CXXVIII.

VI. Palladium vero religionum, adeoque palmaria lex ecclesiastica, est *Instrumentum super Pacificatione Guestphalica* confectum. Quatenus ad probatis religionibus de securitate prospiciat, & quo iure inter se ciues Imperii

r) CONF. CORVINUS in *Austin. Cathol.*

s) CONF. LEHMANN & SCHILTER de *pace relig.*

t) vid. Instr. Pac. Art. V. §. 1. add. MAURITI diff. de *Recess. Imper.*

Capit. Carolini. art. 40.

Faber in §. 3. de iur. Conf.  
Ergo com. p. 774. Coll.  
negotia de pace religiosa p. 20.  
vid. Graui tractatus de pace  
religionibus in Imperio. Roma  
no serouanda

vid. Hennig 6) Pacifica-  
tionis Guest-  
phalica.  
Instrum. Pac.

perii vti debeant, fanciat? dictum est, (§. XXVII. seqq.) adeoque actum non agemus u) Hoc saltem monendum censemus, tenorem huius sanctionis pragmaticae, etiam in aliis legibus Imperii publicis & pragmaticis, confirmatum fuisse. w)

## §. CXXIX.

VII. Communem legem in Germania, tam <sup>7) Concor-</sup> Protestantibus, quam Romano-catholicis di- <sup>data natio-</sup> nis Germa- <sup>Concordia. na.</sup> <sup>1711</sup> cunt, *concordata nationis Germanicae*, sed di- <sup>nicae. vid. Mart. et Hart-</sup> <sup>mann de Concordia pacis nationis</sup> <sup>Germanicae Hen. Braun</sup> uersa plane ratione. Sunt vero haec concor- <sup>vid. Fabri Staabla Com-</sup> <sup>pendio Tom: II. p. 774.</sup> <sup>Lehmann de pace religio-</sup> <sup>sup. 252.</sup> <sup>vid. Capit. Caroli VI. art. 14.</sup> data, illa *pacta, quae inter Imperatorem Friedericum III. & Pontificem Nicolaum V. inita fuerunt.* x) De diuersimoda eorum obser- uantia, notari debet, 1) per ea iura *Papalia*, ratione ecclesiarum Germaniae, demum *fundatum iuris titulum* accepisse: 2) & inde iura Pontificis, intuitu *catholicorum capitulorum*, determinanda esse. y) 3) Curiam vero Romanam, concordata *contra Protestantes* allegare non posse: z) Ea tamen 4) hunc usum inter

u) Conferri interim possunt egregia plane opera, Generos. Dn. DE MEIERN, puta *Acta pacis Westphal. & Acta exsequit. Pacis.*

w) vid. Recess Imp. ann. 1654. & capitul. Ferdinandi IV. Leopoldi I. Iosephi I. Caroli VI.

x) conf. SCHILTER in not. ad concord. HENR, LINCK de conc. nat. Germ.

y) Ill. BOEHMER *consult. Tom. I. Part. 1. conf. 15. num. 42. & 82. seqq.*

z) IDEM *ibid. num. 47. add. Instr. Pac. Art. V. §. 19. Art. XVII. §. 3. Capitul. Iosephi Art. 18. Caroli VI. Art. 14.*

inter Protestantes habere, vt inde iura *Principis* Euangelici, ratione *capitulorum & monasteriorum*, dimensuranda veniant, quum illi, sublata Pontificis potestate, *vices Papae* in territoriis sustineant, seu vt rectius loquar, vi *superioritatis territorialis*, ea exerçant, quae olim Pontifici relicta fuerunt. a)

## §. CXXX.

8) Obser-  
uantia ec-  
clesiastica.

*Observantiam* ecclesiae Romanae, imo obseruantiam ecclesiarum particularium, legis vim obtinere, iam obseruatum est. (§. CVII. & §. CXII.) Hinc VIII. facile est coniectu, eandem esse rationem ecclesiarum Germaniae, *utriusque religionis*. Dico vero hic obseruantiam: *Quidquid expresso pacto aut lege, circa negotia ecclesiastica constitutum, nec tamen scriptura mandatum, sed mox in praxim deductum & sic propagatum fuit.* b)

Quid ob-  
seruantia.

*Praxis itaq; est modo  
conseruata illud quod  
vel ex antiquo pacto  
aut legem est introductum*

## §. CXXXI.

Axiomata.

Inde haec struo axiomata: I. Obseruantiae ecclesiasticae eadem origo, quae in Rebus publicis. II. Testatur illa de statutis ecclesiasticis, expresso pacto aut lege roboratis.

## §. CXXXII.

Confectoria  
primi axio-  
matis.

Quum itaque obseruantiae ecclesiasticae, eadem sit origo, ac in Rebus publicis; (§. CXXXI. I.) sciendum est 1) *ibi leges non scriptas*

a) III BOEHMER *cit. l. nr. 16. & 44.*

b) conf. hic c. 5. D. II. B. THOMASIVS *diff. de iur. consuet. & obs.* III. BOEHMER *diff. de obseru. eccles.*

*ptas*, antiquiores fuisse scriptis. c) 2) Eandem exercuisse *praxin* collegia, & ecclesias primitivas, & sese *pactō* quodam ad obseruationem quandam obstrinxisse, & ita *pacta* mox in *praxin* deduxisse. 3) Ita *pacta*, & in *praxin* deducta, constantem *obseruantiam* produxisse. 4) Quamlibet ecclesiam, ceu corpus, separatum coetum constituens, saepius suis *peculiaribus institutis* vixisse, & 5) inde *diuersam* ecclesiarum *praxin* profluxisse, sicque 6) constare, qua ratione incorruptus manserit *obseruantiae usus*, vbi *scriptae* prodire *leges*.

## §. CXXXIII.

Quumque obseruantia testetur de statutis ecclesiasticis expresso pacto, vel lege roboratis; (§. CXXI. 2.) consequens est, 1) vt non tam ius ipsum, quam potius *testimonium de iure*, iam ante constituto, dici mereatur: 2) vt tamen hoc testimonium in *iure non scripto*, idem operetur, quod *scriptura in scripto*, propterea quod 3) ea quae expresse constituta, per *traditionem* in perpetuam obseruantiam traducta fuerint. d) 4) Vt specifica differentia, inter obseruantiam & consuetudinem, in eo collocanda sit, quod illic *expresse constituta*, hic *tacito consensu* adprobata, occurrant, vbique autem 5) obseruantia, seu *praxis constans* adsit, quum alias nec vera obseruantia, nec

Confectoria  
secundi axi-  
omatis.

c) B. THOMASIVS *diff. de morum cum iur. scripte. content. s. 6. seq.*

d) conf. c. 5. D. 11.

nec consuetudo, sed nuda relatio historica, de hoc, quod olim obtinuerit, deprehenderetur. 6) Vt per *traditionem* sic conseruetur memoria instituti antiqui, adeoque illa non tam *ius nouum* praesupponat, quam potius *antiquum*, conseruet. 7) Vt testimonium quidem perhibeat traditio. de *statuto antiquo*, licet vnde illud promanauerit, incertum sit. 8) Vt iura ecclesiastica vix recte tradi queant, neglecta *historia ecclesiastica*. e) 9) Vt quia nec nostrarum *ecclesiarum disciplina*, nouum inuentum sit, & apud nos *variae obseruantiae* ecclesiasticae, ex pristinis institutis, enucleari debeant. Tandem 10) ex dictis intelliges, cur & apud nos *obseruantiae* ecclesiarum, sint diuersissimae.

#### §. CXXXIV.

9) Consuetudo.

Quid consuetudo?

Porro obseruauimus, *consuetudinem* ecclesiae Romanae, imo particularium ecclesiarum, ius facere, quod denuo IX. de ecclesiis Germaniae nostrae, vtriusque religionis asserimus. Consuetudinem vero describimus, quod sit *modus conseruandi illud, quod tacito pacto, moribus introductum fuit, & sine promulgatione inoleuit.* f)

#### §. CXXXV.

Axiomata.

Indo prono alueo fluere videntur haec axiomata: I. Consuetudo vt in Republica, ita &

e) conf. III. BOEHMER *iur. eccl. Prot. Lib. I. Tit. 4.*

f) conf. *not. b.* ibique citati. add. B. NIC. HIER. GYNDLINGIVS in *Gundling, Part. VII. cap. 3.*



& in ecclesia, sine promulgatione inolefcit. II. Ea confequitur auctoritatem ex confenfu eorum, qui ecclefiam conftitunt, vel circa illius negotia difponere poffunt. III. Semel fit introducta, legis habet vigorem.

## §. CXXXVI.

Quum itaque confuetudo inolefcit sine <sup>Confuetudo</sup> promulgatione; (§. CXXV. I.) confequens <sup>est facti.</sup> est 1) vt praefupponat *facta*, eaque *uniformia* & *frequentia*, adeoque 2) non praefumenda, sed *probanda* fit. 3) Vt femper *legi fcriptae*, <sup>fi nempe non fit generalis</sup> <sup>vid: Wernher Part: III.</sup> <sup>obf: 110.</sup> oppofita maneat, licet ea in fcripturam redigatur. g)

## §. CXXXVII.

Quumque porro auctoritatem confequatur ex confenfu eorum, qui ecclefiam conftituunt, vel circa illius negotia difponere poffunt; (§. CXXV. 2.) fequitur: 1) vt hic ex *factis* & *imitatione* membrorum ecclefiae, *adprobatio* omnium, aut illius, qui difponere potefit de negotiis, colligatur. 2) Vt nullius <sup>Quatenus</sup> <sup>inolefcit ?</sup> valoris efle queat, <sup>si rectae rationi aduerfetur,</sup> vel ecclefiae grauamen inferat. b) 3) Vt tamen & tunc, merito *impunitatem* eoufque illis tribuat, qui iuxta confuetudinem agunt, quoufque ea, nec *contraria confuetudine*, nec *lege* fublata eft. i)

## §. CXXXVIII.

Denique quum inuecta legis habeat <sup>Effectus</sup> <sup>confuetu-</sup> <sup>dinis.</sup> vigorem;

g) B. GYNDLINGIVS *cit. l.*b) c. 1. feq. X. de *confuet. Auth. Caffa C. de S. S. ecclef.*i) BARBEYRAC *discour fur la permission des Loix.*

rem; (§.CXXV.3.) consequens est, 1) vt *per-*  
*mittat*, seu *impunitatem* iuxta eam agentibus  
 tribuat, si est *priuatiua*. 2) Vt polleat virtute  
*imperandi, vetandi, puniendi*, si est *dispositiua*.<sup>†</sup>  
 3) Vt tamen & *priuatiua*, suo modo his facul-  
 tatibus gaudeat. 4) Vt *legem veterem tollat*,  
 eiuſe *deroget*.<sup>†</sup> k) 5) Vt *iudici* quoque instar  
*normae* fit, in ferendis ſententijs. l)

## §. CXXXIX.

10) & 11)  
 priuilegia  
 & reſcripta.

Diximus: ab Episcoporum decifis, recur-  
 ſum ad Pontificem, ſemper in mundo eſſe:  
 (§.VI.6.) Episcopos eccleſiis particularibus,  
 leges ponere poſſe: (§.LXXIV. 6.) Princi-  
 pem proteſtantiem, in eccleſias generalem  
 inſpectionem, vt in alia collegia, exercere,  
 (§.LXXXIV.) imo non raro, collegialia iura  
 circa ſacra poſſidere; (§.LXXXVII, ſeq.) vn-  
 de facile conſtabit, X. *Reſcripta*, & XI. *priuile-*  
*gia*, tam Pontificis<sup>†</sup> quam Episcoporum &  
 Statuum Proteſtantium, imo certo reſpectu  
 & catholicorum Statuum ſecularium, in Ger-  
 mania ius facere inter partes, & in negotiis,  
 ſuper quibus conceduntur, m)

## §. CXL.

Deſcriptio  
 Reſcripto-  
 rum & pri-  
 uilegio-  
 rum.

Sunt vero Reſcripta & priuilegia, *ſpecies*  
*conſtitutionum, ſeu decretorum & placitorum*  
*imperantis, quae ſi iuxta illius arbitrium ali-*  
*quid indulgent & imponunt, PRIVILEGIA:*  
*ſi ad*

k) conf. AVG. BENED. CARPZOV *difſ. de obſeru.*

l) vid. in vniuerſ. B. GUNDLING. *cit. l.*

m) vid. c. 22. X. *de reſcript.*

*si ad aliorum preces aut relationes procedunt, RESCRIPTA dici solent.*

## §. CXXI.

Quantum ad Rescripta, tenenda de illis Axiomata de Rescriptis.  
 axiomata: I. Rescripta exarantur ad praecedentes preces priuatorum, vel relationes magistratuum inferiorum.\* II. Faciunt saltem ius intuitu impetrantis. III. Rite debent esse exarata. IV. Valor sese pro eorum diuersitate exserit.

\* Quandoque vero & *motu proprio*, qui motus quatenus vel *verus*, vel *simulatus* dici queat? in frequentibus declarabimus. (§. CMVIII. 7.)

## §. CXXII.

Quum vero rescripta ad praecedentes Impugnatur exceptionibus sub- & obreptionis.  
 preces vel relationes exarari soleant; (§. CXXXI. i.) sequitur, 1) ut preces & relationes *veritate* niti debeant, & clausula: *si preces veritate nitantur*, semper rescriptis insit. n)  
 2) *Vt Veritas occultetur*, vel *tacita veritate*, vel *suggesta falsitate*, & inde profluat *exceptio sub- & obreptionis*. o) 3) *Vt possit inferior Magistratus in veritatem rescripti inquirere*, p) & ille, 4) in cuius praeiudicium impetratum, illud *oppugnare*. q) 5) *Vt hac de causa a Rescriptis non adpellatur*. (P. II. §. CCXXII. k)  
 r) 6) *Vt sub- & obreptione impetrata, careant esse-*

H

esse-

n) c. 2. X. de rescript.

o) GONZALEZ TELLEZ ad c. 20. X. de rescr.

p) c. 5. X. de rescr. c. 6. X. de praeb. MEVIUS Part. I. Dec. 143.

q) B. SAM. STRYCK *diss. de falsit. prec. Princ. oblat.*

r) MARTINI ad Proc. Saxon. Tit. X. §. 1. nr. 240.

effectu. s) 7) Vt ad nudas preces & relationes, vix sint exaranda. )

## §. CXLIII.

Quatenus  
ius commu-  
ne faciant?

Quumque faciant saltem ius, intuitu impetrantis; (§. CXXXI. 2.) verum id est, 1) siue gratiae sint rescripta; siue iustitiae: u) simul tamen 2) notandum, posse iustitiae rescripta ius commune facere: a) si Princeps vel superior ea edicti nomine donauerit: β) vel nominatim adiecerit, *similium caussarum fata*, pari ratione componenda esse: γ) rescripta generaliter, nullo ad *hypothesein* habito respectu, *punctum iuris dubium* determinent: δ) vel iussu superioris, & *auctoritate publica* fuerint collecta: w) dummodo s) rescribentis *facultas* non aliunde *restricta* sit.

## §. CXLIV.

Aut de falsitate suspen-  
ta sint.

Quum rescripta porro rite debeant esse exarata; (§. CXXXI. 3.) consequens est, 1) vt effectu careant, quae in *bullis*, (§. CV. \*\*) *filo*, *filo*, (conf. §. CIX.) *obarta*, se non recte habent: x) nec non 2) quae *debito modo* non impetrata, (§. CXXXII. 1.) quod & tunc colligitur, si ab *ordinario ministro curiae* non sunt subscripta: y) Porro 3) vbi non adscriptus *dies*

vid: H. em. iur. de falsis. Paratit.  
1. Cap: 12. §. 1.  
+ si ius in rescriptis tantum  
impugnari potest, si in re  
scriptis nulla sit perpetua.  
Cap: 11. X. h. t.

s) c. 16. & 20. X. de rescr.

t) III. BOEHMER *iur. eccl. Prot. Lib. I. Tit. 3. §. 24. seq.*

u) CORVINUS *iur. can. Lib. I. Tit. I. §. 17.*

w) III. BOEHMER *cit. l. §. 22.*

a) c. 6. X. de crim. fals.

y) SIRONIUS *Paratit. ad Tit. de rescr.*

dies & consul: 2) aut 4) si quid contra ius alteri quaesitum, aut utilitatem publicam, continent.

*non in acta publico p. 297. de iur. iudic. Rom. infra de iur. x. l. i. p. 3*

§. CXLV.

Quum denique valor pro diuersitate eorum se exferat; (§. CXXXI. 4) notari debet, 1) ut gratiae rescripta, a tempore datae: a) 2) iustitiae vero, a tempore insinuationis, valorem consequantur. b) 3) Vt posteriora praeferantur prioribus, si de iis mentionem faciunt: & 4) specialia derogent generalibus, c) id quod in expectatiuis (§. CMVII. seq.) potentissimum respicitur. d)

Valent diuersimode.

*+ Quia clausura: Salvo iure laico. licet non inf. ta. ta. etc. si intelligenda est.*

§. CXLVI.

Quantum ad priuilegia, (§. CXXX.) de illis notari debet diuisio, quod sint concessa vel causae, vel personae. Tenenda dehinc axiomata: I. Priuilegia conceduntur a summa potestate. II. Inhaerent vel personae, vel rei. III. Non sunt trahenda in exemplum.

Priuilegio- rum diuisio. §. 96. vel: Diu. Privilegia ratione personae sunt inter. Axiomata.

§. CXLVII.

Quum itaque priuilegia a summa potestate concedantur; (§. CXXXVI. 1.) sequitur, 1) ut magistratus & minister ea indulgere nequeat. 2) Vt sint eatenus leges, (veteribus priuilegiae leges,) quatenus alii prohibentur, priuilegiatum turbare. 3) Vt concedentis sit

Priuilegio- rum concessio & indoles.

H 2 aesti-

z) IDEM *ibid.*  
 a) c. 7. X. de rescr. c. 9. eod. in 6.  
 b) ENGEL colleg. iur. can. ad Tit. de rescr. nr. 18.  
 c) CORVINUS *Inst. iur. can. Lib. I. Tit. 1. §. 20.*  
 d) conf. CIRONIVS *cit. l.*

aestimare, quem *is modum* esse velit sui priuilegii. e)

## §. CXLVIII.

Quousque  
illa durent.

Quumque priuilegia vel personae vel rei inhaereant; (§. CXXXVI. 2) constat, 1) haec transire ad *heredes*, non illa: 2) *expirare*, re vel *persona*, quibus inhaerent, extincta: nec non 3) *qualitate*, ob quam indulta, *cessante*; aut 4) *renunciatione* expressa aut tacita. Immo 5) quia priuae leges sunt, (§. CXXXVII. 2.) facta a superiori *reuocatione*. f)

## §. CXLIX.

Eorum au-  
toritas &  
differentia  
a iure sin-  
gulari.

Denique quum ad exemplum trahi nequeant; (§. CXXXVI. 3.) consequens est, 1) vt in iis locus non sit *interpretationi extensivae*. g) 2) Vt priuilegium nocere non debeat *aeque priuilegiato*: b) 3) Vt a priuilegiis maxime differant *iura singularia*, vel *beneficia legis*, quamuis & ipsa priuilegiorum nomine venire soleant. i) Denique notari debet XII. ad leges communes referri posse *statuta ecclesiarum*.<sup>†</sup> Sed quum ecclesia inter catholicos, quatenus vox pro vniuerso coetu sumitur, vix libertate gaudeat; (§. V. \*) de reliquo vero iam dictum fuerit, quod in regula ecclesia  
vt

1 2) Statuta  
Ecclesia-  
rum.

e) B. SAM. STRYCK *de interpr. priuilegii*.

f) conf. obseruat. Hallenf. Tom III. obs. 15. seq.

g) STRYCK *cit. l.*

b) SAM. STRYCK *de iur. priuilegii. contr. priuilegii*. Dn. BASTINELLER *diss. de eo quod iust. est in priuilegii collis*.

i) conf. CUIACIUS *obs. Lib. XV. cap. 8.* CIRONIUS *in paratit. decret. ad Tit. de priuilegii*.

vt collegium de suis rebus disponere possit (§. LXXXIV. r. seq.) & quae dici hoc loco possent, iam hinc inde anticipata sint; ætium non denuo agam. Hoc tamen coronidis loco monendum duco, XIII. IMPERATOREM, cui *Protectio* adprobatarum religionum incumbit, (§. XXX. 16.) prospicere posse, 1) nequid contra leges publicas in religione immutetur, operamque dare, 2) vt omnia innouata tollantur: Praetereaque 3) reprimere Pontificis ausus contra *concordata nationis Germanicae*: Denique 4) resistere ausibus, contra ecclesiarum Germanicarum *libertatem & Pacificationes religiosas* susceptis. Hanc spartam egregie tuetur Maestas CAROLI VI. cui propterea omnes, e genuina profapia Germanorum orti, felicitatem & Nestoris annos precantur.

## TIT. VI.

DE

## IVRE PERSONARVM.

§. CL.

Sicuti prolegomenorum instar haec quae diximus inseruire possunt, nunc ad ipsam iuris canonici & ecclesiastici tractationem properandum est. In ciuili quidem iurisprudencia iura personarum exceptionem a regulis faciunt, verum cum ius canonicum potissimum propter *ecclesiasticas personas* concinnatum fuerit, & omnia tradita huc collineent, vt personis ecclesiasticis *proprie*

Connexio  
cum transi-  
tione.

*fic dictis bene sit, ius personarum, propter quod reliqua comparata sunt, hic regulam facit, adeoque ante omnia de personis ecclesiasticis differendum est.*

## §. CLI.

Quid persona? Quid Status?

Persona nihil aliud est. quam *homo consideratus cum statu suo.* Status vero est *qualitas, cuius ratione homo diuersis iuribus utitur.* Haec qualitas cum varia sit, & vel a *natura,* vel *instituto hominum* descendat, facile erit intellectu, aequè dari statum *ecclesiasticum* ac *ciuilem.* Proinde hic de qualitate, quam *homines in ecclesia induunt, loquimur. \**

\* Exinde dependet fructio iurium in republica ecclesiastica non fecus ac in republica ciuili. Sicuti ibi liberi sunt & serui; ita hic *Christiani* & *infideles.* Sicuti ibi ciues & peregrini: ita hic *orthodoxi* & *haeretici.* Sicuti ibi quidam sui, quidam alieni iuris: ita hic *clerici* & *laici,* quorum illi *imperant,* hi *parent:* Illi *patrum,* hi *filiorum* loco.

## STATVS PERSONARVM EX MENTE PONTIFICIORVM.

## §. CLII.

Diuisio personarum ecclesiasticarum palmaria.

Quum vero Romanenses ecclesiam pro separata republica venditare soleant, (§. II. sequ.) non potest non sequi, hic occurrere imperantes & subditos. Illi generali nomine *clericorum* superbiunt: hi *laicorum* titulo maestantur. Illi personae ecclesiasticae *proprie* ita dictae sunt, hi personae quidem ecclesiasticae, sed *improprie* tales, dicuntur.

## §. CLIII.



## §. CLIII.

Clerici vero audiunt illae personae, quae Qui clerici  
in sortem domini solemniter eliguntur, diuinis of-  
ficiis mancipantur, ecclesiam proprie constituunt  
& iura praescribunt k.)

## §. CLIV.

Laici vero sunt: *qui quidem per bap-  
tum in ecclesiam recepti, & albo Christianorum  
adscripti, ad diuina vero officia non concurrunt,  
nec de regimine participant, sed subditorum loco  
habentur. l.)* Qui laici e

## §. CLV.

Ratione harum personarum notanda axio- Axiomata  
de clericis  
& laicis.  
mata: I. Differentia inter clericos & laicos  
est iuris diuini. II. Coincidit haec diuisio  
cum illa, quae est inter ordinem & plebem.  
III. Clerici ecclesiam primario constituunt.  
IV. Laici sunt personae ecclesiasticae improprie  
dictae, & plebis loco in republica eccle-  
siastica.

## §. CLVI.

Ex primo axiomate colligere licet: 1) Eo- Clerici fors  
domini.  
dem sensu has personas dici *clericos*, ac in ve-  
teri testamento DEVS sacerdotibus promi-  
serat se *clerum* eorum fore. *m)* 2) Clericis sa-  
crum ministerium *solitarie*, sicuti sacerdoti-  
bus apud Iudaeos, competere *n)* 3) Illos pro-

H 4

pte-

k) c. 7. C. 12. q. 1.

l) THOMASIVS *ad Lancellos*. L. 1. not. 41.m) MARCA *diss. de discrim. cleric. & laic.*n) HIERONYMVS *ad Nepotian*. IO. FELLVS *in nos.*  
*ad Cypr.* ep. 8.

pterea cum solemnioribus ritibus in eiusmodi *sortem* assumendos esse, 4) eosque eo ipso a rerum temporalium turba, plane *separari*.

## §. CLVII.

In dignitate  
cum pote-  
state sunt  
constituti.

Ex secundo notandum, 1) ordinis notionem inuoluere gradum *dignitatis*, 2) adeoque 2) inferre simul imperium cum coniuncta *subiectione*, quae se etiam in coetibus ecclesiasticis exerere debet, 3) ita ut 3) ordo ecclesiasticus non solum *dignitate*, sed & *imperio*, refulgeat, 4) & hinc 4) sub voce *populi ecclesiastici clerus* nunquam comprehendatur. c)

## §. CLVIII.

Efficiunt  
ecclesiam.

Ex tertio colliges, 1) quod quae de ecclesia in iure canonico praedictur, de *clericis*, non regulariter de laicis intelligi debeant: Proinde 2) particularem ecclesiam in Episcopo constitutam esse, 3) & 3) clerum *praesentare* ecclesiam, sicque 4) salutem ecclesiae esse salutem cleri. (§. LVII, seq.)

## §. CLIX.

Quae omnia  
fecus in laicis.

Ex quarto vero elicies recte: 1) Laicos *diuinis officiis* vacare non posse, \*nec 2) ad *regimen* ecclesiae concurrere; sed loco parentium

a) IAC. GOTHOFREDVS in *Glossar. nomic. ad C. Theod. voc. ordo*.

b) ILLUSTR. BOEHMER *iur. eccl. antiqu. diss. 6. §. 2. 3.*

c) HIERONYMVS *ep. ad Rustic.* AVGVSTINVS *ep. 162.*

d) c. 28. in fin. X. de *elect.* c. 16. de *sent. excom.* in 6.

e) CYPRIANVS *ep. 33.*

tium esse, (§. VII) \*\* 3) caecutire plane in diuinis, adeoque a *Scripturae interpretatione* arceri e) \*\*\*

\* Olim non ita, quia etiam *sacram coenam* administrarunt. TERTVLLIANVS *exhort. ad castit. c. 7.*

\*\* Olim vero concurrisse laicos euicit BLONDELLVS *de iur. pleb. in regim. ecclesiast.*

\*\*\* Docuisse olim hos, quos *Laicos* dicimus, constat ex 1. Cor. XIV. 31. add. HILARIUS ad Ephes. IV. Quae omnia etiam pleniori ratione demonstrata sunt in mea *Hist. eccles. sec. I.*

## STATVS PERSONARVM ECCLESIATICARVM EX MENTE PROTESTANTIVM.

### §. CLX.

Ita cohaeret systema hierarchiae Pontificiae. Ast cum ecclesia sit *collegium* in republica & quidem aequale, (§. XXII) vides eiusmodi personarum & status diuisiones ab ecclesia alienas, adeoque ex vera ecclesiae indole & personarum diuisiones adorandas esse.

Transitio ad diuisionem personarum ex mente Protest.

### §. CLXI.

Apostoli vt plurimum distinguunt fideles in ipsam ecclesiam, & *προεσώτας* f) vel quod idem est, in *gregem* & *Episcopos*, g) in ministros & fideles, h) in doctores & discen-

Discrimen fidelium primitiuae ecclesiae.

H § tes

e) ALTENSTEIGIVS *lexic. Theol. voc. clericus & laicus.*

f) 1. Theff. V. 12. IVSTINVS *apolog. II.*

g) Act. XX. 28. 1. Petr. V. 2.

h) 1. Cor. III. 5.

tes. *i*) Quin & in ecclesia dari Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores & Doctores : *k*) cum vero generalior diuisio sit illa, quae fideles diuidit in *ecclesiam*, & qui *praesunt ecclesiae* : in *Doctores & auditores*, (§. XXV.) de hac paullo penitius est *circumspiciendum*. \*

\* Sic vides exorbitare diuisionem iuris canonici inter clericos & laicos, quippe primitiuae ecclesiae incognitam ; (§. XXV. \*\*) omnes fideles in clero seu sorte Domini sunt, hinc per duo priora secula incognita haec diuisio fuit. BOEHMER *iur. eccl. antiq. diff.* 6.

### §. CLXII.

Qui doctores? Qui Praepositi?

Doctores itaque sunt: *qui rudes doctrina imbunt* : Praepositi autem: *qui, quo in ecclesia omnia ordine fiant*, (§. LXI. seq.) *circumspiciunt*.

### §. CLXIII.

Necessitas doctorum in ecclesia.

Ex priori descriptione colligo, 1) doctorum munus necessarium esse in ecclesia ex ipsius DEI voluntate, 2) adeoque & doctores in ecclesia fuisse, autequam Episcopi seu Praepositi constituerentur. 3) Doctores non nisi *charismatibus* a reliquis ecclesiae membris distingui : 4) inde quemlibet docere posse, qui idoneus & charismatibus instructus est, vti & olim omnes promiscue docerunt. 5) Sicuti vero quae a singulis exercen-

*i*) Ebr. XIII. 17. 24.

*k*) Ephes. IV. 11. 12. 1. Cor. XII. 28.

*l*) Matth. IX. 36. seq. Rom. X. 15. Ephes. IV. 10. 11.

*m*) Illustr. BOEHMER *iur. eccl. antiq. diff.* 6. §. 29.

*n*) HILARIUS *comment. ad Ephes. IV.*

ercentur, certis personis conferri possunt, (§. XXII. 5.) ita & ecclesiam postea *certas personas* elegisse, ut hae duntaxat docendi munere fungerentur. 6) Inde demum honorem & *munus* peculiare *ecclesiasticum* euassisse, illud ipsum tamen 7) ab omni *imperio* & vi coactiuo alienum fuisse, sicuti doctores etiam nulla alia, quam persuasiva, vis decet.

## §. CLXIV.

Ex posteriori descriptione fluit: 1) tunc demum *directione* quadam fideles opus habuisse, ubi separatos instituerunt conuentus. o) 2) in priuatis conuentibus vero vel Apostolos, vel quemlibet *patrem familias* *directionem* exercuisse. p) 3) Praepositos seu Presbyteros principaliter ad docendum constitutos haud fuisse, licet munus Presbyteri & doctoris in vna persona concurrere potuerit. q) 4) Praepositos autem cum *directione* id sibi vindicasse, ne *sine auctoritate* eorum quis in ecclesia doceret, licet quandoque illos etiam ad hanc spartam admitterint, qui nondum in ordinem recepti essent. r) 5) Hanc *directionem* & inspectionem distinxisse Presbyteros & Praepositos a reliquo populo, *directionem* tamen eorum *imperio* caruisse. s) 6) Proinde ecclesiae auctoritatem hanc differen-

Praepositorum origo & munus.

o) Illustr. BOEHMER *cit. l. §. 19.*

p) Reu. c. M. PFAFF *orig. iur. eccl. p. 114. seq.*

q) BOEHMER *cit. l. §. 41.*

r) EVSEBIUS *bist. eccl. L. VI. c. 19.*

s) 1. Petr. V. 5, Ebr. XIII. 17. 24.

ferentiam introduxisse, t) sed 7) hunc ordinem diuersum non fluere ex *ministerii verbi necessitate*, a DEO praecepti, u) (§ CLXXXIV. \*)

TIT. VII.  
DE CLERICIS IN VNIVERSVM  
MEMBR. I.  
EX MENTE IVRIS CANONICI.

§. CLXV.

Ratio connexionis.

Quum clerici illi dicantur, qui diuinis officiis sunt mancipati, (§. CLIII.) officia vero varia in ecclesia occurrere soleant; sequitur, vt eatenus & varii sint *clericorum gradus*, de quibus nunc generatim agendum.

§. CLXVI.

Clerici sunt vel in sacerdotio, vel ministerio.

Functiones vero, vnde clerici distingui solent, duo potissimum capita constituunt: I. *Sacerdotium*. II. *Ministerium*. \* Illud clericos in *altiori* seu *primo*, hoc eos in *inferiori* seu *secundo gradu* constituit.

\* In populo iudaico non omnes erant sacerdotes, sed illi, quos DEVS specialiter sacerdotio destinauerat. Sed differentia omnis sublata fuit post aduentum Christi, quippe qui *fideles* omnes *sacerdotes* fecit 1. *Petr.* II. 5. 9. *Apocal.* I. 6. c. V. 10. c. XX. 6. Spirituali scilicet & *mystico* sensu, quia vera & proprie sic dicta sacrificia cessarunt. Postea patres ecclesiae putarunt, *sacerdotium* Christianorum esse idem *specie* sacerdotium, quod in veteri testamento stirpi Aaronicae datum erat. TERTVLLIANVS

t) TERTVLLIANVS *exhort. ad castit.* c. 7.

u) BOEHMER *cit. l.* §. 43. *seq.*

NVS *exhort. ad castit. c. 7.* add. DODWELL *de iur. Laicorum sacerdotali.* Hoc argumentum in suos usus traxit suo tempore & admodum promouit CYPRIANVS *ep. 3. 4. & 59.* maximo cum detrimento ecclesiae. Inde Episcopi & presbyteri *clerici dicti*, Illustr. BOEHMER *iur. eccl. antiqu. diff. 6. §. 6. seq.* cum tamen clericis aliud non competat sacerdotium quam laicis. BOEHMER *cit. loc. diff. 9. §. 5. seq.*

### §. CLXVII.

*Sacerdotium* autem proprie sic dictum, Quinam in vno aut altero constituti. quale in veteri testamento fuit, cum omnibus iuribus ac praerogatiuis *Episcopis & Presbyteris* tribuitur. Sicuti vero veteris testamenti sacerdotes in ministerio suo habuerunt *Leuitas*; ita *Diaconis* & reliquis *minoribus clericis* pari ratione ministerium in sacris vindicant. x)

### §. CLXVIII.

Quia autem ex diuersitate officiorum varii gradus exsurgunt, (§. CLXV.) notari porro debet, hos clericorum gradus vocari *ordines*. Quum vero ordo *dignitatem* inuoluat, & illi, qui in ordine constituti sunt & sacris operantur, potestate sacra gaudeant, (§. CLVII.) praeterea vna respublica sit ecclesiastica, in qua Episcopi regnant, (§. III. sq.) sequitur, vt Episcopatus omnes ordines eminenter contineat, immo *fons & origo reliquorum ordinum* sit. Deinde sicuti vnus est Episcopatus & portio saltem gregis vnique

Episco-

x) FLEURY *instit. iur. can. P. I. c. 3. §. 2.*

Episcopo adsignata, (§. IV.) summa vero potestas in sollicitudinis partem alios vocet, (§. V. 5.) ita Presbyteri, Diaconi, reliquique ministri, *particulam* saltem potestatis habent, quam Episcopus totam possidet. y)

## §. CLXIX.

Origo diversorum ordinum.

Ordines omnes deducere nonnulli doctores solent ab ipsa ecclesia Apostolica, licet alii in contraria eant. Episcopi, Presbyteri, Diaconi, in primitiva & Apostolica ecclesia iam cogniti, quibus postea alii accessere cooperarii, Sub-Diaconi, Acoluthi, Exorcistae, Ostiarii, Lectores, qui omnes ad latam Episcopalem curam minuendam concurrunt.\*

\* Aeuo Apostolorum duo saltim ordines, si ex sensu iuris canonici loqui licet, cogniti fuerunt, scilicet Presbyterorum & Diaconorum. BLONDELL *de Episc. & Presbyt.* (conf. §. CCXLII.)

## §. CLXX.

Officiorum ecclesiasticorum.

Cura autem Episcoporum, ubi illi fimbrias suas extenderunt, alia officia ecclesiastica peperit, quibus tamen ornati in *ordine* proprie non sunt. Hinc notanda differentia: in *ordine* esse, & in *officio* esse. Sic inter Diaconos ceterosque clericos inferiores, interiecti quidem fuere *Notarii, Mansionarii, Sacellani, Thesaurarii* alique, verum non *officium*, sed *ordo* clericum fecit, cum & *laici* officiiis ecclesiasticis fungi potuerint & adhuc illis

---

y) FLEVRY. cit. l.



illis fungantur, prætereaque clerici sine officio quandoque occurrunt. 2)

### §. CLXXI.

Inter illos ipsos vero, qui in administranda republica ecclesiastica momentum faciunt, cum subordinatio desideretur, (§. V. 6.) ita inter ipsos Episcopos eminentia quaedam inualuit, ut alii aliis habitis fuerint digniores & eminentiores. Inde *Metropolitanorum, Primatum, Archi-Episcoporum, Exarcharum, Patriarcharum, Papae & summi Pontificis* nomina non quoad inanem sonum, sed & quoad *subordinationem*. Immo etiam inter Presbyteros orti *Rectores, Directores, Penitentiarum, Archi-Presbyteri*. In Diaconorum ordine inualere *Archi-Diaconi*: in reliquo clero *Primicerii* aliique. a) (§. CCCXX. seq.)

### §. CLXXII.

Horum graduum autem, quibus clerici distinguuntur, alii ad *dignitatem* accedunt, alii *officium* saltem constituunt, (§. DCCCLXI. 2.) alii temporariam *administrationem* secum ducunt, (conf. §. CMXXXII.) alii duntaxat *vitalitii* sunt, (conf. §. CMXXII. seq.) de quibus omnibus suo loco ex instituto agetur.

### §. CLXXIII.

Quum vero ordo clericum constituat, Ratio adoptionis in clericatum.

(§. CLXX)

Ratio adoptionis in clericatum.

2) FLEVRY cit. l. P. I. c. 3 §. 6. seq.

a) CONF. DION. PETAVIUS *de hierarch. eccl.* 10. MORINUS *de sacr. eccles. ordinat.* 10. DARTIS *de ordin. & dignit. ecclesiasticis.*

(§. CLXX.) receptio autem in clericatum solemnioribus ritibus fiat, (§. CLVI. 3.) videre inde licet, neminem proprio ausu ad clericatum prouolare posse, sed *vocatione*\* aliisque solemnitatibus opus esse. Neminem vero vocari nisi probatum.

\* Immo inuitos ac reluctantes saltem assumendos in ordinem, antiquitas voluit. ZIEGLER *de cleric. renit.* add. ESPENCAEVUS *digress.* L. III. c. 4.

### §. CLXXIV.

Cur per interstitia adscendant.

Vt vero eo certiores essent, promouendum gaudere debitis qualitatibus, vt *gradatim* eueherentur ad clericalia fastigia, *b*) & in vnoquoque gradu per certum temporis spatium subsisterent, sanciuerunt. Haec spatia *interstitia* dicta & omnis promotio per *saltum* prohibita fuit. *c*)

### §. CLXXV.

Origo irregularitatis.

Postea per canones in conciliis certae *regulae* fuere fabricatae, qualitates clericorum determinantes. Inde inualuit *irregularitas*, vbi scilicet quis extra illas regulas constitutus deprehenderetur, seu vbi defectus in persona erat, regulis canonicis repugnans. *d*)

### §. CLXXVI.

Descriptio.

Est enim irregularitas *impedimentum canonicum*, ob quod quis ordinari vel in suscepto ordine

*b*) ESPENCAEVUS cit. l. L. I. c. 16.

*c*) vid. tit. X. de cler. per salt. promot.

*d*) IOSEPH. GIBALLINVS *de irregular. & imped. canonicis.*

*dine administrare prohibetur, nisi indulgentia superioris impedimentum tollat. e)*

## §. CLXXVII.

Ex hac descriptione fluunt axiomata: Axiomata.  
I. In ordinem adsumendi sunt digni. II. Arcendi indigni & regulis notati. III. Potest tamen cum iis dispensari.

## §. CLXXVIII.

Quum itaque adsumendi in ordinem sint digni, (§. CLXXVII. 1.) consequens est 1) ut hic adhibendum sit *scrutinium*, seu inquisitione in scientiam, fidem, mores, vitam, aliaque; priusquam quis in ordinem adsumatur. f) 2) Ut critra *scrutinium* *furtive* clericatus impetretur. g) 3) Ut per *gradus* adscendendum sit. (§. DLXVIII.) b)

## §. CLXXIX.

Quumque arcendi sint indigni, (§. CLXXVII. 2.) tales vero sint, qui regulis notati, (§. CLXXV.) consequens est, ut repellantur 1) quicumque *macula* quadam laborant: \* i) 2) qui propter *aetatem* ad munus obeundum in quolibet gradu incapaces existimantur: k) 3) qui *vitiis animi* laborant, seu in ta-

I le

e) conf. erit de his defectibus LEVRENIUS *de for. benef.* P. I. Qu. 335. seq. ESPEN, *iur. eccl.* P. II. tit. 10. c. 2. seq.

f) c. vn. X. *de scrut. in ord. fac.* CORVINUS *instit. iur. can.* L. I. tit. 25. §. 23.

g) IDEM *ibid.* §. 27.

b) IDEM *ibid.* §. 26. & 28.

i) conf. c. 14. D. 34. c. 1. D. 81.

k) vid. tit. *de qualit. & aetat. ordinand.* CORVINUS *cit. l.* §. 6.

le crimen post baptismum inciderunt, propter quod publica poenitentia subeunda est, l) quibus etiam accensent homicidii, licet occulti, reos, si non merum casuale fuerit homicidium, \*\* nec non furiosos: m) 4) ut nec admitti debeant *corpore vitiiati*, n) v. g. castrati, oculis priuati: nec 5) *vicio originis* notati, ut liberi illegitimi, serui: o) nec 6) *vinculo personali* obstricti, ut monachi: p) aut 7) *reali* illigati, ut rationibus reddendis obnoxii: q) nec 8) *vinculo ciuili* detenti, ut bigamus, & quasi bigamus, quorum referunt omnes, qui non virginem sibi coniunxere: r) nec denique 9) debita *scientia* haut instructi.

\* Huc digitum potissimum intendunt ad illa requisita, quae Apostolus desiderat. I. Timoth. III. sed rigidiores esse solent in reliquis, quam in his, quae scriptura docet, contenti, si ordines tantum vacent vitiis exstantioribus.

\*\* Fluunt haec ex principio: quod ecclesia non *sciat sanguinem*. Reuera hic fucum faciunt laicis & illis turpiter imponunt. Interim variae conclusiones ex hoc principio per totam iurisprudentiam sese diffundunt, v. g. 1) quod iudicia ecclesiastica de causis sanguinariis non cognoscant: 2) quod Episcopi olim merito imperio destituti fuerint: 3) nec in feudis succes-

---

l) THOMASSINVS *de vet. & nou. eccl. discipl.* P. II. L. I. c. 56.

m) CORVINVS cit. l. §. 9. sequi.

n) tit. X. *de corp. vitiat. ordin. vel non.* CORVINVS cit. l. §. 12.

o) conf. D. 5. 4. & 56. CORVINVS cit. l. §. 13. & 17.

p) c. 1. D. 58. c. 1. X. *de temp. ordin.*

q) c. 3. D. 54. CORVINVS cit. l. §. 16.

r) CORVINVS citat. l. §. 19. :

successerint, cum vasallus sit miles, quod ipsum tamen, cum ipsi Episcopi vasalli sint imperii, quodammodo mutatum: 4) quod clerici non succedant in res expeditorias: & 5) iam olim semper pro condemnatis intercederent. Inde & 6) procul dubio carnificibus nota maculae cuiusdam iniusta fuit, ut alia taceam.

§. CLXXX.

Quum denique cum indignis dispensari possit, (§. CLXXVII. 3.) facile patet 1) dispensationem fieri debere a superiore, Episcopo scilicet aut Pontifice: 2) eam tunc obtinere, ubi nullum rei diuinae administrandae sit praecudicium, nec 3) scandalum resultat. Hinc 4) dispensare posse Episcopum circa aetatem, ubi cum dignitate aut personatu nulla animarum cura coniuncta, r) & 5) ubi delictum occultum & priuata poenitentia expiatum, t) aut 6) nolenti membra amputata fuerunt, u) aut 7) illegitima natiuitas obstet, ubi cum Episcopi dispensatione ad minores, cum Papae ad maiores etiam ordines admittuntur, x) aut 8) multas habuerint concubinas. y)

Quousque dispensatio hic obtineat?

DE CLERO IN VNIVERSVM  
MEMBR. II.

EX MENTE PROTESTANTIVM.

§. CLXXXI.

Quae de sacerdotii & ministerii distinctione, Protestan-

I 2

ne,

- s) c. vn. de aetat. & qualis. ordin. in 6. c. 19. & 24. X. de elect.  
 t) c. 4. X. de temp. ordin.  
 u) c. 1, 3, & 5. X. de corp. vitiat. c. 7. D. 55.  
 x) c. 1. de filiis presbyt. in 6.  
 y) c. pen. D. 34.

tes a Pontificiorum doctrina recedant?

ne, (§ CLXVI.) & de sacerdotio proprie sic dicto (§.CLXVII.) Romanae ecclesiae additi docent, ea a doctrina Protestantium, si principium respicias, plane exorbitant. Nec per omnia, quae de diuersis ordinibus, (§.CLXIX.) graduum diuersitate, (§.CLXXI.) interstitiis (§. CLXXIV.) & irregularitate, (§.CLXXV. seq.) ius canonicum tradit, apud nos vndiquaque obseruantur.

### §. CLXXXII.

& rursus consentiant?

Interim tamen non plane abhorrent nostrates a doctrina, quae diuisionem inter clericos & laicos, inter ordinem & plebem inculcat: (§.XXV.2.) inde etiam necessitatem ministerii cuiusdam ecclesiastici e sacris repetendam esse censent. 2)

### §. CLXXXIII.

Quid ministerium ecclesiasticum.

Est vero hic ministerium ecclesiasticum *ordo certarum personarum, quibus eo ipso, quo sunt assumti, competit facultas docendi & administrandi sacramenta, cum exclusione aliorum, quae personae quandoque in conuentum ire & coniunctim quaedam agere solent.*

### §. CLXXXIV.

Differentia inter ministerium verbi & ministerium ecclesiasticum.

Quum vero ordo diuersus non fluat ex necessitate ministerii verbi, (§ CLXIV. 7.) per se inde constat, differre *ministerium verbi a ministerio quodam ecclesiastico: illud quidem ex praescripto verbi diuini necessarium esse;*

2) vid. GISE. VOETIUS *in polit. eccles. P. II. L. 2. tract. 1. c. 1. seqq.* CHRISTOPH. TOB. WIDEBURG *d. ff. de minist. eccles.*

esse; hoc vero fluere ex *auctoritate ecclesiae*,  
vt eo meliori ordine starent res ecclesiae.\*

\* Aequi rerum aestimatores facile mecum facient, siue Theologi sint, siue Icti; iniquos non curo. Ne vero turba crabronum me insultet, dabo illis aduocatos. Primas teneat Theologus Helmstadiensium **GERH. THEODOR. MEIERVS**, qui in tract. *de trib. nascent. eccl. Christian. initiamet.* §. 140. ita differit: *Ecclesia Christi, licet absque ministerio verbi diuini esse non possit, potest tamen esse SINE MINISTERIO ECCLESIASTICO, vnde doctrinam de ecclesiae ministris in necessariis ad salutem in catecheticis haecenus nondum habemus. Claves ligantem & soluentem concredidit Christus suae ecclesiae, in cuius potestate est & arbitrio, cui vel quibus illarum exercitium committere velit. Huic iungo delitium Fridericianae & litterariae reipublicae Illustr. BOEHMERVM, qui in iur. eccles. antiqu. diss. 6. §. 28. ita differit: Existimo inter has duas propositiones nullam reperiri collisionem: Doctorum munus esse in ecclesia necessarium, & a DEO ipso demandatum; & differentiam inter ordinem & plebem, seu inter clericos & laicos auctoritate & decreto ecclesiae esse constitutam. Hanc propositionem mox pluribus illustrat, & deinde §. 43. pergit: ministerium IN VERBO ET SERMONE omnino necessarium erat, & ex hoc ecclesiae plantatae & confirmatae sunt, & perpetuus eius in ecclesia vsus & praxis fuit. Hi tamen doctores SEPARATVM ORDINEM nulla ratione adfectarunt, cum singulis fidelibus, quibus haec charismata diuinitus data erant, integrum esset, huic necessitati prospicere & regnum DEI annunciare. Nec alienum puto ab hac, quam propugno, sententia, B. C. A. BECKIVM, qui in diss. *Princeps Christ. aetern. subdit. salut. curator*, vbi §. 3. de eccle-*

ſia loquitur, his verbis uſus eſt: *Miniftrorum autem legitime vocatorum opera in exercendis iuribus ſuis ſpiritualibus, ac diſpenſandis beneficiis diuinis ea quidem de cauſſa ueritur, ut cuncta fiant ORDINE atque DÉCENTER.*

## §. CLXXXV.

Ordo eccleſiaſticus in eccleſiis Proteſtantiſium.

Quum uero ex tali eccleſiae inſtituto certa perſonarum diſtinctio oriatur, (§. XXII. 5.) immo ipſa preſbyterorum inſtitutio diſcrimen aliquod perſonarum introduxerit, (conf. §. CCXXXII.) uides 1) *ordinem* quendam ſeu perſonarum diſtinctionem & in eccleſiis Proteſtantiſium occurrere, ſed & 2) in eo ab ordine Pontificiorum (§. CLVII. 2.) diſferre, quod ei nullum imperium cum coniuncta ſubiectione (§. CLXIV. 5.) ſed ſaltem *honor & reuerentia* competat.\* 3) Propterea tamen nihil contra ueritatem agendum, nec 4) nimis honorem & reuerentiam eleuandam eſſe, licet 5) ex regulis prudentiae ſaepe quaedam in honorem miniſterii *diſſimulanda* ſint. Recte etiam inde 6) colliges, proſpiciendum eſſe ſingulis miniſtris de neceſſariis uitae: (conf. §. XCIII. 7.) 7) *ſanctas* eſſe eorum perſonas: 8) lites inter eos amputandas, nec 9) famoſas actiones contra eos inſtituendas eſſe. a)

\* Ipſa Scriptura fideles adhortatur, ut reuerentiam miniſtris uerbi exhibeant & obſequium praeſtent. 1. *Timoth. V. 17.* 1. *Theſſ. V. 12. 13.* *Ebr. XIII. 17.* ſed per obedientiam *internam* non externam

a) conf. STRYCK diſſ. *de iur. reuerentiali.*



ternum obsequium, vi coactiua armatum, intelligi debet, cum doctores nulla quam *persuasiva* vis deceat. (§. XXI. 3.)

## §. CLXXXVI.

Nec incognita plane est distinctio inter ordines *altiores & inferiores*, seu quod eodem recidit *maiores & minores*: (§. CLXVI.) sed sensu plane diuerso. Maiores enim dicunt illos, qui *sacris operantur*, & *ministri ecclesiae proprie tales* sunt: minores, qui *sacra non tractant*, sed nudum *ministerium corporis* idque vulgare praestant, & eatenus saltem clero accensentur, quia *foro priuilegiato* gaudent, & instar clericorum consistorio subsunt, v. g. aeditui alique. \* b)

Distinctio  
ordinum  
inter Protec-  
tantes.

\* In sensu iuris canonici ii, qui non ordinantur nec primam tonsuram accipiunt, in ordine non sunt, nec proinde in numero clericorum. Sed Protestantes & illos clericis accensent voce in *sensu iuris canonici* sumpta, qui quodammodo sacris operantur, licet vulgare sit ministerium, dummodo *consistorio* sint subiecti. Sane Protestantes *Episcopi* ecclesiasticorum ordini adnumerantur, & *canonici* Protestantes in clero manent, licet ordinationem ignorent. Nec exprobrari quidquam possunt Pontificii nostratibus, cum non consecratos Episcopos nobis sistant, licet prima tonsura illis obigerit.

## §. CLXXXVII.

Nec respuunt nostrates distinctionem inter ordinem & officia ecclesiastica, (§. CLXX.)

Distinctio  
inter ordi-  
nem & of-  
ficium.

I 4

cum

b) SCHILTER *institutt. iur. can. L. I. tit. 10.*  
CARPZOV. *iurispr. consist. L. I. d. 75. L. III. d. 6.*

cum hoc sensu in ordine saltem sint qui *saceris*, collata prius ordinatione, *operantur*, & sic gradum ministerii ecclesiastici tenent; in officio vero, qui aliud *ministerium* ad cultum diuinum inseruiens praebent, quales sunt hierophylaces, cantores, organici, aliique.\* Immo & *scholae praeceptores* huc referunt, & eorum officium quodammodo ecclesiasticum esse censent, & hinc vt plurimum foro ecclesiastico subsunt. c)

\* Alicubi peculiare *catechetas* constituti, quod institutum merito laudandum, quia antiquitati non solum conueniens est, sed & fructus insignes producere potest. De catechetis & catechisatione veterum confer. GEBH, THEODOR. MEIER cit. l. §. 80, seq. IO. HENR. KRAVSE *de catechetis primitivae ecclesiae*. MICH. WALTHER *de catechisatione veterum*.

### §. CLXXXVIII.

Subordina-  
tio inter  
Protestan-  
tes.

De reliquo licet Ecclesiam pro separata republica non venditent Protestantes, (§. XVIII. seq.) eam tamen directione quadam indigere recte largiuntur, (§. LXII. seq.) hinc & aliqualem *subordinationem* (§. CLXXI.) intultu ministrorum admittunt, ita, vt alii audiant Superintendentes, Inspectores, Decani, Pastores, Archi-Diaconi: alii Diaconi, Sub-Diaconi, Pastores rurales, de quorum iuribus sequentibus titulis dicetur. (§. CCXXVII.

c) conf. S. STRYCK *de iure praeceptorum* c. I. nr. 22.

CCXXVII. §. CCXXXVIII. §. CCLV. seq.  
§. CCCCXXV. §. CCCCXLIII. &  
§. CCGCLXIV.)

§. CLXXXIX.

Qua ratione itaque dici queat, quod apud nos alii sint in dignitate, alii in officio, alii in administratione; (§. CLXXII.) ex iam dictis constabit. Sane cum ministris verbi omnibus *reuerentia* debeat, (§. CLXXXV. 2.) omnes suo modo sunt in *dignitate*. Quum alii rursus ad sacra saltem concurrant, vel saltem propter *munus*, quod gerunt, clericis adnumerentur, (§. CLXXXVII.) erunt illi in *officio & administratione*. Vitalicia nuda rarius occurrunt.

Graduum  
differentia.

§. CXC.

Sicuti canonica iura nullos nisi *vocatos & probatos* admittere volunt; (§. CLXXXIII.) ita & apud Protestantes & consistoria & Superintendentes *scrutinium* seu *examen* quoddam cum candidatis instituere solent, id quod tamen modo ante, modo post vocationem suscipitur, & ad explorationem doctrinae, fidei, vitae ac morum tendit. d) \* Scrutinio peracto, vbi scilicet post vocationem suscipitur, subscribere solent *libris symbolicis*, praestantque simul *iusiurandum religionis & fidelitatis*. \*\*

Ratio ad-  
optionis in  
ministerium  
ecclesiae.

\* Non satis instructi repellendi forent potius quam admittendi, sub spe emendationis, quod tamen saepius contingere solet. Sicuti iam

I 5 olim

d) Illustr. BOEHMER *jur. eccl. Prot. L. I. tit. 12.*  
§. 8. sequ.

olim peccatum hic fuit, ita adhuc hodie impingunt, vt non solum rudes, sed & tales, quorum vita explorata fatis haud est, admittant. vid. ZIEGLER *de Episc. L. II. c. 4. §. 48.* seq. SPENER in *theologischen bedencfen Vol. vlt. P. I. c. 1. sect. 40. pag. 243.*

\* *Olim incognita religionis iuramenta & sec. VII. demum ab Episcopis exacta, & occasione diffidorum inter Pontificios & Protestantes, & rursus ob intestina odia, quae Protestantes inter se aluerunt, roborata fuerunt, vid. Reu. WALCHIVS *Introd. in libr symb. Part. II. cap. 2. §. 4.* Propugnet ea qui velit, ego nullum religionis munimentum in illis deprehendo. Propugnauit etiam ea Reu. WALCHIVS *cit. l. §. 5. seqq.* simulque argumenta Ill. BOEHMERI ad illa confutanda aggressus est. Sed, quod pace viri Reuer. dixerim, nonnulla, immo palmaria eius argumenta, petere videntur id, quod est in principio, adeoque ea quae Ill. BOEHMERVS per indicem saltem protulit ratiocinia, facili ratione saluari possunt.*

### §. CXCI.

De interstitiis.

Nec plane reprobant *interstitia*, (§. CLXXIV.) ita tamen, vt sicuti inter Pontificios hic *dispensatio* obtineat, cum teste experientia multi statim ad Episcopatus destinentur, quibus saltem prima tonsura obtigit, (conf. §. CLXXX.) ita nec apud nos arbitrium consistorii excludatur, vt mox ad Pastorum quis ascendere queat.

### §. CXCII.

De irregularitate.

Quia vero Protestantes in ministris noui testamenti nullum sacerdotium agnoscunt; (§. CLXXXI.) ita *externas qualitates, ex sacerdotio*

*cerdotio* veteris testamenti tractas, aliasque *nouas*, regulis a conciliis comprehensas, vnde *irregularitas* resultat, (§. CLXXV. seq.) respuunt. Potius cum antiquitate, e) 1) inhabilitatem ad officia sacra ex praecepto Apostoli dimensurantur, volentis, Episcopum debere esse irreprehensibilem. f) Interim tamen 2) *aetatis* eatenus rationem habent, ne facile iuuenes, maxime ad Pastorum, admoueantur. \* 3) Aegre ex quorundam sententia admitti *spurios*, g) quos tamen Principis *dispensatio* aequae vt Pontificis (§. CLXXX. 7.) habiles efficiet. 4) Quod arceri debeant *hermaphroditi*, nisi vbi sexus masculinus praeualeat, & eo loco sacris praeficiantur, vbi hic defectus incognitus. b) 5) Alios vero defectus tunc saltem admittunt, si ipsi *cultui sacro* sint penitus *impedimento*.

\*\* Quod intuitu canonicorum aetas & aliae irregularitates inter Protestantes obseruentur, huc non pertinet, sed (§. CCCCLXIX. seq.) enucleandum est.

TIT.

e) vid. ESPEN *iur eccl.* P. II. tit. 10. c. 1. §. 2.

f) ARNOLD Gestalt eines evangelischen Lehrers nach dem Sinn und Exempel derer Alten.

g) STRYCK ad Brunnem. ius eccl. L. I. c. 5. §. 12. nr. 22.

b) I. F. MEYER *de sacerdot. androg.*

TIT. VIII.  
DE TONSVRA CLERICORVM. '  
§. CXIII.

Ratio con-  
nexionis.

Vidimus, quod ex doctrina Pontificio-  
rum clerici in sortem domini adsu-  
mantur, (§. CLIII.) quorsum, ceu initia-  
mentum, *tonsuram* refertur. Haec, quia *in-*  
*troitus* ad clericatum est, *prima* vocari solet.  
Ipsi vero modestiores Pontificii eam recen-  
tioris instituti esse docent. 1) \*

\* Differentia quidem inter clericos & laicos iam  
sec. III. ad suam perfectionem ascendit; ve-  
rum nulla distinctio inter utrosque, nec ra-  
tione capillorum, nec vestium, nec habitus re-  
liqui, adfuit. Omnes Christiani honestum &  
decorum arbitrabantur, veste & habitu decen-  
ti uti, & cum Apostolus decorum sui tempori-  
s respiciens, *caesariem* in masculis impro-  
bauerit, clerici potissimum hoc sibi dictum  
esse reputabant. Inde vero nulla ratione  
tonsuram clericalis peti potest, ut ingenue fa-  
tetur THOMASSINVS *de vet. & nou. eccl.*  
*discipl.* P. I. L. 2, c. 37. §. 3. seqq. Monachi  
primitus *tonsuram* adhibuisse videntur, for-  
san ad *humilitatem* ostendendam, cum *calui-*  
*rium* turpe putaretur apud Romanos: Neue  
Bibliothec P. XXXVIII. nr. 4. vel quod *ton-*  
*sura* nota esset *tristitiae* prout demonstravit  
IO. POTTERVS *archiol. graec.* L. IV. c. 5.  
Cum abhinc illi ad clericatum passim adsu-  
merentur, vel clerici morem monachorum  
imitarentur, & *tonsuram* sibi adpropria-  
rent; ea postea *instar initiamenti* clericatus  
reputata fuit, sicuti adhuc hodie est. conf. IO,  
MA-

1) FLEURY *institutt. iur. can.* P. I. c. 5. §. 1.

MABILLON *præf. ad Sec. III. Bened. et. P. I. pag. 7. seq.* ZIEGLER *diss. de tonsura cleric. LARROQVANVS aduers. Sacr. Pag. 102. MORINVS de sacr. eccl. ordinat. P. III. exerc. 15.* Certe Seculo IV. eam iam inualuisse, & per *formam circuli crines detonsos fuisse, vel inde colligitur, quod clerici sub sec. V. auspicio se inuicem coronas adpellauerint.* conf. THO. MASSINVS *cit. l. P. II. L. I. c. 20. seq.*

## §. CXCIV.

Est vero prima tonsura *solemnis nonnullorum crinium detonsio, quae fidelibus in clericum recipiendis ab Episcopo \* contingit, & characterem imprimit.* Tonsurae descriptio.

\* Ita regulariter. Sunt tamen & quidam Abbates *insulati*, seu *mitrati*, qui ex priuilegio Pontificis Pontificalibus insignibus, baculo, mitra, annulo, chirotheca & sandaliis utuntur. (conf. §. DV. 7.) Hi cum propterea iura quaedam Episcopalia consequantur, c. 6. *de priuileg. in 6.* & propria dioecesi gaudeant, sui ordinis hominibus minores ordines conferre, adeoque prima tonsura adhibita, eos in clericum recipere possunt.

## §. CXCIV.

Inde notanda axiomata: I. Tonsura in detondendo requirit certas qualitates. II. Detonsus fit nouus quidam homo, & characterem accipit: III. Tribuit tonsura priuilegia clericalia. Axiomata.

## §. CXCVI.

Ex primo itaque sequitur. 1) Ut debeant esse *confirmati*, quibus tonsura obuenit. k) Qualitates detondendorum.  
2) Ut septem vel octo annis minori conferri

---

k) CONC. TRIDENT. *Seff. 23. de reform. c. 24.*

ri nequeant, quia arbitrium discretionis requirit, adeoque, 3) in nonnullis dioecesibus vsque ad annum XIV. differatur. 4) Ut nulla tunc doctrina, sed id saltem desideretur, ut legere possint ac scribere. l)

## §. CXCVII.

Ratio & ritus tonsurac.

Ex secundo axiomatico liquet: 1) cur negligi haud debeat, quia 2) sic a grege reliquorum fidelium detondendus *separatur*, & 3) ipsum *clericatum* accipit. m) 4) Cur ad tonsuram compelli possint, qui clericatum semel professi: n) 5) cur peragatur tot ritibus & ceremoniis, puta quod α) Episcopus *preces* pronuntiet, β) crines sub pronuntiatione *solemnium verborum* detondeat, γ) *linthea veste* detonsum induat, δ) *precibus* actum claudat. Denique 6) inde constat, quare sic acceptus *habitus* temere *deponendus* non sit.

## §. CXCVIII.

Tonsurac effectus.

Ex tertio denique discimus: 1) Quare tonsura tribuat *exemptionem* a iurisdictione seculari: 2) cur multi sola prima tonsura contenti ceteros ordines contemnant, quia 3) & sic ad *beneficia* adspirare possunt: cur 4) nullae detonsis sint partes in ecclesia, nisi lintheati seu *clericali veste* induti, diuinis officiis adstiteri velint: 5) cur *testimonio* impetratae primae tonsurae se munire soleant.

## §. CXCIX.

l) FLEVRY c. l. c. 4. §. 6.

m) CIRONIUS ad tit. X. de vit. & honest. cleric.

n) IDEM ad tit. X. de apostat.



## §. CXCIX.

Ignorant Protestantes primam tonsuram, immo ceu *ritum superstitiosum* repudiant. Interim tamen vel *nuda professio* studii theologi plerumque eiusdem effectus est, quia *exemptionem* a iurisdictione seculari tribuit, & in conditione adspirandi ad officium ecclesiasticum profitentem ponit. Nec temere studio theologico nuntium quempiam mittere posse, si semel se deuouit, plurimi docere solent. o)

Vfus tonsuræ inter Protestantes.

## TIT. IX.

## DE CLERICIS MINORVM ORDINVM.

## §. CC.

Clerici vel in minori vel maiori seu inferiori aut altiori gradu sunt constituti. Illi vero cum sint, qui saltem ministerium praestent, (§. CLXVI.) de his nunc agendum est. Ministerium vero vel *vulgare* est vel in ipsis *facris* aliquod momentum facit, & tunc de ministrantibus dicitur: quod in facris essent; cum de illis, qui *vulgare* ministerium exhibent, peculiari plane sensu dicatur, quod in *ministerio* & *minori ordine*, seu nec in sacerdotio nec in facris, militarent.

Ratio connexionis.

Diuisio ministerii.

## §. CCI.

Quum autem quaedam personae peculiari sensu in ministerio & ordine minori esse

Distinctio inter clericatum & ordinem.

o) H. LINCK diff. de apost. studior. p. 19. seq.

esse dicantur (§. CC.) notanda est distinctio inter *clericatum & ordinem*. Qui enim primam *tonsuram* acceperunt, in *clero* sunt: (§. CXCV.) qui vna cum prima tonsura *functionem ecclesiasticam* sunt adepti, in *minori ordine* constituti dicuntur.

## §. CCII.

Quinam in  
minori or-  
dine sint  
constituti?

Itaque in minoribus ordinibus illi militant, *qui non solum in clerum per tonsuram recepti, sed et mediante quibusdam solemnitatibus ad certum officium constituti sunt*. Huc quatuor referunt, Ostiarios, Lectores, Exorcistas, Acoluthos, de quorum constitutione & officio paucis differemus.

## §. CCIII.

De Ostiariis.

*Ostiariorum* munus consistit in eo: ut pulsent campanas, distinguant horas precum, custodiant ecclesiam, aperiant eam claudantque rursus, curam ornamentorum reliquique splendoris ecclesiae habeant, Praeterea fideles in ecclesiam admittunt, excommunicatos & infideles arcent. p) Constituantur per *traditionem clauium* ecclesiae, quibus accessit *funis campanae*, postquam inualuit, per sonitum campanarum vocari fideles.

## §. CCIV.

De Lectoribus.

*Lectores* sunt, qui sacras Scripturas ex suggestu populo legunt, q) immo Episcoporum episto-

p) c. I. D. 25. add. SARAVIA *de diuers. grad. ministr. euang.* p. 194. SAGITTARIUS *de ian. vet.* c. 16. M. A. de DOMINIS *de rep. eccl.* L. II. c. 4.

q) c. I. D. 25.

epistolas, acta Martyrum & homilias patrum.  
Constituuntur per *traditionem bibliorum.* r)

## §. CCV.

*Exorcistae* sunt, qui catechumenis & ener- De Exorcistis.  
gumenis manus imponunt, & solemnibus  
quibusdam imprecationibus & obsecratio-  
nibus daemones fugant. s) Constituuntur  
per *traditionem libri*, qui formulas impreca-  
tionum complectitur. t)

## §. CCVI.

*Acolutbi* lumina praeparant cerea, funalia De Acolu-  
this.  
deferunt, vinum & aquam ad eucharistiam  
ministrant. u) Constituuntur per *traditio-  
nem cerei & urceoli.*

## §. CCVII.

Hodie vero in ipsa ecclesia Romana par- Hodie haec  
officia fere  
incognita.  
tior horum minorum ordinum usus, immo  
fere nullus, quia illi demum his ordinibus  
inaugurantur, qui *ad maiores* tendunt, immo  
ad illos iam sunt destinati. Voluit quidem  
eos reducere concilium Tridentinum, x) si-  
mulque iussit, ut per *interstitia* (§. CLXXIV.)  
adscenderent, verum inanis fuit conatus.  
Vbi illi ipsi, qui ad maiores ordines destinati,  
per hos inferiores adscendunt, tam liberali-  
ter suam dispensationem indulgent Episco-  
pi,

r) conf. L. 7. C. Theod. *de Episc.*

s) c. 1. D. 25.

t) CONF. DURANDVS *ration.* L. 1. c. 27.u) c. 1. D. 25. ISIDORVS *Etymol.* L. VII. c. 10.BELLARMINVS *de cler.* L. I. c. 1.x) Sess. 23 *de reform.* c. 17.

pi, vt omnes ordines minores *vna die* eidem homini conferri videas.

§. CCVIII.

Fungi illis  
solent Laici  
aut alii clerici.

Sicubi vero his functionibus carere nequeunt, ipsi *Laici* quibusdam funguntur. Ostiariorum sane munus plerumque obeunt. Lectiones, omnis generis *clerici* etiam *Presbyteri* cantant. Exorcistarum officia ad *Presbyteros* sunt deuoluta, qui vero ea raro & non sine speciali Episcopi mandato exercent. Acoluthorum munus, licet alicubi obuii sint, etiam a *laicis* exerceri solet. y)

§. CCIX.

Vfus minorum ordinum inter Protestantes.

Quum vero hi ordines, haec officia, inter ipsos Pontificios occurrere vix soleant, (§. CCVII.) facile inde intelliges, ordines hos multo minus inter Protestantes occurrere; licet tales adsint, qui ecclesiae inferuiunt, & suo modo in minoribus ordinibus, vel in clero constituti. z) (§. CLXXXVII.) Nam non solum ii ecclesiae inferuire dicuntur, qui per *ordinationem* sunt recepti, & in doctrina & administratione Sacramentorum laborant; sed & illi, qui praestant *operas subsidiales*. a) Custodum nostrorum officium fere cum ostiariorum, acoluthorumque functione collineat, & in pagis ludimoderatores etiam lectorum munere funguntur.

Con-

y) MORINVS *de sacr. eccl. ordin.* P. III. ex. 13. §. 10.

z) CONF. CARPZOV *iurispr. Consist.* L. I. D. 75.

MEVIVS P. VII. dec. 27. nr. 3.

a) G. H. BRVCKNER *de hierophylacibus membr.* §. 8.

Constitutio harum personarum non quidem fit per ordinationem quandam, interim tamen *confistorio* praesentari debent. Quod si vero omnes illos, qui sub directione ecclesiae ministeria obeunt, huc referre velis, in minorum ordinum censum venient: dispensatores & administratores bonorum, *Kasten-Vöigte, Kirch-Väter, b)* altaristae, *Altar-Leuthe*, qui communicantibus linteola aperta subtendere solent, & cum sacculo sonante eleemosynas colligunt: vespelliones, praepositi mendicantibus, campanarii, aliique. *c)* Verum sic luxuriari in vocis ordinis significatu, vix ratio permittet.

## TIT. X.

## DE ORDINIBVS SACRIS.

## §. CCX.

**Q**Uum ministerium vel vulgare sit, vel in Connexio: sacris momentum faciat, (§. CC.) de *ordinibus sacris* agendum erit. Hi vero, qui in sacris militare cupiunt, quia quodammodo ad *sacrificium* concurrunt, hanc statim legem accipiunt, *ne matrimonium ineant.*\*

\* Summus in ecclesia primitiua *abstinentiae* amor. Abstinentes sua sponte coniugium fugiebant, & laicis aequae ac clericis commune fuit hoc institutum, adeoque non mirandum, quod etiam Episcopos desiderium huiusmodi

K 2

vitae

b) *ILLUSTR. BOEHMER de administr. bonor. ecclesiae.*

c) *SCHILTER institut. iur. can. L. I. tit. 10. §. 7. II.*

vitae occupauerit, licet non omnes abstinent, quia *lex caelibatus* nemini imposita erat. Sciebant praeterea quosdam Apostolos vxoratos, vid. I. F. MEYER *de Petri coniugio*; I. A. SCHMID *de Apost. vxoratis*. Incognita doctrina de sacrificio missatico, vnde demum argumentum de *necessaria continentia* defumebant, sicuti hodie inde peti solet. ANDREAS du SAVSSAY *panopl. sacerdot.* P. II. L. I. *artic. 2.* Ad illud etiam iam olim prouocauit, ORIGENES *hom. 23. in Num.* Sed licet haec priuata opinio adplausum meruerit, non tamen vbique recepta fuit, ne quidem in concilio Nicaeno. SOCRATES *hist. eccl. L. I. c. 2.* I. A. SCHMID *Paphnutius Episcopus caelebs coniug. cleric. vindex.* Doctorum vero quorundam in ecclesiis auctoritas, qui patrociniū caelibatus in se susceperunt, Romanae ecclesiae Episcopos mouit, vt illis adsensum praeberent. Inde caelibatus in occidente introductus paullatim fuit, licet ante Gregorii VII. tempora clericis coniugia adempta prorsus non fuerint. conf. CHEMNITIVS *exam. concil. Trident.* P. III. L. 2. c. 5. & 6. G. CALIXTVS *de coniug. cleric.* ipsa ratio hierarchiae denique hoc institutum promouit. PVFFENDORF *Monarchie des Stuhls zu Rom.* s. 32.

## §. CCXI.

Qui in sacris  
constituti?

In *sacris* enim dicuntur esse, qui *vi officii celebrationi missae proxime inseruiunt*. In missa vero cum *sacrificium* proprie sic dictum occurrat; inde huc trahunt veterem legem ceremonialem, quae ad sacrificandum accessuros *ab vxoribus* abstinere iubet. d) Quotidie vero cum sacrificare hodie debeant

---

d) Du SAVSSAY cit. I.

beant aut sacris vacare; hinc *perpetuam abstinentiam* etiam ab illis exigunt, qui ad sacrificium proxime concurrunt.

§. CCXII.

Inde eliciunt axiomata: I. Qui in sacris sunt, abstinentiam seruare: II. Titulum habere (vid. §. CMXXXII. \*) & III. ad peragenda sacra destinati esse debent.

Axiomata  
de illis.

§. CCXIII.

Quum itaque in sacris constituti abstinentiam seruare debeant, (§. CCXII. I.) sequitur, 1) vt *caelibes* regulariter ad ordines sacros admouendi sint, & 2) vxorati non nisi cum *consensu vxorum*, quibus abstinentiae lex etiam imponitur. e) 3) Vt poenis adficiendi sint, qui his ordinibus initiati vxores ducunt: 4) Vt ipsi clerici minores, *beneficia* sua amittant, simulac uxores duxerint. f)

Viuere debent in caelibatu.

§. CCXIV.

Quumque porro & Titulum habere debeant, (§. CCXII. 2.) sequitur 1) vt nemo in sacris sit, nisi certo *officio* praeponatur, g) 2) vt tamen valeat ordinatio, si Episcopus *necessaria vitae* subministret, b) vel 3) *patrimonium* tam largum sit ordinando, vnde se exhibere possit. i) K 3 §. CCXV.

Titulum habere.

e) FLEURY cit. l. P. I. c. 7. §. 3.

f) c. 3. 5. & 9. X. de cleric. coniug.

g) c. 122. C. I. q. I. c. 2. D. 70. CONCIL. CHALCED. can. 6.

b) c. 4. X. de praebend.

i) c. 23. X. de praebend. NATAL. ALEXANDER in dissertt. hist. eccl. sec. XI. & XII. c. 7. art. 6.

## §. CCXV.

Precibus  
litare.

Quum denique ad peragenda sacra destinati esse debeant, (§. CCXI. 3.) nonnulli vero & citra Titulum ordinentur, (§. CCV. 2.) sequitur, 1) vt *precibus*, si aliis ministeriis destituantur, litare necesse habeant, adeoque 2) inde obligationem ad recitandum *officium* (§. DCVIII. seq.) resultare. *k*)

## §. CCXVI.

Vfus inter  
Protestan-  
tes.

Protestantes quod concernit, sicuti *sacerdotium* proprie sic dictum non agnoscunt; (§. CLXXXI.) ita nec *caelibatum* ab illis, qui in sacris ministrant, exigunt.\* Recte etiam iuxta primitivae ecclesiae praxin *sine Titulo*, aut *sine certo officio* sacro, neminem in ministrum ecclesiae adoptant, & *Titulum patrimonii* ignorant. Adoptatis vero in ministerium vna cum muneris administratione obligatio fundendi preces, vti reliquis fidelibus, incumbit. Formula vero quae *instar officii* cuiusdam obseruari & cantari debeat, ignoratur.

\* Sub reformationis temporibus ab ipsis Episcopis permissionem matrimonii ineundi postularunt ecclesiae ministri. vid. *Anoen. litt.* T. IV. pag. 308. Primus anno 1520. uxorem duxit Bartholomaeus Bernhaldi, Praepositus Kembergae. SECKENDORF *hist. Lutheron.* L. I. §. 104. nr. 2. *sequ.* Hunc plures sequebantur, inter quos Balthasar Sturnus, Prior ordinis Augustiniani, qui exuto monachali habitu

*k*) FLEVRY cit. l. §. 9.



habitu viduam in torum adsumsit anno 1522. *Amoenit. litt.* T. IV. p. 397. Ipse Lutherus anno 1525. Catharinam de Bora sibi sociavit, *Amoenit. litter.* T. IV. p. 423. *seq.* SECKENDORF *cit. l. L. II. §. 5. nr. 1. sequ.* Omnes sua facta strenue defenderunt, & ipsi tandem Principes, legibus latis, matrimonia clericorum pristinae libertati restituerunt. Hinc & clerici in dignitate constituti regulariter matrimonium contrahere possunt. *Illustr. BOEHMER iur. eccles. Protest. L. III. tit. 3. §. 22. seqq.*

## TIT. XI.

DE SVBDIACONIS ET DIACONIS  
EX MENTE IVRIS CA-  
NONICI.

## §. CCXVII.

**P**ostquam sacerdotium veteris testamenti <sup>Connexio.</sup> & cultus Leuiticus in ecclesiam introductus fuit, Diaconos surrogandos esse putarunt in locum Leuitarum (§. CLXVII.) & his Sub-Diaconos aliosque auxiliares substituerunt, qui quo magis ad ipsum missae sacrificium concurrunt, in sacro quodam ministerio esse dicuntur. (§. CCXI.) Huc verocum *Sub-Diaconos* & *Diaconos*\* referant, 1) de his nunc agendum erit.

- \* Diaconorum origo ex ipsa apostolica ecclesia deriuanda est, & fuerunt *ministri mensae*, quorum constitutio refertur *Act. VI.* vti recte coniecturarunt viri eruditissimi, ZIEGLER *de Diaconis*, THOMASSINVS *de vet. & nou.*

1) CORVINVS *institutt. iur. can. L. I. tit. 22. §. 1.*

*eccl. discipl. P. I. L. 2, c. 29, sequ. I. F. BVD-  
DEVS de eccles. apostol. c. 6, §. 9. aliique. Ve-  
rum Illustr. BOEHMERVS in alia iuit, & in  
iure ecclesiastico antiquo dissert. 6, §. 20. seqq.  
vt ingenue fatear, erudite & rationibus non  
contemnendis ostendere voluit, in cit. c. VI.  
Añ. non Diaconorum, sed Presbyterorum  
constitutionem referri. Ego vero, quod pa-  
ce Viri illustris dixerim, vel propterea com-  
munem sententiam deserendam haud esse  
puto, quia expresse διακονία τῶν τραπεζῶν, his  
septem viris attribuitur, quae de Presbyteris  
praedicari nequit, Dubia illustris BOEH-  
MERI quodammodo resoluit B, GVND-  
LINGIVS in Gundlingian. P. II. c. 3, & quae-  
dam etiam regessit B. BVDDEVS cit. l. p,  
765, sequ. Postea plura alia officia Diaconis  
fuere demandata, de quibus praeter ZIEG-  
LERVM conferri potest BINGHAM orig.  
eccl. L. II, c. 20.*

§. CCXVIII.

Qui Sub-  
Diaconi?

*Sub - Diaconi* \* autem sunt : qui ab E-  
piscopo ritibus certis ideo constituun-  
tur, vt Diaconis sacra facientibus mini-  
strent. m)

\* Ex quo Diaconis *plura officia*, eaque *maioris  
momenti*, imposita fuerunt, *vulgaria* ministe-  
ria reliquerunt, quae proinde aliis demandari  
debuerunt, vnde Sub - Diaconi orti. Eos  
demum Sec. III. inualuisse, dubio caret.  
BINGHAM *orig. eccl. L. III, c. 2.* Obstant  
ab initio ministeria *vulgaria*; ex quo vero  
*abstinentia* a coniugio illis iniuncta fuit, simul  
inter *sacros ordines* locum obtinuerunt. de  
ROYE cit. l. §. 1. & 2.

CCXIX.

m) FR. de ROYE *institut. iur. can. L. I. tit. 18. §. 1.*

## §. CCXIX.

De illorum itaque constitutione & officio tenenda axiomata: I. Sub-Diaconi constituantur praecedente quodam scrutinio. (§. CLXXVII.) II. Adhibitis solemnitatibus quibusdam, quibus mediantibus vero III. saltem ministerium in sacris non sacerdotium tribuitur.

Axiomata de illis.

## §. CCXX.

Quum itaque Sub-Diaconi constituantur cum *Scrutinio*, (§. CCXIX. I.) intelligitur, 1) cur requiratur, ut in *minoribus ordinibus exercitati*, saltem per illos adscensi, (§. CCVII.) 2) iustae *aetatis*, 3) *testimoniis* praeceptorum ac Pastoris muniti esse debeant constituendi. 4) Cur ordinationem eorum praecedant *serinae proclamationes*, quo, qui contradicendi ius habet, comparere & impedimenta proponere possit: 5) cur ordinandos Episcopus prius *examinet*, & 6) in nonnullis dioecesibus praeterea desideretur, ut antea per tempus aliquod in *seminario* quodam commorati sint.

Ordinandi cum scrutinio.

## §. CCXXI.

Quumque ipsa ordinatione *solemnitatibus* adhibitis peragenda sit, (§. CCXIX. 2.) facile reddideris rationem, 1) cur die ordinationi praestituto, collatis iam minoribus ordinibus (§. CCXX. I) quilibet candidatorum suo nomine ac titulo, ad quem constituitur, (§. CCXIV) vocetur: 2) cur eos Episcopus animaduertere iubeat, quanto se oneri submittant:

Cum quadam solemnitate.

3) cur, dum humi prostrati iacent, litania cantetur, ordinandisque sic *sanctorum suffragia* concilientur. n)

§. CCXXII.

Ordinatio  
& officium.

Quum denique saltem ad *ministerium* in sacris ordinentur; vides 1) cur in eorum ordinatione *unctio*, immo ipsa *manuum impositio*, saltem *consecratoria*, cesset, o) 2) cur Episcopus simul *seriem officiorum* praecipiat, scilicet ut Diaconis seruiant, aquam ad altaris ministerium necessariam praeparent, eucharisticas mappas & corporalia (§. DCLVII. 5.) lauent: p) Diacono calicem atque patinam porrigant, tantumque panis altari imponant, quantum populo sufficit: q) 3) cur omnis, qui vasa sacra aut mappas eucharistiam contingentes attingere vel tractare velit, ad minimum in Sub-Diaconatu constitutus esse debeat: (§. DCCC.) 4) cur Episcopus ordinando *calicem vacuum & inanem patinam* r) vna cum ceteris ad officium pertinentibus *ornamentis* porrigat: 5) cur *librum* epistolarum, cum facultate eas praelegendi in ecclesia, accipiant; denique 6) cur hodie officium eorum fere restrictum sit *ad altare*, vbi in solemnibus pompis Episcopo vel Presbytero adstant.

§. CCXXIII.

n) FLEURY *instit. iur. can.* P.I. c. 8. §. 2.

o) BINGHAM cit. l. L. III. c. 2. §. 2. ROYE cit. l. §. 1.

p) conf. de illorum officiis antiquis BINGHAM cit. l. §. 3.

q) *Pontificale Roman. tit. de ordin. Sub-Diac.*

r) BINGHAM. cit. l. §. 2.

## §. CCXXIII.

Cum vero Sub - Diaconi Diaconis feruiant, (§. CCXXII. 2.) ipsi vero Diaconi in locum Leuitarum successerint (§. CCXVII.) iam intelliges esse Diaconos *ministros sacerdotum, ad hoc ministerium per manuum impositionem solemniter constitutos.* Qui Diaconi?

## §. CCXXIV.

Ex hac Diaconorum descriptione fluunt *Axiomata* de illis. I. Diaconi sunt *Leuitae* noui Test. II. Eorum constitutio & ordinatio fit cum scrutinio & solemnitate.

## §. CCXXV.

Quum itaque Diaconi sint *Leuitae* noui Testamenti, (§. CCXXIV. 1.) consequens est, Eorum status & officia.  
 1) vt haec appellatio tunc demum inualuerit, vbi doctrina *de sacerdotio* noui foederis disseminari coepit, (§. CLXVI. \*) 2) vt instar *Leuitarum* pro tribu & hereditate Domini reputentur s) & 3) custodiant portentque tabernaculum: 4) vt sint comministri & cooperatores corporis & sanguinis Domini, t) 5) vt euangelium annunciare queant, u) & 6) in *necessitate* quodammodo *munia sacerdotalia* obire, adeoque baptismum administrare & sacram coenam dispensare possint. x) (§. DCLIV. 4.) 7) Vt non solum Episcopis, verum

s) c. 25. D. 23.

t) c. 59. de consecr. D. 1. c. 23. D. 93.

u) c. 1. D. 25. c. 23. D. 93.

x) THOMASSINVS de veteri &amp; nou. eccles. disciplin.

P. I. L. 2. c. 33. §. 7. sequ.

verum etiam Presbyteris, venerationem & obseruantiam debeant, cum etiam horum *ministri* sint. *γ)*

§. CCXXVI.

Eorum or-  
dinatio.

Quum deinde eorum constitutio solemniter & cum scrutinio fiat (§. CCXXIV. 2.) consequens est, 1) vt eadem hic obseruari debeant, quae de *adscensu* per inferiores ordines, certa *aetate*, aliisque, in Sub-Diaconorum ordinatione occurrunt. (§. CCXX.) Quia vero maioris momenti est Diaconi constitutio, simul inde videmus 2) cur Episcopus in ipso ordinationis actu interroget praesentes: num quis ordinationi contradicere velit & possit? 3) cur Archi-Diaconus candidatum Episcopo solemniter praesentet? *z)* & 4) Episcopus eum de officio admoneat & preces fundat? 5) manuum impositione eum ordinet? (§. CCXXII. 1.) denique 6) cum ceteris ornamentis ei *librum* tradat *euangeliorum*. \* *a)*

\* Sic vides aliud plane munus hodie Diaconis obire, ac quidem olim gesserunt. Hodie enim munia eorum *ad altare* restringuntur, vt cum maiori pompa cultus missaticus celebrari possit; (§. CCXVII. 6.) cum tamen olim latius patuerit eorum functio, ZIEGLER *de Diac.* BINGHAM cit. l. 2. c. 20. §. 4. seqq.

DE

*γ)* c. 5. & 17. D. 93. ZIEGLER *de Diaconis cap.* 10.  
*z)* *Pontificale Romanum tit. de ordinat. Diaconor.*  
*a)* *Pontifical, Roman, cit. l.*

## DE DIACONIS INTER PROTESTANTES.

## §. CCXXVII.

Vidimus Diaconos in primæua ecclesia *ministerium mensæ* gessisse (§. CCXXVII.\*) quod in cura Pauperum absoluebatur. Tale officium adhuc hodie in quibusdam Protestantium ecclesiis obire solent, & ibi Diaconus *collectorem ac dispensatorem eleemosynarum* denotat. Ad sacra non aliter concurrunt, nisi quatenus eucharistiam celebrantibus assistunt, & communicantibus lintea supponunt. Sic certo respectu dici de illis potest, quod *in sacris & minore ordine* sint. (§. CCIX.)

Diaconi alibi inter Protestantes eleemosyn. dispensant.

## §. CCXXVIII.

Vbi talis praxis non est, *nomina* saltem Sub-Diaconorum & Diaconorum vsitata sunt, officia vero diuersa. Nam Sub-Diaconorum munia pleraque (§. CCXXII.) per custodes & aedituos expediuntur. Ipsi vero Sub-Diaconi & Diaconi *Pastores* sunt ordinarii, voce in sensu Scripturæ sumta, & omnia munia pastoralia obeunt. Quia vero & in nostris ecclesiis Subordinatio quaedam adest, (§. CLXXXVIII.) & Diaconi Episcopis & Presbyteris venerationem & obseruantiam debeant, (§. CCXXV.7.) Sub-Diaconi vero Diaconis seruiant; (§. CCXXII.) ita & apud nos Diaconi & Sub Diaconi eatenus Pastoribus contradistinguuntur, vt illi, his subsint,

Plerumque ministri verbi.

&

& reuerentiam & obsequium, quales a comministris exigi potest, praestare obstricti sint. b)

§. CCXXIX.

Variarum ob-  
seruationes  
de Diaconis.

Haec *subordinatio* varia singularia iura gignit: Sic 1) is, cui iura patronatus competunt, non eligit Diaconum sine *concurso Pastoris*. c) 2) Plerumque Diaconi Pastori reuerentiam & obedientiam promittunt. 3) Labores inter illos varie sunt distributi: 4) Possunt tamen Diaconi & Sub-Diaconi omnia sacra administrare, quia doctrinam de sacerdotio respuimus, (§. CLXXXI.) 5) quandoque mediate per pastores citantur.\* d) 6) ea que muneris ratio exigit, iussu pastoris expediunt.

\* Hoc singulare est, & ubi lex aut obseruantia deficit, clericos omnes immediate a consistorio aut Principe citari posse recte alii animaduertunt. conf. SCHILTER *instit. iur. can. L. I. tit. 5. §. 16.*

TIT. XII.

DE

PRESBYTERIS IUXTA DOCTRINAM IVRIS CANONICI.

§. CCXXX.

Connexio.

**C**lericos esse vel in sacerdotio vel in ministerio, (§. CLXVI.) sacerdotiumque tribui Episcopis & Presbyteris (§. CLXVII.) vidimus. Ipsum vero sacerdotium in *aliis* &

b) SCHILTER *cit. l. tit. 9. §. 3.*

c) LYNCKER *decif. 895.*

d) CARPZOV. *iurispr. consist. L. I. d. 37.*



& inferius dispesci solet; In illo *Episcopos*, in hoc *Presbyteros* constitutos, adeoque *Episcopos primi*, *Presbyteros secundi ordinis sacerdotes* esse asserunt. e)

### §. CCXXXI.

Presbyteri vox graeca est, sed hic non tam aetatem, quam *dignitatem* quandam denotat. f) Manuit appellatio cum ipso officio ex institutis iudaicis in ecclesiam christianam. Nec tamen *sacerdotali* quodam munereungebantur Presbyteri, sed vt ita dicam, *laici ordinis* erant. g) Quamdiu enim missae sacrificium inauditum, tamdiu nec Presbyteris sacerdotis appellatio accommodata fuit.\*

\* Simulac doctrina de *sacrificio* inualuit, (§. CLXVI. \*) Presbyteri etiam sacerdotes dicti & in nouum statum coniecti fuerunt. Inde etiam Germanica vox *Priester*, quae a denominatione Presbyteri originem trahit, deprauata fuit, vt sacerdotem seu *sacrificulum* denotaret.

### §. CCXXXII.

Pristinum eorum officium erat, vt singularem *ecclesiarum* plantatarum *curam* gererent. b) Inde etiam *Praepositi* dicti, quod praessent, & *Episcopi*, quod inspectionem in coetum haberent, talem nempe, quam coetus aequalis admittebat, citra *despoticum imperium*.

e) LARROQUANVS *aduers. sacr.* L. II. c. 7.

f) BINGHAM *orig. eccles.* L. II. c. 19. §. 1.

g) SALMASIVS *de Episc. & Presbyteris* p. 383.

b) Actor. XX, 28. 1. Tim. V. 17.

*perium. i)* Docebant praeterea, quamvis primario ad docendum constituti haud essent. *k)* (conf. §. CLXIII. 2. 4.) Plures erant in vna ecclesia, qui *confessum* quendam formarunt, cui Presbyterii appellatio tributa.\*

\* Quando, qua ratione & a quibus Presbyteri in apostolica ecclesia constituti? id discrete in scriptura sacra proditum non est. Purat quidem B. GVNDLING in *Gundlingian. P. II. c. 3. 5. 15.* constare de origine Episcoporum, quod scilicet sub initium ecclesiae Hierosolymitanae adfuerint: Iam vero, cum iidem Presbyteri ac Episcopi fuissent, sequi, ut Presbyteri iam ante constitutionem septem virorum (§. CCIII. \*) in ecclesia sua munia obierint. Verum ego nihil tale in scripturis legi, & nisi me omnia fallunt, prima Presbyterorum, adeoque & Episcoporum mentio occurrit *Act. XI. 30.* vnde discimus, in Hierosolymitana ecclesia eos primum constitutos fuisse. Abhinc saepius in sacris occurrunt, *Act. XV. 2. 4. 6. 22. 23. XVI. 4. XXI. 18.* Ad huius ecclesiae exemplum postea etiam in aliis ecclesiis constitutos fuisse, admodum verosimile est. De ecclesiis Derbenfi, Lystrensi, Iconiensi, & Antiochena id constare ex *Act. XIV. 23.* puto. Sic etiam Ephesinae ecclesiae Presbyterorum mentio fit *Act. XX. 17.* & abhinc passim in Apostolorum scriptis occurrunt *1. Tim. V. 17. Tit. I. 5. 1. Petr. V. 1. Iacob. V. 14.*

### §. CCXXXIII.

Qui hodie  
Presbyteri?

Quum vero Presbyterorum conditio in-  
troducito sacrificio alium statum induerit,  
(§. CLXXXI. \*) Presbyter tunc erit: *sacerdos  
noui*

*i)* 1 Petr. V. 3.

*k)* Illust. BOEHMER *iur. eccl. antiqu. diff. 6. §. 41 sequ.*

*noui testamenti, qui populo viam salutis monstrat, sacramenta dispensat, & solemniori ritu ad munus hoc constitutus est.*

§. CCXXXIV.

Inde notanda axiomata : I. Presbyteri <sup>Axiomata.</sup> sunt in sacerdotio, sed inferiori, constituti. (§.CCXXI.) II. Administrant ea, quae ad viam salutis pertinent. III. Solemniori ritu, ac illi, qui sacris operantur, (§.CCX.) ad munus constituuntur.

§. CCXXXV.

Quum vero in sacerdotio, *sed inferiori,* <sup>Quale illis comperat sacerdotium?</sup> Presbyteri constituti sint, (§. CCXXXIV.1.) sequitur: 1) vt imperio sacro proprie sic dicto, scilicet *externo*, sint destituti: 2) vt tamen sint *sacerdotes* secundi ordinis, l) adeoque non solum offerant, seu missae sacrificium *m)* celebrent, \* (§.DCLXVIII.) sed & 3) imperium in *foro conscientiae* exercent: 4) vt tamen, quae Episcopo sunt reseruata, sibi vindicare nequeant. (§.CCXLVI.1.2.) *n)*

\* Huc etiam pertinent *Altaristae*, qui non ad parochialem aliquam ecclesiam, sed saltem ad *capellam* constituti sunt, vt ibi certis diebus missam cantent. Talem olim constituit Fredericus Saxo, in memoriam liberationis Principum liberorum ex raptu Kauffungiano, in villa Ebersdorff. TENZEL, curieuse Bibliothec T. II. p.776. sequ.

L

§.CCXXXVI.

l) IAC. GODOFREDVS ad L.5. C. *Theod. de haereticis.*

m) c.4. D.68. c.1. D.25.

n) CORVINVS *institutt. iur. can. L. I. tit.21. § 4.*

## §. CCXXXVI.

Functiones  
eorum.

Quum porro ea ministrent, quae ad salutis viam pertinent, (§. CCXXXIV. 2.) sequitur, ut praeter missarum solemniam 1) *benedictiones* varias peragere soleant: (§. CCXLVI. 1. & §. DCCXCIX. \*) 2) ut *praesint* conuentibus sacris, \* & 3) verbum diuinum *doceant*: \*\* 4) ut *sacramenta* omnia praeter ordinis collationem & confirmationem ministrent, *p*) quae scilicet Episcopo sunt reseruata (§. CCXXXV. 4. & §. CCXLVI. 2.) \*\*\*

\* Olim etiam senatum ecclesiasticum constituerant. Illustr. BOEHMER *iur. eccl. antiqu.* dist. 7. quod vel hodie exemplo *collegii cardinalium* videmus. Ex quo vero in cathedralibus ecclesiis *canonicorum* collegia fuere instituta, Presbyteri *ius suffragii* in causis ecclesiasticis amiserunt, & hoc *canonicis* cessit, licet hi in ordine Presbyteriali nondum constituti sint.

\*\* Rarior hodie est praedicatio. Olim ipsi Episcopi hanc spartam sibi praecipue vindicabant. (§. CCXLVII \*) Hanc postea *Presbyteris parochis* (§. CCCCLXII. 6) reliquerunt, hodie vero plerumque per *monachos* expediri solet.

\*\*\* Quidam ex his actibus hodie inter *parochiales* referuntur, qui saltem a parochio Presbytero exerceri possunt. (§. CCCCLXII. ) In *consecratione* vero *corporis & sanguinis domini* omnes aequalem potestatem habent, propterea enim *sacerdotes* sunt. Sic & *eucharistiam*, quilibet *Presbyter non parochus* administrare, & illorum, qui eum accedunt, *confessiones* audire potest. Paschalis vero confessio & eucharistiae fruitio a Presbytero parochio auditur & admi-

o) DV SAVSSAY *panopl. sacerdot.* L. II. c. 1. seqq.  
p) c. 1. sequ. C. 26. qu. 6. c. 19. *de consecr.* D. 4.

administratur. Monachi vero Presbyteri in suis ecclesiis ex Episcopi indultu confessiones audiunt. (§. DCLVI.)

## §. CCXXXVII.

Quum denique solemniori ritu, ac illi, Eorum ordi-  
 qui sacris operantur, ad munus constituuntur, dinatio. (§. CCXXXIV. 3.) consequens est: 1) ut quidem, uti in subdiaconorum ordinatione, *scrutinium* requiratur, (§. CCXX.) sed ita, ut 2) hic *strictius & rigorosius* examen fieri debeat: 3) ut Archi. Diaconus (§. CCCCXXI.) ordinandum Episcopo praesentet, & hic eum de officio suscipiendo admoneat. 4) Inde etiam discimus, 4) cur Episcopus ordinando cum Presbyteris circumstantibus ambas *manus imponat*, & preces fundat: 5) *ornatum* rursus suis precibus tradat: 6) *oleo* palmas tingat, & 7) porrecto *calice* vino repleto & *patina* pane onerata tradita, potestatem sacrificandi conferat: 8) Cur sequatur ab ordinato *fidei professio*, & 9) Episcopus illi de novo *manus imponat*: denique 10) *obedientiae* promissionem exigat. 1)

PRESBYTERIS EX MENTE  
PROTESTANTIVM.

## §. CCXXXVIII.

Presbyterorum nomen apud nos quidem Qui Presbyteri inter Protestantes?  
 incognitum est, licet ipsa functio antiqua su-  
 L 2 per-

1) CONCIL. TRIDENT. Sess. 23. de reform. c. 14.

2) PONTIFICAL. ROMAN. de ordin. Presbyt.

3) PONTIF. ROMAN. cit. l.

perfit, & ipsa germanica vox, *Priester*, quae de nostris ministris ecclesiae praedicatur, ex Presbyteri notione descendat. *Praesunt* sane ecclesiis, *inspectionem gerunt, docent.* (§. CCXXXII.)

## §. CCXXXIX.

Quousque ministerium ecclesiasticum ad antiqua Presbyteria accedat.

Nec confessus Presbyterorum (§. CCXXXII.) apud nos plane incognitus. Quum enim ipsi ministri ecclesiae, quatenus ex illis peculiare quoddam *ministerium ecclesiasticum* conflatur. in conuentum quandoque ire soleant, (§. CLXXXIII.) species *Presbyterii* cuiusdam inde exurgit, quod ea, quae singulis incumbunt, (§. CCXXXVII.) omnino peragere, iura vero, quae in *ecclesia pressa* Presbyterio competebant, vix sibi vindicare poterit, *t*) quippe quae partim *iudiciis ecclesiasticis*, partim *Presbyterio*, quatenus illud *ministerio contradistinguitur*, competunt.

## §. CCXL.

Presbyteria hodierna.

Alicubi etiam inter Protestantes, *praeter ministerium*, adesse solet *Presbyterium*, cui cum ministri verbi etiam insint, recte Presbyteri in *docentes & regentes*, iuxta primaeuam praxin, distingui possunt, & si recte omnia perpendimus, maxima conuenientia inter antiquos Presbyteros & hodiernosprehenditur, sicuti & Presbyteriorum potestas in plurimis antiquitati respondet.\* *u*)

\* Com-

*t*) Illustr. BOEHMER *iur. eccl. Protest.* L. I. tit. 24. §. 19. seqq.

*u*) Ill. BOEHMER *cit. l. §. 22. seqq.*

\* Commendat sese hoc institutum ex variis causis. Verum ipsae ecclesiae tali Presbyterio instructae ostendunt, quod earum res vix melius comparatae sint, ac illarum, vbi Presbyteria cessant. *Censura sane morum*, quae tali Presbyterio potissimum incumbit, plura saepius *incommoda*, quam vtilitates producit, quale quid etiam in censura Romanorum occurrebat. vid. THOMASIVS *de iudicio & censura morum*. GUNDLING *in Gundlingian*. P. XVI. c. 1. §. 41. seqq.

## TIT. XIII.

DE EPISCOPIS EX DOCTRINA  
IVRIS CANONICI.

## §. CCXLI.

**D**iximus, Episcopos etiam in *sacerdotio*, Connexio.  
*sed altiori*, constitutos esse: (§. CCXXX.)  
immo Episcopatum omnes ordines emi-  
nenter continere, & *fontem* originemque re-  
liquorum *ordinum* constituere, (§. CLXVIII.)  
adeoque de Episcopis nunc agendum erit.

## §. CCXLII.

Originem Episcoporum, quatenus *Pres-* Origo Epi-  
*byteris contradiſtinguuntur*, ex ipsa ecclesia scoporum.  
Apostolica non solum, qui ecclesiae Roma-  
nae sacris addicti sunt, sed & qui in Anglia  
Episcopale regimen propugnant, deriuare  
solent.\* Qui vero alias sacra Protestantium  
sequuntur, & qui in Anglia Presbyteriani di-  
cuntur, iure diuino & Apostolico more,  
Presbyteros & Episcopos *eiusdem dignitatis*  
& auctoritatis esse contendunt.\*\* Olim  
vnum eundemque ordinem & Episcoporum

& Presbyterorum, pares vtrisque natales fuisse, (§. CCXXXII. \*) extra dubium puto. Quum vero 1) *plures* in vna ecclesia essent *Presbyteri*, illique 2) *collegium* quoddam constituerent, & in confessum abirent, (§. CCXXXII.) confessus vero 3) *ordinem* quendam desideret; non potuit non in tali confessu *primum locum* quis obtinere, qui postea 4) per excellentiam *Episcopus* nuncupatus fuit, & 5) cum protocathedria *directio-*  
*nem* quandam adeptus est, quae postea 6) ex variis causis in *Praesidatum* cum auctoritate & potestate coniunctum excreuit, \*\*\*

\* Ex Pontificiis saltem nominabo DION. PETAVIVM *de hierarch. eccl.* & IO. MORINVM *de sacris eccl. ordinat.* P. III. exerc. 3. qui omnium subtilissime de hac praeeminentia differunt. Ex Angliae doctoribus nominandi THOM. BILSONVS *de perpet. eccl. gubern.* IO. PEARSONIVS *in vindic. Ignat.* P. II. c. 13. GVILIELMVS BEVEREGIVS *Cod. can. illustr.* L. II. c. II. HENRICVS HAMMONDVS *de Episcop. & Presbyte.* HENR. DODWELL *in paraen. de nuper. Schismat. Anglic.* BINGHAM *Orig. eccles.* L. II. c. 1. seqq.

\*\* Ex reformatis adpellandi DAVID BLONDELLVS *in apolog. pro sent. Hieron. de Episcopis & Presbyteris*, CLAVDIVS SALMASIVS *de primatu Papae* & in libro *de Episc. & Presbyt.* sub nomine WALONIS MESSALINI edito, Ex Lutheranae ecclesiae membris suam eruditionem hic ostenderunt CHRIST. DREIERVS *in controu. cum Pontific. diss.* 21 GODOER. VOIGT *exerc. de Presbyt. legitimo ordinat. ministro* B. I. F. BVD-  
DEVS



DEVS *de orig. Episcop.* nec non *de eccles. Apostolic.* p. 720. *seqq.* III. BOEHMER *iur. eccl. antiqu. diss.* 7. Qui enim *Presbyteri* dicuntur, mox audiunt *Episcopi*, vt sic Episcopi aut Presbyteri & Diaconi tantum in primitiua ecclesia adfuerint.

\*\*\* Causae fuere variae, quae *primae sedis* in Presbyterio auctoritatem euexerunt. Putabant, 1) quod sic eo fortius haereticis contradicere possent: 2) Primae sedis Presbyteri singulari quadam ratione & suae & alienis ecclesiis inuigilabant: 3) aemulationes & schismata sic tollere cupiebant, vt vni suprema cura demandata esset, quod ipsum latius exsequitur. III BOEHMER *cit. l. §. 12. sequ.* (conf. §. IV. \*)

### §. CCXLIII.

Quum vero Episcopis competat *Praesidatus*, Qui Episcopus cum *auctoritate & potestate* coniunctus; pus?

(§. CCXXXIII. 6.) Episcopus erit: *Qui clero & populo praest & in utrumque iurisdictionem ecclesiasticam exercet.\**

\* Inde etiam nomina Potentatum hunc denotantia adsumserunt. Cum olim Inspectores, Praepositi, Pastores audirent, postea *Apostolorum* titulum vel propterea sibi vindicarunt, quod Apostolis *regimen* a Christo traditum fuisse, sibi persuaserint. (§. IV. 6.) Ex quo sacerdotii doctrina inualuit, sese *sacerdotes, Principes sacerdotum, summos sacerdotes, Pontifices maximos* dixerunt. Cum autem maxima sacerdotum veteris testamenti in sacris & republica esset auctoritas, Pontificesque maximi, magnum momentum in regimine tenerent; inde etiam *Principes ecclesiae & populi* salutati fuerunt. Cum ab auditoribus omnimodam obedientiam efflagirarent, *Patres & Papae, Patres patrum* dicti fuerunt. Cum Christus

caput sit ecclesiae inuisibile, visibile etiam in terris desiderari putantes, *Christi vicarios* se dixerunt. BINGHAM cit. loc. c. 2.

§. CCXLIV.

Potestas eorum.

Quia enim ecclesia separata respublica est, & quilibet Episcopus portionem gregis regit, (§. IV. & VI.) de illis dicitur: quod *ordinariam* habeant *potestatem*. \* Haec vero potestas varia est, & multis functionibus constat, adeoque in tria membra plerumque dispesci solet, scilicet: I. in iura *ordinis*. II. *Legis dioecesanae*, III. *iurisdictionis*. Haec vero cum nondum omnem eminentiam exhauriant, addunt alii: IV. *iura status & dignitatis*. \*\*

\* Reuera duabus saltem partibus absoluitur ius Episcopale 1) *potestate pastorali*, & 2) *imperio sacro*. Pastoralis potestas ab antiquo propria fuit Episcopis, imperium vero sacrum, quod reipublicae proprium est, (§. LXXIX sq.) subtractum inique fuit Imperantibus. Volunt quidem Pontificii imperium Episcopale ab ipsius Christi institutione repetere, BARBOSA *de offic. & potest. Episcop.*, P. I. tit. 1. c. 1. M. A. de DOMINIS *de republ. eccl.* aliique innumeri; verum alienus plane Saluator fuit ab omni dominatu, huius exemplo Apostoli (§. XVII. \*) & primitiui Episcopi, donec inter Episcopos & Presbyteros *praecminentia* orta, doctrina de *sacerdotio* stabilita, ex quo tempore vna cum directione liberam gubernandae ecclesiae potestatem sibi vindicarunt. Haec potestas sub ipsis Imperatoribus christianis creuit, subordinata tamen Principum imperio fuit, vsque dum curia Romana inuestituram Episcoporum Imperatoribus extorqueret,

queret, ex quo & alia iura Principes amiserunt, ita ut omne ius circa sacra reuera vel Papale, vel Episcopale fuerit.

\*\* Haec quatuor capita etiam a nostratibus agnoscuntur. HAVEMANNVS *de iur. Episcop.* HILDEBRAND *de iur. Episc.* WEBER *de iur. consistor.* Qui duo capita statuunt, sub iurisdictione omne imperium facrum, adeoque tria posteriora etiam capita comprehendunt. vid. BARBOSA *cit. loc.*

### §. CCXLV.

Inde notanda axiomata: I. Episcopi sunt Axiomata, in sacerdotio: (§. CCXXI) II. Sunt iudices ordinarii, immo III. Summi sacerdotes & Imperantes in republica ecclesiastica (§. II. seq.) IV. Competit illis praeminentia. (§. CLXVIII.)

### §. CCXLVI.

Quum itaque Episcopi sint in sacerdotio, Iura ordinis Episcopalis. (§. CCXLV. 1.) consequens est: 1) ut exerceant ea, quae ad *iura ordinis* referuntur, adeoque & illa omnia, quae *Presbyteris* competunt, puta  $\alpha$ ) praedicationem, \*  $\beta$ ) orationem,  $\gamma$ ) administrationem sacramentorum,  $\delta$ ) consecrationem linteorum, mapparum altaris, ornamentorum sacerdotium, crucium, imaginum, campanarum, oratoriorum, coemeteriorum;  $\epsilon$ ) repurgationem ecclesiarum profanatarum,  $\zeta$ ) ius clauium: (§. CCXXXVI. add. §. DCCXCIX. §. DCCCXXIII. 3. & 4. & §. DCCXCIX. \*)

2) ut tamen, cum sacerdotes primi ordinis sint, (§. CCXXX.) quaedam sibi vindicent, quae sacerdotibus simplicibus non compe-

L 5

tunt,

tunt, quorum referunt: *α*) *chrismatis* (§. DCXLVII. 1.) & *olei catechumenorum* (§. DCXL. 5.) & *infirmorum* (§. DCXCVII.) *confessionem*, *β*) *baptizatorum confirmationem*: (§. DCXLVII. 2) *γ*) *Presbyterorum & reliquorum ministrorum ordinationem*, (§. DXLVI.) *δ*) *consecrationes & benedictiones* *Abbatum, Abbatissarum, Regum, Equitum, Ecclesiarum, altarium, calicis, scutellae*; (§. DCCI. \* §. DCCLXXXIX. fq. §. DCCXGVII. seq.) *ε*) *ius imponendi poenitentiam priuatam & publicam*, (§. DCLXXVI. seq.) & *absoluedi*: \*\* (§. DLXXVI. seq.) 3) *vt haec iura demum consequantur per consecrationem seu ordinationem*, (§. CCCXXXV. II. seq.) *quia tunc demum in sacerdotium proprie sic dictum recipiuntur.* \*)\*\*\*

\* Hoc munus olim adeo proprium Episcopis credebatur, vt rarius Presbyteri ad docendum admitterentur, ZIEGLER *de Episcopis*. L. III. c. 3. Sed sicuti ipsi Presbyteri parochiis praefecti hodie rarius docent, (§. CCXXXVI.\*\*) ita multo magis ab Episcopis alienum est docendi munus, vt concilium Tridentinum *Sessione V. de reformat* c. 2. & *Sessione XXIV. eod. cap. 24.* praxin pristinam reuocare voluerit. Fratribus praedicantibus enim & aliis ordinibus mendicantium haec sparta cessit.

\*\* Alii ius imponendi poenitentiam, si publicam respicis, & absolutionem a casibus reseruatis ad iurisdictionem referunt. (§. CCXLVII. 3.)

\*\*\* *Vnam*

*α*) De his iuribus Episcopalis conferendus ZIEGLER *de Episcopis* Lib. III. & Lib. IV. c. 2. & 3.

\*\*\* *Vnam* esse dicunt *ordinationem* Episcopi & Presbyteri, adeoque per consecrationem nihil addi, quod habeat ob rationem sacramenti, sed saltem largiri nouam quandam potestatem *extrinsecam a sacerdotali distinctam*. Cum enim nullus in Episcopum consecratur, qui non antea ordinatus sit Presbyter, tunc per consecrationem quidem conferri potestatem quandam diuinam, reuera autem saltem fieri *extensionem iurium sacerdotalium* & additionem potestatis. de ROYÉ *instit. iur. can.* L. I. tit. 15. §. 3. (§. DXLIV. \* & §. DCCII.) Sed si Episcopus sic *nouam spiritualem potestatem* accipit, nonne sic & *nouum characterem* a Presbyteriali diuersum nanciscitur? Sic reuera diuersa est ordinatio Presbyteri & Episcopi non vna. Hodie vero raro consecrari solent Episcopi, hinc *vicariis Episcopis*, *Wenß Bischöffen*, iurium ordinis exercitium demandare solent. (§. CCCCVIII.)

## §. CCXLVII.

Quumque Episcopi sint iudices ordina-  
rii, (§. CCXLV. 2.) sequitur: 1) vt illis com-  
petat *iurisdictio* seu facultas ius dicendi in  
causis ecclesiasticis & in ciuilibus clerico-  
rum: \* 2) vt gaudeant potestate *puniendi de-*  
*licta* censuris ecclesiasticis: (P. II. §.  
CCLXVII. seq. y) 3) vt vi iurisditionis im-  
ponant *poenitentiam*, (§. DCLXXVI. 1. seq.)  
*redemptionem* illius permittant, (§. DCLXXVI.  
7.) *a censuris absoluant*, in *monasteria de-ru-*  
*dant*, *dispensationes* in poenis ecclesiasticis  
*imperiantur*, (conf. Lib. IV. Tit. IX. seqq.)  
& omnia ea faciant, vbi ordine iuris seruato  
&

---

y) c. 6. & 18. X. de offic. iudicis ordin.

& praescripto processu proceditur: z) 4) vt propterea etiam vindicari illis debeat facultas decidendi *doctrinam. a)*

\* Strictè hic accipitur vox iurisdictionis, quippe quae alias imperium sacrum denotat, (§. CCXLIV. \*)

§. CCXLVIII.

Legis dioecesanac.

Quum deinde sint summi sacerdotes & imperantes in republica ecclesiastica, (§. CCXLV. 3.) inde inferimus: 1) vt illis competat sacerdotalis potestas secundum tenorem veteris testamenti, b) (§. CLXVI. \*) adeoque 2) totum *imperium sacrum* iurisdictioni contradistinctum; 3) vt hoc ipsum ius illud sit, quod *legem dioecesanam* seu *ius dioecesanum dicunt*: \* 4) vt proinde huc pertineat *α) obedientia, c)* (§. DXXXIX.) *β) ius in bona ecclesiastica, d)* (§. DCCCXXXI. seq.) *γ) religiosarum domuum* prouisio & inspectio, (§. DCCCXI. seq.) *δ) ius conferendi gradus academicos*, (§. DLXXXI. seq.) *ε) conuocandi synodos, e)* *ζ) condendi statuta, f)* (§. CXII.) *η) dispensandi, g)* (§. D. §. DCXC. \* §. DCCXX. 5. §. DCCXXXVI. 2. §. DCCXXXVIII. \*\* §. DCCXLVII. add. P. II. Lib.

IV.

z) LINCK *de iur. Episcop* c. 11.

a) FLEVRY *institutt. iur. can.* P. I. c. 13. §. 2.

b) CYPRIANVS *epist.* 3. § 59.

c) c. 16. X. *de offic. iud. ordin.* c. 4. 6. & 12. X. *de maior.* § *obed.*

d) c. 5. seq. C. 10. q. 1.

e) c. 2. & 3. D. 18.

f) ZIEGLER *de Episcop.* L. III. c. 19.

g) IDEM *ibid.* c. 21.

IV. Tit. IX. seq.) 9) *visitationes* exercendi, (§. DLXVIII. seq.) b) aliaque ad *politiam ecclesiasticam* pertinentia: 4) vt tamen haec omnia saltem possint in sua dioecesi, Pontificem vero 5) vbique Episcopalia exercere. (§. IV. seq.)

\* Olim iurisdictio ecclesiastica a lege dioecesana distincta non fuit. Sedes distinctionis est in c. 18. X. *de offic. iud. ordin.*

### §. CCXLIX.

Quum denique illis praeeminentia com- Status & dignitatis. petat, (§. CCXLV. 4.) consequens est: 1) vt non solum principatum teneant inter Presbyteros, sed hodie ne quidem amplius iis comparari queant: (§. CCXXXVI. \*) 2) vt superbiant variis *titulis*, & *personis illustribus* accenseantur: 3) vt gaudeant *praedria* prae laicis Principibus: i) 4) vt propterea variis vtantur *insigniis*, puta *baculo*, k) *mitra*, *annulo*, l) *sandaliis*, *chirotheca*, (§. CXCIV. \*) *veste lintea* summa aliisque ornamentis, nec non iure habendi *solum* seu *thronum*: inde etiam 5) in Germania *Statibus imperii* accensentur, iura *territorialia* exercent, \* & potiora *officia imperii* obtinent. m)

\* Se-

b) ZIEGLER *cit. l. c.* 26.

i) c. 6. X. *de maior. & obed.*

k) IO. A. SCHMID *de baculo pastorali*. IO. CIAMPINI *diff. histor. an Roman. Pontif. baculo pastor. utatur?*

l) IO. ANDR. SCHMID *diff. de annulo pastorali*.

m) LINCK *de iur. Episc.* c. 14.

- \* *Secularem itaque iurisdictionem in Germania qua Principes exercent, & ab eorum iudiciis appellatio ad summa imperii tribunalia in saluo est; sicuti in ecclesiasticis, ad Pontificem (§. VI. 6.)*

## DE EPISCOPIS INTER PROTESTANTES.

### §. CCL.

De Episcopis Protestantibus.

Superfunt etiam inter Protestantes Episcopi, qui Episcopatus & Praelaturas immediatas tenent. Hi cum ad dignitatem ecclesiasticam euehantur, praeterea vero iura territorialia ad exemplum catholicorum exercent, (§. CCXLIX. 5.) & sic personam *Episcopi* aut *Praelati*, & *Principis* sustineant; circumspiciendum est, num eadem in specie iura illis competant, quae catholicis Episcopis vindicantur?

### §. CCLI.

Non exercent iura ordinis.

Iura *ordinis* quod concernit, (§. CCXLVI.) ea propterea non exercent, quia illis 1) nulla *consecratio* obtingit, nec apud nos 2) aliis, quam qui ad sacrum officium vocati & *ordinati* sunt, eorum exercitium committi solet: nec 3) ad Episcopale munus, sed potius ad *Episcopatum* eligi soleant Episcopi Protestantes: *cura* vero 4) *liturgiae* omniumque reliquorum sacrorum illis merito tribuitur, quae vero non e dignitate Episcopali, sed ex iure supremo circa sacra deriuanda est. (§. CI.)

Sed saltem curam circa iura ordinis.

### §. CCLII.



## §. CCLII.

Iurisdictionem tam ut *Principes*, (§. CCXLIX. \*) quam ut *Episcopi* exercent, (§. CCXLVII.) verum si recto iudicio rem rimari velimus. & *ecclesiasticam iurisdictionem*, non vi dignitatis Episcopalis, sed vi *potestatis territorialis sibi* vindicant.

## §. CCLIII.

Quae *lex dioecessana* catholicis Episcopis tribuit, (§. CCXLVIII.) ea compendiosiori via rursus ex *superioritate territoriali* peti possunt, nisi 1) quatenus *capitulatione* quadam constringuntur, ratione *iurium capitulorum* competentium: & 2) *reditibus* peculiaribus ad *mensam Episcopi* destinatis gaudent, in quibus diuersa conditione a reliquis Principibus secularibus utuntur.

## §. CCLIV.

Iura vero status & dignitatis (§. CCXLIX.) illis omnino competunt. Sic gaudent titulo *Reuerendissimorum*: utuntur iisdem *insigniis*, exceptis illis, quibus in *liturgia* administranda ornantur catholici Episcopi. Competit illis *proedria*, prae secularibus Principibus, perinde ut catholicis: ut alia taceam.

## §. CCLV.

Quemadmodum vero ex his satis constabit, quod hodierni Episcopi primitiuos ecclesiarum antistites non referant; (§. CCXXXII.) ita Protestantes tempore reformationis *nomen* Episcoporum cum *potestate*, sicuti iure canonico recentiori describitur, quam-

Bene vere  
iurisdictionem.

Et legem  
dioecessanam.

Gaudent etiam  
iuribus  
status & dignitatis.

Ministri ecclesiae in  
Germania  
Episcopali  
titulo non  
gaudent.

quantum ad ecclesiae ministros, in Germania plane deseruerunt. Interim cum illi, qui ecclesiis nostris praesunt, reuera ἐπισκοπὴν gerant, non abnuo, quin *nomen Episcoporum* illis pari ratione assignari possit, vti in Suecia, Dania, Britannia Praepositi ecclesiarum eminentiores hoc nomen gerunt.

## §. CCLVI.

Veros tamen Episcopos habemus, si cum primitiuis comparantur.

Quum vero *subordinationem* quandam non improbemus, (§. CLXXXVIII.) aliud nomen illis, qui primam sedem inter ministros ecclesiae cum aliqua auctoritate tenent, inditum fuit. Hos enim *Superintendentes*, \* *Inspectores*, *Praepositos*, *Decanos* dicimus. Horum statum & munia, si cum primitiuae ecclesiae Episcoporum conferre velimus, *veri sunt Episcopi*, cum catholici Episcopi *nomen*, non vero *rem*, retinuerint. n)

\* *Superintendentis* vox non adeo recens est, vt quidam sibi persuadent, aut arrogantiorum illam putant. Occurrit illa apud HIERONYMVM ep 8. & verbum *superintendere* apud AVGVSTINVM *de ciuit. DEI Lib. XIX. c. 19.* obuium est.

## §. CCLVII.

Origino-  
strorum  
Praeposito-  
rum.

Sicuti enim olim ecclesiae in certos *districus* fuere diuisae, & cuilibet vnus *Praepositus* fuit, qui inspectionem in vitam & mores reliquorum haberet; hac ratione, vt Episcopis clerus dioeceseos, Episcopi vero Metropolitano cuidam subessent, ceu mox ostendetur; ita & reformatores ecclesias in

*certos*

n) ZIEGLER *de Superintendente c. 3.*

*certos districtus diuiderunt, singulis Inspectores vel Superintendentes praeposuerunt, immo quandoque hos rursus vni, qui instar Metropolitanae esset, subiecerunt. Inde nomina de Special- und General-Superintendenten inualuerunt.*

## §. CCLVIII.

Sunt itaque Superintendentes, seu Praepositi, aut quocumque nomine veniat, *Personae a Principe eum in finem constitutae, ut praesint ecclesiis sibi concreditae, inspectionem gerant in res & personas ecclesiasticas, iura Principis tueantur, & congruo modo abusus tollant.* o)

## §. CCLIX.

Inde notanda axiomata: I. Superintendentes constituuntur a Principe. II. Praesunt ecclesiis sibi commissis tam ratione personarum quam rerum. III. Tuentur quidem iura, sed imperio omni sunt destituti.

## §. CCLX.

Quum itaque Superintendentes constituentur a Principe, (§. CCLIX. 1.) sequitur 1) ut vice Principis *inspectionem* exerceant; 2) ut integrum sit Principi cui hanc *ἐπισκοπήν* demandare velit; p) 3) ut Pasto-  
 ratus munus, cui inspectio haec tenus cohaesit, non illico Superintenduram conferat, sed haec qualitas a Principe superaddenda sit; q) 4) ut proinde in patronata ecclesia idonea persona eli-

M gen-

o) vid. TITII Probe des geistlichen Rechts, Lib. II. c. 8. §. 3.

p) CARPZOV. *iurispr. consist.* L. I. d. 19. nr. 12.

q) STRYCK *ad Brunnem.* L. II. c. 8. §. 21.

genda, Principi praesentanda & is exorandus sit, ut electo *Inspectionem conferat*; r) 5) ut tunc, si ipsa ecclesia, cui haec dignitas haecenus cohaesit, ad Principis collationem pertineat, cum Pastoratus collatione & ἐπισκοπή collata censeatur, nisi haec excepta fuerit.

§. CCLXI.

Ratio inspectionis.

Quumque tales praesint ecclesiis sibi commissis tam ratione personarum quam rerum, (§. CCLIX. 2.) consequens est, 1) ut ipsi optimo *exemplo* aliis praeire debeant; 2) ut in mores, vitam & doctrinam Pastorum sibi subiectorum inquirere & *solicite inspectione* curare debeant, ut singuli debito modo suo officio fungantur; 3) ut illis propterea debeat *obedientia* conueniens & reuerentia; 4) ut principaliter ad docendum & sacra administranda constituti non sint; (§. CLXIV. 3.) 5) ut tamen, quatenus simul ad Pastoratum electi, etiam *doceant* & reliqua *sacra peragant*; 6) ut visitationes ecclesiarum sibi subiectarum instituant, (§. DLXXV. seq.) 7) *ordinationes* peragant, (§. DLVIII. 2.) 8) ordinatos *inuestiant*, (§. DCCCXCV.) 9) vacantibus ecclesiis, usque dum Pastores adeptae, prospiciant, easque interim aliis *commendent*, 10) candidatos praesentatos ad concionem *δοκιμασίαν* admittant, 11) curam *bonorum ecclesiasticorum* quodammodo gerant, 12) defuncto Pastore curent, ut inter nouum Pastorem

&

r) ZIEGLER *cit. loc. c. 4. §. 7. sequ.*

s) *conf. c. 6. D. 61.*

& defuncti heredes, ratione fructuum, iusta proportio seruetur. Porro huc referri potest, 13) ut alicubi *synodos* cogant, 14) iura Pastorum sibi subiectorum tueantur, 15) gaudeant *Inspectione* in scholas, hospitalia, & alia pia loca, 16) curamque viduarum & orphanorum gerant.

### §. CCLXII.

Quum denique iura tueantur, sed imperio sint destituti, (§. CCLIX. 3.) intelligitur, 1) ut quidem & Principum & Pastorum & ecclesiarum iuribus inuigilent, sed nihil ipsi desuper determinent, verum superiori, *consistorio*, aut ipsi *Principi*, ubi adhortationibus, suasionibus & monitis eorum non statuerent, rem omnem denuncient; 2) ut sic nec *iurisdictionem* nec *forum* habeant, quippe quae a directione & inspectione aliena; (§. CLXIV.) 3) ut illis nequidem *notio* in sensu iuris Romani competat, sed talis saltem, quae *extrajudicialis* est, & ad *amicabilem compositionem* tendit, forensis vero *Consistorio* relicta sit; 4) ut nequidem *ius excommunicandi* exercere possint, (conf. P. II. §. CCCLXVIII.) in quo tamen quidam iurisdictionem Superintendentum, immo aliorum Pastorum quaerere volunt, quippe quae facultas non solum in ordinationibus quibusdam ecclesiasticis illis ademta est, sed etiam primitivae ecclesiae praxi penitus refragatur.

*Jurisdictione  
ne sunt des-  
tituti.*

## TIT. XIV.

DE METROPOLITIS, ARCHIEPISCO-  
PIS, PRIMATIBVS, PATRI-  
ARCHIS.

## §. CCLXIII.

**Connexio.** **P**lures cum olim in vna ecclesia Presbyteri fuerint, (§ CCXXXII.) qui etiam Episcopi dicti, (§ CCXLII.\*\*\*) postea vero vnus ex his praesidatum acceperit, (§ CCXLII.\*\*\*) eminentiores quidem facti sunt Episcopi, & instar *Pastorum primariorum* particularis ecclesiae Presbyteros sub se habuerunt; *t*) sed neque pluribus ecclesiis praesuerunt, nec vnus Episcopus alteri subiectus fuit; id quod tamen sensim inualuit, adeoque de Episcoporum subordinatione nunc circumspiciendum est.

## §. CCLXIV.

Origo sub-  
ordinatio-  
nis inter  
Episcopos.

Sicuti primae sedis Presbyteris *litigia cum haereticis & aemulationes* inter ipsos Presbyteros auctoritatem conciliabant; (§ CCXLII.\*\*\*) ita eadem causae Episcoporum subordinationem promouerunt, (§ IV.\*) licet hic & aliae singulares accesserint. Nam cum *1*) sic auctoritates *apostolicarum ecclesiarum* nimium eueherent, & *criterium veritatis doctrinae* in *Episcopo* seu praesidente Presbytero quaererent, *u*) non potuit non huic auctori-

*t*) IENCKIN THOMASIVS de regim. eccl. trium prior. sec. c. 2.

*u*) IRENAEVS *adu. haereses* L. III. c. 3. *sequ.* TERTULLIANVS *de praeser. adu. haeret.* c. 20. 21. & 36.

toritas inde accedere: 2) ipsa *celebritas vrbium* in singulis prouinciis Episcoporum ibi residentium auctoritatem promouit, cum ad *normam politiae* etiam *ecclesiae res* adornarent: x) 3) Ecclesiae in vna prouincia potiores causas communi consilio peragebant, vnde demum *synodi prouinciales* ortae, quae cum saepius in metropoli haberentur, sub praesidio illius vrbis Episcopi congregatae fuerunt. Ratio autem ordinis tunc exigebat, vt 4) vni ex prouinciae Episcopis praerogatiua *directionis* concederetur. Hinc, 5) iam ante concilium Nicaenum quidam Episcopi singulari auctoritate inter reliquos eminebant: y) Exinde 6) gradatim varii Episcoporum gradus oriebantur & *primatus metropoleos* Episcopo plerumque cessit, quandoque vero etiam *seniori* inter omnes prouinciae Episcopos datus fuit. z)

## §. CCLXV.

Interim haec supereminencia nondum *Progressus* *isotopiam*, quae inter omnes Episcopos fuit, sustulit. a) Praerogatiuam enim *dignitatis*,

M 3 non

x) ZIEGLER *de Episcopis* L. I. c. 4. GEBH. THEOD. MEIER *de polit. eccles. primit. ad polit. ciu. formata* BINGHAM *orig.* L. IX. c. 1. sequ.

y) *conf.* EUSEBIUS *hist. eccl.* L. VI. c. 44. *add.* SOCRATES *hist. eccl.* L. I. c. 6.

z) *vid.* MARCA *diff. de primat.* DUPIN *de discipl. eccl. diff.* 1. ZIEGLER *cit.* l. L. I. c. 4. *sqq.* VSSERIVS *de Episc. & metropolit. orig.* M. A. DE DOMINIS *de rep. eccl.* L. III. c. 2. & 5. BINGHAM *orig.* L. II. c. 16. *sequq.*

a) ZIEGLER *cit.* l. c. 4. §. 7. *sequ.*

non *potestatis*, sic conſequebantur. Quum vero 7) inter reliquas vrbes imperii Romani eminent *Roma, Alexandria, Antiochia*, iura *dignitatis*, quae ex *conſuetudine* quadam eccleſiaſtica harum vrbiſum Epifcopi conſequuti erant, confirmavit ſynodus Nicaena. *b)* Hinc 8) dicti fuere *Metropolitani, Archi-Epiſcopi, Primates*, immo tandem *Patriarchae*. Eadem vero Synodus cum 9) in reliquis prouinciis *metropoleos Epifcopo* facultatem *confirmandi Epifcopos* prouinciae & quae alias ibi geſta eſſent concederet, *c)* ab eo tempore tales Epifcopi maiorem auctoritatem acceperunt & ſenſim *potestatem* inter reliquos Epifcopos exercuerunt.

#### §. CCLXVI.

Subordina-  
tio inter  
metropo-  
litanos.

Epifcopis vero vrbiſum Romae, Antiochiae, & Alexandriae, latior conſuetudine eccleſiaſtica, obtigerat prouincia, in qua iura ſua metropolitana exercerent. Inde 1) praerogatiuam prae reliquis metropolitans non quoad *potestatem* ſed *dignitatem* acceperunt. Poſtea vero 2) placuit, vt Epifcopi metropoleon, *Metropolitani* eſſent: quum vero memorati Epifcopi *pluribus* ab initio *prouinciis* praeeſſent, quae tamen *vnam eccleſiaſticam* conſtituebant; ex poſt facto contigit, 3) vt his tribus etiam Metropolitani ſubeſſent. Tunc 4) diſtincti etiam fuere nominibus a ceteris Metropolitans. Hi enim cum

*b)* CONCIL. NICAEN. *can.* 6.

*c)* CONCIL. NICAEN. *can.* 4.



cum saltem Episcopus sub se haberent, illi vero Metropolitae ipsos regerent; inde *Archi-Episcopi, Exarchi, Primates* & denique *Patriarchae* dicti. His accessere postea *Constantinopolitanus & Hierosolymitanus.* d)

§. CCLXVII.

Metropolitanus \* itaque est *Episcopus primae alicujus provinciae urbi praepositus, qui propterea iure quodam praecipuo prae ceteris fruitur, & reliquos provinciae suae Episcopos sibi subiectos habet.* \*\*

Qui Metro-  
politae?

\* Metropolis est quasi *μητρὴ πόλις*, urbs mater, prima & praecipua urbs & reliquarum veluti mater. Metropolita itaque foret, qui esset metropolcos civis: vsu tamen obtinuit, ut is saltem Metropolites diceretur, qui *primariae urbi praefuit.*

\* Ita regulariter. Olim vero quandoque obtinuit, ut quidam *nomine & honore* tantum essent Metropolitae destituti iure metropolitico, DVPIN *de discipl. eccl.* p. 4.. BINGHAM *cit. l. c. XVI. §. 10.*

§. CCLXVIII.

Archi-Episcopi erant *Primarii* quidam *inter Episcopos.* Hoc nomen ab initio eximiiis quibusdam & primis Episcopis, & quidem rarissime inditum fuit. Seculo V. Episcopis *Romano, Antiocheno, Alexandrino, Constantinopolitano* aliisque excellentioribus hoc nomen tributum legitur. Seculo vero VIII. commune nomen Metropolitanorum, Archi-Episcopi adpellatio fuit, immo quan-

Qui Archi-  
Episcopi?

d) ZIEGLER, MARCA, DVPIN, BINGHAM *citt. locc.*

doque & illis cessit, qui nulli Episcopo erant subiecti, licet alios sub se Episcopos non haberent. e)

§. CCLXIX.

**Primates.** Primas proprie is est, qui *primum ac praecipuum locum obtinet*, hinc etiam Metropolitanae, Primatis titulo superbiebant: Postea sedium praecipuarum Episcopi sibi hoc nomen vindicabant, & tunc Primas a Metropolitana distingui coepit. f) Tunc enim ille *Primas* salutabatur, qui vel in *metropoli sedem* haberet, vel cui *Metropolitae subiecti* essent. Hoc sensu posteriori Primas idem fuit ac *Exarchus*. g) Alicubi ille Primas dicebatur, qui *ordinationis tempore* reliquos antecederet, b) quae fuit praxis ecclesiarum Africanarum, ubi Primates propterea etiam *Senes* dicebantur, quod *senior* semper Metropolitana esset, & iura metropolitana exerceret. i)

§. CCLXX.

Qui exarchi?

Exarchus denotat *ducem & Principem alicuius rei*. Hinc etiam de *summo Pontifice* hoc nomen praedicatum fuit. Ex quo vero in ecclesiam inuectum fuit, illis cessit Episcopis, qui *pluribus dioecesibus seu prouinciis praefuerunt*, licet quandoque eo etiam nudi Metropolitanae salutati fuerint. \* k)

\* Dupli-

e) DVPIN *cit. l. p. 5. sequ.*

f) ZIEGLER *de Episcop. L. I. c. II. s. I. sequ.*

g) ID. *ibid. s. 7. sequ.*

b) ID. *ibid. s. 2. 5. & 6.*

i) BINGHAM *orig. L. II. c. 16. s. 6. DVPIN. cit. l. pag 4.*

k) DVPIN *cit. l. pag. 8.*

\* Duplicis generis Exarchi ἑξαρχοῦ τῆς διοικήσεως, *Exarchi dioecesis*: & ἑξαρχοῦ τῆς ἐπαρχίας. *Exarchi unius cuiusdam prouinciae*. Exarchi dioecesium erant ipsi *Patriarchae*. Medium inter hos & Exarchos unius cuiusdam Prouinciae statum quidam eruditi illis adsignant, qui plurium prouinciarum Metropolitanæ seu Exarchi fuerunt. vid. MORINVS *eccles. exercitt.* L. I. ex. 15. NORISIVS *diff. de Synodo* V. p. 76. eos vocat *Exarchos primates*, & huc refert SIRMONDVS *Senes Africae*; opp. T. II. pag. 8;8. & BEVEREGIVS *ad synod. magn.* pag. 216. *Catholicos Orientalium*.

## §. CCLXXI.

Patriarchae vox originarie *patrem*, seu <sup>Qui Patriarchae?</sup> aliquem *inter patres insignem* denotat. Quatenus vero est nomen *dignitatis*, primum obtinuit apud iudaeos. l) Abhinc in ecclesia christiana audiri coepit, & forsan primitus apud Montanistas, m) quod ipsum licet orthodoxi illis vitio darent, postea tamen suis etiam *Episcopis* mox *Exarchis*, & tandem priuatiue decantatissimis illis *Archimetropolitans* Romano, Antiocheno, Alexandrino: dehinc Constantinopolitano & Hierosolymitano tribuerunt. n)

## §. CCLXXII.

Hi proinde Patriarchae *plures sub se Metropolitanos & Archi-Episcopos habere coeperunt.* <sup>Vltior declaratio.</sup>

M 5

runt.

l) BINGHAM *orig.* L. II. c.17. § 4.m) BINGHAM *cit. l.* §. 5.n) DUPIN *cit. l.* p. 9. seq. MARCA *de primat.* ZIEGLER *de Episcopis* L. I. c. 5. DE DOMINIS *de republ. eccl.* L. III. c. 15.

runt. Sequiori vero aetate & Archi-Episcopi, vt Aquileiensis, Patriarchae titulum consequuti sunt: o) omnes vero enarratae personae in eo conueniunt, quod *praerogatiuis* quibusdam prae reliquis Episcopis gaudeant.

### §. CCLXXIII.

Iurium metropolitico-  
rum capita.

Sunt vero iura metropolitana vel *honoris*, vel *potestatis & iurisdictionis*. Iura honoris potissimum in *proedria* consistunt: iura vero potestatis tribus potissimum capitibus absoluantur; I. In iure *ordinandi* Episcopos prouinciae; p) II. In facultate *conuocandi concilia* prouinciae; q) III. In iure exercendi *inspectionem* in vniuersam prouinciam.

### §. CCLXXIV.

Iura ratione  
electionum  
episcopalia.

Quum itaque ius fuerit Metropolitanis ordinandi Episcopos prouinciae, (§. CCLXXIII. I.) facile intelligitur, 1) cur ante omnia inquisuerint in rationem electionis; & 2) vbi nihil vitii in ea deprehenderint, electum cum Episcopis prouinciae ordinauerint. Nec minus inde constat, 3) ordinationem non ad iura *Patriarchalia*, sed ad *metropolitica* relatum fuisse, r) adeoque 4) recentioris instituti esse,

o) ALLATIUS *de consens. eccles.* p. 436. NORISIUS c. l. p. 89.

p) DUPIN *cit. l. pag. 64. seq.* BINGHAM *cit. l. §. 12. seq.*

q) DUPIN *cit. l. pag. 71.* BINGHAM *cit. l. §. 17.*

r) BINGHAM *cit. l. §. 13.*

esse, quod hodie & confirmatio & ordinatio  
Episcoporum a Romana curia pendeat.  
(§. CCCXXVIII. & §. CCCXLII. \*)

§. CCLXXV.

Quumque Metropolitanæ etiam concilia Intuitu consiliorum.  
conuocauerint (§. CCLXXIII. 2.) confe-  
quens est, 1) ut coacta synodo prouinciali-  
bus Episcopis comparendi necessitas incu-  
buerit. 2) Inde etiam intelligitur, 2) quod  
in tali synodo de negotiis prouinciæ delibe-  
ratum fuerit; 1) & 3) Episcopi nihil magni  
sine Metropolitanæ aut concilii auctoritate  
gesserint.

§. CCLXXVI.

Quum denique ius metropoliticum in Et Episco-  
porum sibi  
subiecto-  
rum.  
Inspectione in uniuersam prouinciam con-  
stiterit, (§. CCLXXIII. 3.) inde colligitur

1) Metropolitanum fuisse *iudicem ordina-  
rium* Episcoporum & dissidiorum Prouin-  
ciæ: 2) ab Episcopis ad Metropolitanam pro-  
uocationem in mundo fuisse, & hunc in con-  
gregata synodo cognouisse de causa ad se  
deuoluta. 3) Eum Episcopos ad officium  
obseruandum compulisse, *leges* promulgasse,  
*doctrinae* inuigilasse: 4) Non licuisse E-  
piscopo sine licentia Metropolitanæ ab eccle-  
sia abire: 5) Metropolitanam vacantis ec-  
clesiæ

1) BINGHAM *cit.* l. §. 17.

2) IDEM *ibid.* §. 14.

3) IDEM *ibid.* §. 16.

4) IDEM *ibid.* §. 18.

5) IDEM *ibid.* §. 19.

clesiae curam habuisse: 6) In maioribus vero & vbi nudae admonitiones non sufficerent, eum semper cum comprouincialium iudicio decreuisse: (§. CCLXXV. 2.) 7) Sic incognitas fuisse prouocationes ad sedem Romanam, & Romani Episcopi consensum in renunciationibus Episcoporum exulasse. 2)

### §. CCLXXVII.

Iura Patriarchalia.

Patriarchalia iura, quibus proxime Primatum & Exarchorum potestas respondet, rursus sunt duplicia: vel *honoris*, vel *potestatis*. Honor & hic sese in *proedria* exeruit: & potestas eadem fere ratione in his constitit, 1) in *ordinatione* Metropolitanarum, a) 2) in conuocatione *synodorum* dioeceseos, b) 3) in aliqua *inspectione* super vniuersa dioecesi.

### §. CCLXXVIII.

Intuitu ordinat. Metropolitan.

Ex primo capite discimus, 1) id esse recentioris instituti, cum olim metropolitanae a *comprouincialibus ordinati* fuerint, c) sicuti etiam ipsi Patriarchae ab Episcopis dioeceseos ordinationem acceperunt. d) 2) Vbi nulli in Prouincia Patriarchae, Metropolitanas ordinationem ab Episcopis Prouinciae impetrasse, adeoque 3) & hic nihil iuris Romano praefuli fuisse.

### §. CCLXXIX.

t) DUPIN *de discipl. eccles. diss.* 2.

a) BINGHAM *cit. l. L. II. c. 17. §. 12.*

b) IDEM *ibid.* c. 17. §. 13.

c) IDEM *ibid.* c. 16. §. 15.

d) IDEM *ibid.* c. 17. §. 12.

§. CCLXXIX.

Ex secundo & tertio obseruo, 1) a synodo Intuitu inspectionis per dioecesein. prouinciae ad synodum dioeceseos semper in mundo fuisse recursum, i. e. a Metropolitanis & synodis prouinciae *adpellationes* ad Patriarchas directas fuisse. *e)* 2) Parem inspectionem Patriarchae competiisse intuitu dioeceseos, ac Metropolitanano quoad prouinciam. (§. CCLXXVI.) 3) Eos *cenfuram* ecclesiasticam in Metropolitanas, immo & suffraganeos eorum exercuisse. *f)* 4) Eos consultos fuisse in rebus magni momenti a Metropolitanis *g)* & 5) casus quosdam ad eorum *absolutionem* priuatiue pertinuisse.

§. CCLXXX.

Sicuti vero iam olim non eadem potestas Attrita fieri haec iura per Romanum Pontificem. fuit omnium Patriarcharum & Metropolitanarum; *b)* ita & postea, vbi Romanus Episcopus caput extulit, omnium iura pedetentim varias mutationes subierunt, donec demum eatenus attrita fuerunt, vt in occidentali ecclesia Patriarchalis dignitas exolesceret, & Metropolitanae *nudam* fere *Proedriam* retinerent.

TIT.

---

*e)* BINGHAM *cit. l.* §. 14.

*f)* IDEM *ibid.* §. 15.

*g)* IDEM *ibid.* §. 17.

*b)* IDEM *ibid.* c. 16. §. 23. c. 17. §. 10. 11. & 21.

## TIT. XV.

## DE ROMANO PONTIFICE.

## §. CCLXXXI.

Connexio.

**C**um olim omnes Episcopi *aequales* fuerint, (§. CCLXIII. seq.) ita nec Romano vlla in reliquos Episcopos compete-  
bat potestas, sed sicuti reliqui a loco adpellationem consequerentur; ita etiam Romanus, *Episcopus urbis Romae* vocabatur. *i)* Qua ratione vero ad hoc quod nunc tenet fastigium adscenderit, paucis enucleandum est.

## §. CCLXXXII.

Origo dignitatis & potestatis Romani Episcopi.

Qua ratione ecclesiae Apostolicae, & in celebrioribus urbibus sitae, praerogatiuam quandam cum Romana consequutae sint, iam vidimus. (§. CCLXIV. seq.) Romanae propter *doctrinam* iam seculo II. *potentior principalitas* adscripta fuit, *k)* quam postea variis artibus in *iurisdictionem* mutarunt, & omnes Episcopos sibi subiecerunt. \*

\* Iam sec. II. & III. quandam iurisdictionem adfectavit sedes Romana, cuius tamen fastus mox repressus fuit. Cum vero Sec. IV. de *proedria* concertarent Episcopi, singularis *praerogatiua* Romano cessit. EVSEBIUS H. E. L. VIII. c. 1. & 2. Mox se *successores Petri & Pauli* iactarunt, depositionesque Episcoporum, se inconsultis, fieri non posse postularunt. BALVZIVS ad PETR. de MARCA L. V.

*i)* EVSEBIUS *hist. eccl.* L. V. c. 24. SOCRATES L. V. c. 22.

*k)* IRENAEVS L. III. c. 3.



L. V. c. 12. Dn. BOEHMER in *Obferu. ibid.* p. 127. In cauffis dubiis faepius a Romana ecclefia *confilia* expetebantur, inde haec *fe- matrem, reliquas filias*, dixit. INNOCENTIVS ep. 1. c. 1. In Occidente aderant faltem Me- tropolitani, nulli Primates, hinc *Primatam per Occidentem* sibi adferuit, & *adpellationes* ad fuam curiam introduxit. Refponfales feu *Apocrifarios* aluit in aula Imperatoris, qui prouiderent, ne ecclefia Romana aliquid damni pateretur. Propugnabat thefin: Roma- num Epifcopum effe *supremum & vniuerfalem*, Exarchosque & Primates collato *vicariatu & pallio* sibi subiecit. (§. CCCXLVI. feq.) Dnus BOEHMER cit. l. p. 121. & 148. Poftea cum Constantinopolitano fuper titulo *Oecumenici Epifcopi* contendit, querelas ad Imperatorem detulit, & cum ab illo repulfam ferret, mox erga regicidam Phocam turpiffima adulatione vſus eſt, vt pro Romana fede ſententiam obtineret. Acceſſit deinde collectio ſpuria Iſidori, quae maximas acceſſiones ad Pontificis poteſtatem fecit. Denique *contentiones inter Imperium & ſacerdotium*, in quibus fere ſemper victrix reſeſſit curia Romana, non leue augmentum poteſtatis adtulerunt. Principatum his aliisque artibus non ſolum in *omnes eccleſias*, ſed & in ipſos *Principes* obtinuit. Tantae molis erat Romanam condere hierarchiam. conf. MORNAEI *myſter. iniqu.* HEIDEGGERI *hiſt. Papat.* LATRIZ *Erhöht und geſallener Pabſt & Thron.* THEODOS. GIBELLINI (MATTH. GOEBELII) *caefareopapia Rom.* PVFENDORF *Betrachtung der geiſtl. Monarchie des Stuhls zu Rom.* HOBBSII *hiſt. eccleſ.* IO. VAL. ANDREAE *apap proditus* CLERC *biblioth. vniuerſ.* T. XI. pag. 251. ſeq. *add.* BLONDELL. *de la primau-*

*té de l'Eglise.* SALMASIVS *de primatu Papae.* AVG. TITTEL *von des Pabsts vers meinten obersten Kircken; Gewalt,* in quo quae MAIMBVRGIVS & IS. BARROW *contra Monarchiam papalem scripserunt,* ex Gallico & Anglicano idiomate, in Germanicum transtulit. Vindices quidem potestatis Pontificiae innumeri adsunt; sed iuabit potiores nominare, puta ANT. DADIN. ALTE-SERRAM *de eccl. iurisd. Lib. X.* FR. ANT. DE SIMEONIBVS, *de Rom. Pontif. iudic. potest.* qui potissimum contra doctissimos Gallos calamum strinxit: BENED. BACHNIVM *de eccl. Hierarch. orig.* Sed omnes vel ex BLONDELLI ratiociniis & argumentis, confutari possunt.

### §. CCLXXXIII.

Quid Pontifex?

Sic itaque Episcopus Romanus in ordine quidem Episcoporum est, sed simul *Episcoporum Episcopus, totius ecclesiae caput, vicarius Christi, independens, (§. VI.) & ad hoc fastigium eligitur. l)*

### §. CCLXXXIV.

Axiomata de illo.

Hinc de illo notanda axiomata: I. Pontifici competit Suprematus vniuersalis & independens. II. Eligitur singulari plane ratione ad hunc suprematum e collegio cardinalium. *m)*

### §. CCLXXXV.

*l)* CORVINVS *institutt. iur. can. L. I. tit. 3. §. 5.*  
 DE ROYE *institutt. iur. can. L. I. tit. 13. §. 1.*

*m)* MEYER *de electione Romani Pontificis.*

## §. CCLXXXV.

Ex primo varia portentosa eliciunt con-<sup>Eius pote-</sup>  
 sectaria: 1) competere Romano Pontifici <sup>stas.</sup>  
*primatum per vniuersum orbem: n)* (§. IV. 3.)  
 & 2) in ipsos *Reges & Principes: o)* (§. V. seq.)  
 3) Exercere illum *iurisdictionem* in quouis  
 loco, etiam in prima instantia: 4) condere  
*leges vniuersales: (§. LXXI. seq. & §. CII. (q.))*  
 5) concurrere in beneficiis conferendis cum  
*quolibet ordinario: 6) Episcopos transferre,*  
*& eorum resignationes recipere: (§. CCCLXIX.*  
*& §. CCCLXXXII.) 7) Ei subesse omnia iu-*  
*dicia ecclesiastica: p)* (P. II. §. CCXIX. \*) 8)  
 ipsum esse *inadpellabilem*, nec ab aliis iudica-  
 ri: q) 9) Eum Episcopos *electos confirmare, &*  
*postulationes admittere: (§. CCCXXVIII. seq.*  
*& §. CCCXVI. seq.) 10) aliis ecclesiis suas*  
*vices credere: r)* (§. CCXLVI. \*) 11) ad imi-  
 tationem & *exemplum* ecclesiae Romanae  
 omnia esse componenda: s) (§. CV. CVII.  
 CIX. & DCXI. 3.) 12) Ei coeca obedientia  
 parendum, si vel maxime *iniqua* decernat,  
 & *multa millia hominum ad gebennam ducat:*  
 t) 13) *Reseruata* eius neminem sibi adrogare  
 posse: u) 14) Gaudere *utroque gladio* spiri-  
 N tuali

n) c. 1. D. 96.

o) c. 10. D. 96.

p) c. 6. C. 9. q. 3.

q) c. 7. &amp; 9. D. 21. c. 6. D. 40. c. 16. C. 9. q. 3.

r) c. 12. C. 2. q. 6.

s) c. 2. D. 32. c. 4. D. 19.

t) c. 2. D. 19.

u) c. 3. D. 37.

tuali & temporali: x) 15) Determinare *controversias* fidei: 16) peragere *canonisationem* Sanctorum: (§. DCCCIV. seq.) 17) in casibus referuatis absolueret & dispensare: 18) annatas aliaque exigere, (§. CM XVIII. CMLVI. 7.) & sic porro. y) \*

\* Quum in Episcoporum ordine sit Pontifex, (§. CCLXXXIII.) Episcopi vero variis insigniis utantur; (§. CCXLIX. 4.) ita & Pontifici sunt insignia, tam *communia* cum aliis sui ordinis, quam propria, quorum potissima *Tiara* pertinet, cum reliquis ornamentis & vestimentis Papalibus, vid. I. F. MAYER *de elect. Rom. Pont. cap. VII. & VIII.* vario etiam vestium colore utitur, pro temporum diuersitate, modo nigro, seu eius loco violaceo, modo albo, modo rubro, imo viridi. v. DOMIN. GEORGI *Gli Abiti sacri del sommo Pontefice.* Olim etiam *baculos*, non quidem in summitate curuos, sed *rectos*, instar ferulae gesserunt. IO. CIAMPINI *diss. an Rom. Pontif. bacul. Pastor. utatur.*

#### §. CCLXXXVI.

Electio.

Ex secundo notandum: 1) eligere Cardinales praesentes; \* 2) absentes non citari: 3) desiderari *duas tertias*, ut quis salutari Pontifex possit. 4) Fieri electionem in *conclauis*: 5) vel per *scrutinium*, vel per *compromissum*, vel per *inspirationem*: \*\* 2) 6) Eligi illum ex *corpore Cardinalium.* a)

\* Olim

x) Extrau. comm. I. *de maior. & obed.*

y) CORVINVS *cit. l. §. 6.*

z) MEYER *cit. l. pag. 131. sequ.*

a) c. 3. *sequ. D. 79.*

\* Olim electio penes vniuersum clerum vrbis, Optimates & populum; Post penes Imperatores, quibus iam olim ius confirmandi compete-  
 rebat, MEYER *cit. l. p. 58.* IO. GARNIER *Lib. diurn. Rom. Pontif. c. 2.* Mutationes varias circa electionem Pontificis, per varia tempora factas, sat accurate recenset IO. MABIL-  
 LON *in Museo Ital. Tom. II. cap. 17.* Iur-  
 Imperatoria circa hanc electionem enucleauit  
 IOH. BVRCH. MAIVS, *de Rom. Pontif. elect. caesarumque circa eam iure* (§. CCXCIII.\*\*)

\*\* Scrutinii delineationem exhibet MEYER *cit. l. pag. 142.* (§. CCXCIX. seq.)

### §. CCLXXXVII.

Cessat omnis Pontificis potestas in terris Protestantium. Propterea tamen Principes euangelici vix vt Papae in suis territoriis considerari possunt. (§. LXXXVI.\*\*) Quum vero inter Protestantes multa Pontificia instituta, maxime in capitulis, Abbatii, aliisque supersint, eatenus Principibus nostris etiam *Papalia iura* vindicari solent. Sic quae 1) de Prouisionibus & expectantiis, 2) de confirmatione, 3) mensibus Papalibus, 4) annatis 5) aliisque iuribus quoad capitula, monasteria, praebendas, Pontifici Romano in iure canonico vindicantur, ea Principi euangelico merito attribuuntur, (§. CCC.\*\* §. CCCXXXIV. seq. §. DCCCXX. 5. seq. §. CMXI. §. CMXXI.) licet, si verum fateri velimus, multo laxior sit horum, quam Pontificis, potestas, b)

Vfus iurium  
 Papalium  
 inter Pro-  
 testantes.

N 2

Tit.

b) Ill. BOEHMER *iur. eccl. Prot. l. I. tit. 20. §. 8. sequ.*  
 STRYCK *diff. de iure Papali Princip. euangel. l. I. p.*  
 DE LVDEWIG *diff. de praecip. Princ. Euang.*

TIT. XVI.  
DE CARDINALIBVS.

§. CCLXXXVIII.

Connexio.

Descriptio  
Cardinali-  
um.

**Q**UUM Episcopus Romanus a Cardinalibus & e corpore Cardinalium eligatur, (§. CCLXXXVI. 1. & 6.) quinam tales sint enucleandum est. Sunt vero Cardinales *Clerici ecclesiae Romanae, constantes ex Episcopis, Presbyteris, Diaconis, qui hodie instar Senatorum Pontificis sunt, & senatum ecclesiasticum constituunt.* \* c)

\* Nomen Cardinalium olim nullam dignitatem, sed officium denotabat, & quidem commune ministrorum ecclesiae. Ita enim dicebantur, qui ea ratione ecclesiae cuidam Praepositi, ut perpetuo ei adhaerent, sicuti *cardo fixus* ac immobilis. Inde cardinales Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Sub-Diaconi. His oppositi *vacantes*, seu sedibus ciecti. Sic Romana ecclesia habuit Episcopum, Presbyteros, Diaconos, Sub-Diaconos, *Cardinales illius ecclesiae*. Alii Episcopi praeter ipsum Papam adhuc deerant. Sed iam Sec. IX. quidam Episcopi gradum Romanae ecclesiae ambierunt, quod tamen prohibitum fuit. Mox tamen septem propinquiores Episcopi sedis Romanae *suffraganei* facti, ex instituto Stephani IV. diebus dominicis ad altare Petri missas celebrare iussi, & sic ecclesiae Romanae quodammodo *incardinati* sunt. Ex hinc ecclesia Romana etiam ex Episcopis fuit conflata, sed *nulla* his suffraganeis *proedria* inde accessit, nequidem Sec. X. Verum Sec. XI. in altum euecti fuerunt

runt Episcopi Cardinales, & ipsis Archi-Episcopis cedere noluerunt. Cum postea Romani Pontificis electio ad illos deuolueretur, & in legationibus *vicariatum* Pontificis gererent; (§. CCCCXLVIII.) elatiores facti sunt. Sec. XIII. *purpura* donati in tantum fastigium ascenderunt, vt ex tunc reliquis clericis titulus Cardinalis denegaretur. conf. *Traité de l'origine des Cardinaux du Saint Siege.* I. F. BVD-DEVS *de orig. cardinalit. dignitat.* BVLAEVS *hiff. uniu. Paris.* T. I. P. II. pag. 395.

## §. CCLXXXIX.

Hinc notanda de illis axiomata: I. Cardinales sunt in summa dignitate. II. Constituant consilium sanctius Pontificis.

## §. CCXC.

Ex primo rationem reddere poteris, 1) Electio eorum eligi debeant *scrutinio & consensu Cardinalium*, viri probi, moribus bonis, iustis natalibus orti: 2) Cur & hic iustam *aetatem* desiderent: (§. CLXX. 2.) d) 3) Cur, licet in Episcopos, Presbyteros & Diaconos diuidantur, in suis tamen titulis iurisdictionem pene *Episcopalem* exercent: 4) Cur hae parochiae Episcoporum *dioecesibus* aequiparentur: e) 5) Cur *Proëdriam* prae Principibus, Regio sanguine ortis, praetendant. 6) Cur titulo *eminentissimi* gaudeant: 7) Cur denique *habitu* peculiari aliisque *pruilegiis* fruuntur.

N 3

§ CCXCI.

d) CONF RICHERIVS *hiff. concil. gen. L. III. p. 333. sequ.*e) c. II. X. *de maior. obed.*

## §. CCXCI.

Numerus &amp; potestas.

Ex secundo intelliges, 1) cur numerus eorum definitus non sit: f) 2) cur eligendus *nepos* ex fratre aut sorore Pontificis aut Cardinalis esse nequeat: \* g) 3) cur apud Pontificem in *Consistorio* conveniant, & ibi de causis maioribus & arduis deliberent: b) 4) cur creatio eorum fiat vel *motu proprio* Pontificis, vel ad *nominationem* capitum coronatorum: 5) cur denique sedē vacante ecclesiam Romanam regant. \*\*

\* Hoc ipsum a temporibus Sixti IV. non amplius observatum fuit. conf. PUFENDORF *geistl. Monarchie des Stuhls zu Rom* §. 31.

\*\* Olim sedē vacante regimen ecclesiae Romanae administrabant Archi-Presbyter, Archi-Diaconus & Primicerius Notariorum, GARNIER *Lib. diurn. Rom. Pontif. c. 2.*

## TIT. XVII.

## DE EPISCOPORVM ET PRAELATORVM PROMOTIONE PER ELECTIONEM.

## §. CCXCII.

Connexio.

**O**Mnia beneficia *maiora* quae *dignitatem* annexam habent, si titulos Cardinalium exceperis, (§. CCXC. 4.) regulariter per *electionem* conferuntur. Quum vero Episcopi sint in dignitate, (§. CCXLIII. seq.) consequens

f) CORVINVS *cit. l. tit. 3. §. II.*g) RICHERIVS *cit. l. pag. 434.*b) CORVINVS *cit. l. §. 13. sequ.* RICHERIVS *cit. l.*



quens est, eos ordinarie per *electionem* promouendos esse.

§. CCXCIII.

Electio vero est: *Personae idoneae ad Prae-* Quid electio ?  
*laturam \* canonice facta vocatio. \*\**

\* *Vel fraternam societatem.* Hac enim adpellatione inter se vtuntur clerici, qua olim omnes Christiani inter se vtebantur. vid. ARNOLD *de fratrum adpellatione.* Forſan hoc ideo factum, vt ostenderent se καὶ ἑξοχῆν esse Christianos. Hic mos etiam nostris ecclesiae ministris familiaris est.

\* Olim electio pertinuit ad *totam ecclesiam.* BLONDELL *de Episcopis & Presbyt.* pag. 379. sequ. BINGHAM *orig. L. IV. c. 2.* Interfuerunt ideo Prouinciales Episcopi, vt electum ordinarent. Hinc saepius nominabant & commendabant eligendum. In Oriente vero non diu plebs hac libertate gauisa est. Per varios gradus exclusa fuit. BINGHAM *cit. l. §. 12. seqq.* Ipse Iustinianus plebem remouit L 42 C. *de Episcopis.* In Occidente diuturnius ius plebis etiam in Episcopis subvrbariis obtinuit. GARNIER *cit. l. c. 3.* Sicuti vero Imperatores Orientis saepius Episcopos nominabant: BINGHAM *cit. l. §. 16.* ita, labefactato Imperio Romano, Reges Gothorum in electionum societatem adſceſcebantur, & dehinc sibi solis ius nominandi Episcopos vindicabant. BINGHAM *cit. l. c. 19.* Ex quo in Occidente ad Francos summa rerum delata fuit, mox a tempore Caroli M. ius constituendi Episcopos penes reges fuit, donec Gregorius VII. illud sub praetextu Simoniae impugnarer, Paschalis II. & Callistus II. his vestigiis insisterent, & Regibus iura sua extorquerent. CONRING *de constit. Episcop.*

*in Germania.* Sub Friderico II. ad capitula devoluta fuit *electio*, verum mox turbata a Pontifice per *provisiones & expectativas*, vsque dum per *concordata* nationis Germanicae (§. CXXIX.) sub Friderico III. liberae *electiones capitulis* restituae fuerint. conf. ZIEGLER *de Episcopis* L. II. c. 1. §. 7 (§. CCLXXXVI. \*)

## §. CCXCIV.

Axiomata .

Hinc tenenda axiomata: I. Eligendi sunt idonei, non iure prohibiti: II. Facienda electio ab illis, ad quos ea iure vel consuetudine pertinet, dummodo III. iure eligere non prohibeantur: IV. Fieri debet electio debito modo, loco, tempore: V. Intuitu nostrae Germaniae praeterea notandum: quidam electi sunt Status Imperii.

## §. CCXCV.

Quales eligendi?

Quum itaque eligendi sint idonei, non iure prohibiti; (§. CCXCIV. I.) facile reddes rationem, 1) cur eligi nequeant *minores* triginta annis, 2) *spurii*, 3) *indocti*, 4) *excommunicati* aut *suspensi*, 5) *Simoniaci*, i) 6) *auari*, 7) qui a *laico* se antea eligi passi: 8) qui *plura beneficia* curata habet: 9) qui inferiores ordines per *interstitia* temporum gradatim non adimplevit: (§. CLXXIV.) 10) qui in *sacris ordinibus* saltem Sub-Diaconatu non est constitutus: 11) *schismatici*, 12) *Neophytae*, 13) qui scienter *inidoneum* elegit aliique. (§. CLXXVIII. seq.) k) Notandum vero 14) ple-

i) BINGHAM *orig.* L. IV. c. 3. §. 14.k) CORVINUS *institutt. iur. can.* L. I. tit. 4. §. 7. add. BINGHAM L. IV. c. 3. *sequ.*

plerosque defectus per *dispensationem* tolli posse, (§. CLXXX.) & quod 15) in Germania nostra *religionis* potissimum ratio habenda sit. l)

## §. CCXCVI.

Quumque facienda sit electio ab illis, ad quos ea iure vel consuetudine pertinet; (§. CCXCIV. 2.) inde intelligitur, 1) eam in cathedralibus ecclesiis pertinere ad *capitulum*: (CCXCIII. \*) 2) in Abbatibus ad *conventuales*. (§. DV. 1.) 3) cur, qui praeter has personas ad electionem concurrere velit, ius suum probare debeat: m) 4) Cur *absentes* citandi sint, n) qui, 5) ubi ipsi comparere nequeunt, per *procuratorem* eligere queant, o) dummodo *ex ipso* collegio *Procuratorem* constituent. p)

## §. CCXCVII.

Quum deinde illi saltem eligant, qui iure non prohibentur; (§. CCXCIV. 3.) consequens est, ut eligere nequeant 1) *impuberes*: 2) qui sacris ordinibus nondum sunt *decorati*: \* 3) qui *excommunicatione* maiore aut *suspensione* per iudicis sententiam sunt ligati: 4) qui *laici*, siue conuersi, siue simplices, licet ecclesiae viduatae sint *patroni*: 5) qui scientes *indignum* elegerunt, 6) qui *absentes*: (§.

N 5

CCXCVI.

l) INSTR. PAC. art. 5. §. 15.

m) INSTR. PAC. art. 5. §. 14.

n) PASSERINVS de elect. c. 11. nr. 4.

o) c. 42. X de elect. c. 46. de elect. in 6.

p) c. 46. de electione in 6.

CCXCVI.4. sq.) q) 7) *beterodoxi*, \*\* 8) qui *intra numerum* non sunt constituti.

\* Hic exurgit quaestio: vtrum Protestantes in capitulis mixtis etiam ad sacros ordines adspirare debeant nec ne? Putarem quod sic, quia sunt clerici, (§. CCCCLXXXVI. 1.) & id ipsum praxis ecclesiae Osnabrugensis comprobat. Alias quia saltem *dicis gratia* ordines suscipiuntur, Protestantes ab illis abstant. Plurimumque tamen certa pecunia ordines redimunt, quae propterea *Ordens Geld* dici solet.

\*\* In *mixtis capitulis* Protestantibus heterodoxia obici nequit, quia in effectu iuris & in sensu civili, utraque religio *orthodoxa* est. (§. XLIII.)

### §. CCXCVIII.

Ratio electionis.

Quum porro fieri debeat electio debito modo, (§. CCXCIV. 4.) discimus inde 1) electionem *liberam* esse debere, r) 2) non turbulentam: s) 3) posse tamen eam *restringi* pacto; t) 4) peragendam vel per *scrutinium* vel per *compromissum*, vel per *inspirationem*. (§. CCLXXXVI. §. seq.)

### §. CCXCIX.

Quid scrutinium?

Est vero scrutinium *Modus eligendi sollemnis, ab omnibus, qui ius eligendi habent, peragi solitus, vi cuius ille ad Praelaturam pervenit, in quem maior \* pars eligentium consentit.*

\* Olim etiam *sanior* pars. Hodie vero indistincte maiora valent. CONCIL. TRIDENT. *Sess. 25. de regul. c. 6.*

### §. CCC.

q) CORVINUS *cit. l. §. 4.*

r) conf. INSTR. PAC. *art. V. §. 17.*

s) c. 9. D. 97. c. 6. D. 63.

t) PASSERINUS *de elect. can. c. 2. qu. 3. nr. 45. sequ.*

## §. CCC.

Exinde notandum: *a*) vocandos esse omnes, quibus ius eligendi competit, ut vel ipsi veniant, vel mandata mittant: *u*) *β*) *Prædeliberationes* fieri de modo eligendi & de capitulatione electo præscribenda: *γ*) Die electionis statuto missam de spiritu sancto celebrari, & huic electores interesse: \* *δ*) Omnes eucharistiam accipere & iurare de *eligendo dignissimo*: *ε*) Eligi *scrutatores*, qui vota exquirant: \*\* *ζ*) Vota ab his collecta publicari: *x*) *η*) Facta votorum collatione illum Episcopum vel Praelatum fieri, in quem *maior pars ratione totius capituli* consensit: *γ*) *θ*) Singula actus momenta in Protocollum redigi, vel instrumentum Notariatus desuper confici, hocque ipsum non sine contestatione quadam quandoque fieri. *z*) \*\*\*

Ordo in illo  
obseruan-  
dus.

\* Protestantes canere solent: *Veni Sancte Spiritus*.

\*\* Apud Protestantes in mediatis capitulis commissarii a Principe delegati electionem dirigere solent.

\*\*\* Scrutinii sollemnitas etiam apud Protestantes in electionibus est obseruanda.

## §. CCCI.

Compromissum (§. CCXCVIII. 4.) est, *Si vniuersum collegium paucis, imparis numeri, permittunt, ut ecclesiae vacanti nomine collegii prospiciant.* Quid compromissum?

## §. CCCII.

*u*) PASSERINVS *cit. l. c. 11.*

*x*) CORVINVS *cit. l. tit. 4. §. 14.* PASSERINVS *cit. l. c. 16.*

*γ*) CORVINVS *cit. l. §. 15.*

*z*) *conf. c. 18. & 42. X. de electione.*

## §. CCCII.

Qua ratione  
incundum.

Exinde videre licet: *a*) cur compromissum *in nullo dissentiente* fieri debeant: *b*) *mandati* forma ad vnguem fit obseruanda: *b*) *γ*) cur a compromissariis eadem ratione, ac *in electione*, procedendum sit. *c*) *δ*) Cur hic *simpliciter maiora* (§. CCC. *η*) valeant: *ε*) cur & in illos compromitti possit, qui *non sunt de capitulo*, *d*) (§. CCXCVI.) *ζ*) & *reuocari* possit compromissum re adhuc integra. *e*)

## §. CCCIII.

Quid inspi-  
ratio?

Inspiratio denique (§. CCXCVIII. 4.) est, *Vbi vel omnes nullo praecedente tractatu in vnum consentiunt: vel vnus candidatum eligit, cui reliqui mox adhaerent.* \* *f*)

\* Piiis adhibitis fraudibus quandoque in electionibus Pontificum vsurpata fuit. Ibi etiam per *adorationem* electio fieri potest. TABLEAV *de la cour de Rome* P. I. c. 3. In aliorum Praelatorum electione hi modi vix frequentantur. ESPEN *cit. l. P. II. tit. 21. c. 4. §. 9.*

## §. CCCIV.

Requisita.

Exinde sequitur: *a*) Inspirationem absque *Simoniae* seu ambitus crimine, *β*) *citra conpirationem*, *γ*) *coniurationem*, *δ*) *requisitionem*, vel *ε*) consensum *extra capitulum* declaratum, fieri debere. *g*)

## §. CCCV.

*a*) ESPEN *iur. eccl. P. II. tit. 21. c. 4. §. 6.*

*b*) c. 32. X. *de elect.*

*c*) PASSERINVS *cit. l. c. 22. qu. 5. nr. 21.*

*d*) PASSERINVS *cit. l. qu. 1. nr. 3.*

*e*) c. 30. X. *de elect.*

*f*) c. 42. X. *de elect.*

*g*) conf. *Bulla Gregorii XV.*

## §. CCCV.

Ex axiomate quarto autem, quod etiam <sup>Vbi electio fieri debeat.</sup> debito loco facienda sit electio, (§. CCXCIV. 4.) porro sequitur, 5) (v. §. CCXCVIII. 4.) illam peragendam esse in *ecclesia viduata*, & ibi 6) in eo loco, vbi *consuetudo fert*, b) v.g. in ecclesia cathedrali, i) in loco capitulari. Corollarii loco 7) notandum, haec in omnibus *dignitatibus, personatibus, aliisque officiis ecclesiasticis electiuis obtinere.* k)

## §. CCCVI.

Denique quia iuxta hoc axioma (§. Quando. CCXCVIII. 4.) etiam tempus obseruari debet; porro sequitur, 8) vt peragenda sit electio *ecclesia vacante*, siue per mortem, siue alia de causa. l) 9) Si per mortem vacat, tunc demum, vbi *Praelatus iam est terrae demandatus*: ita quidem, 10) vt Praelati electio *intra tres menses* peragenda sit; m) Vbi vero alia beneficia collatiua vacant, *ultra sex menses* ecclesia vacare non debeat: n) 11) vt alias ius eligendi & conferendi quoad hunc actum ad *superiorem deuoluatur.* o) Hinc ille *ius deuolutionis* exercet.

## §. CCCVII.

b) c. 14. X. de elect. PASSERINVS cit. l. c. 12. qu. 1.

i) c. 18. X. de elect. c. 25. X. de appellat.

k) CIRONIVS in paratitl. ad tit. X. de elect.

l) CORVINVS in institut. iur. can. L. I. tit. 4. §. 3.

m) c. 4. X. de elect.

n) c. 1. X. de concess. praeb.

o) tit. X. de suppl. neglig. prael.

## §. CCCVII.

Quid ius deuolutionis?

Est autem ius deuolutionis *Translatio iuris eligendi, (conferendi) pro ea vice amissi, in superiorem ob negligentiam in eligendo (conferendo, prouidendo) commissam. p)* (sed c. §. CMI.)

## §. CCCVIII.

Axiomata.

Exinde fluit axioma: Fundamentum iuris deuolutionis est negligentia inferioris, quam pro ea vice superior supplet.

## §. CCCIX.

Quando, quousque obtineat, & quis sit effectus?

Hinc sequitur, 1) ius eligendi in totum sic non esse sublatum: 2) negligentiam tunc committi, quando intra *legitimum tempus* beneficio non prouidetur: (§. CCCVI. 10.) vel 3) *in modo* prouidendi peccatum & scienter indignus electus fuerit: q) 4) Ad negligentiam requiri a) *scientiam* vacationis: r) β) *omnis impediementi* remotionem: s) 5) Et negligentiam & impediementum ab *allegante probari* debere: t) 6) Deuolutionem *non fieri ipso iure*. 7) Fieri illam *gradatim*: 8) Obtinere etiam in ecclesiis Protestantium, in collegiis *mediatis & collatis beneficiis*: u) Exsulare vero 9) in capitulis *immediatis* A. Confess. addictis: x) Denique 10) fieri deuolu-

p) LEVRENIUS *For. benef.* P. II. qu. 717.

q) IDEM *ibid.* qu. 739.

r) c. 3. X. *de suppl. neglig. Prael.*

s) c. 41. X. *de elect.*

t) PASSERINUS *cit.* l. c. 13. qu. 4. nr. 28.

u) conf. CARPZOV. *iurispr. consist.* L. I. d. 15.

x) vid. Consult. Dn. IO. SAL. BRVNQVELL. *dissert. de diuers. Patron, eccl. & laici iure* §. 24.



uolutionem semper cum *qualitatibus beneficiis annexis* in prima prouisione.)

## §. CCCX.

Quum tandem in Germania quidam ele- Qualitates eligendorum in Germania.  
 gi fiant Status imperii (§.CCXCIV. 5.) facile reddideris rationem, 1) cur etiam *nobili pro-*  
*sapia* orti esse debeant eiusmodi eligendi: 2)  
 2) Cur ratio simul habeatur eorum, qui *Im-*  
*perio* prodesse possunt: 3) cur tam *Imperator*  
 quam alii *Principes* rem suam agi putent, ubi  
 talis Praelatus eligendus est: 4) cur simul  
 fiant *domini territoriorum*: Denique 5) cur in  
 tali electione etiam ratio habeatur *religionis*.  
 (§. XLIII.)

## §. CCCXI.

Quum vero olim elegerit tota ecclesia Electio Pastorum in ecclesiis Protestantium.  
 (§.CCXCIII.\*\*) tempore reformationis in  
 multis ecclesiis ius antiquum restitutum fuit  
 intuitu Pastorum & ministrorum ecclesiae. \*  
 Superintendentum vero constitutio & tunc  
 a Principe vnice dependet. (§. CCLX.) a)

\* *Modus eligendi Pastores variat. In genere tenendum, talem electionem fieri debere* 1) quiete, sine turbis: 2) sine ambitu: 3) iuxta maiora suffragia: 4) quandoque accedere confirmationem superioris.

## TIT.

y) BARBOSA *de potest. Episc.* P. III. alleg. 58. nr. 11.

z) B. GYNDLING *in Gundling.* P. XI. c. 1.

a) ZIEGLER *de Superintend.* c. 4. §. 7.

## TIT. XVIII.

DE  
EPISCOPORVM PROMOTIONE  
PER POSTVLATIONEM.

## §. CCCXII.

Connexio.

**A**B electione olim non differebat Postulatio. \* Quum vero postea multi eligerentur, quibus *impedimentum* aliquod per canones notatum obstabat, quod tamen per viam *gratiae & dispensationis* tollendum putabant; aliam plane indolem postulatio induit, adeoque nunc, quia & per *postulationem*, quatenus electioni opponitur, Praelati promouentur, de hac promotionis specie agendum erit.

\* Diximus electiones ad totam ecclesiam pertinuisse. (§. CCLXXXIII. \*\*) Quum vero *Cleri suffragium* quandoque praeualeret, *Populus* saepe ante cleri decretum aliquem *eligere desiderabat*, qui actus *Postulationis* nomen gessit. DV FRESNE *Gloss. voc. postulare*. Postea cum & Principes electiones dirigerent, aut iure *inuestiendi* Episcopos gauderent, *populus* saepe *postulabat a Principe*, ut ille confirmaretur, quem elegisset. Sic postulatio nihil aliud erat, quam petitio super confirmatione impertienda. ANT. MATTHAEI *de nobil.* L. II. c. 41. Hinc postulatio tunc *concomitans* fuit electionis. Hodie vero est *ipsa electio*, quia cum in finem fit, ut ille Praelaturam accipiat, qui secundum canonum rigorem admitti nequit. ZIEGLER *de Episcop.* L. II. c. 6.

§. CCCXIII.

## §. CCCXIII.

Est itaque Postulatio *petitio concors collegii, penes quod eligendi facultas est, ut is in Praelatum promoveatur, cui impedimentum canonicum, sed dispensabile, obstat.* <sup>Postulationis definitio.</sup> b)

## §. CCCXIV.

Hinc notanda axiomata: I. Postulantes <sup>Axiomata.</sup> consentire debent in eum, pro cuius admissione intercedunt: II. Dirigitur Postulatio ad superiorem. III. Praesupponit defectum canonicum, sed dispensabilem. IV. Nititur admissio sola gratia superioris.

## §. CCCXV.

Ex primo itaque axioma, iuncto eo, <sup>Modus illius.</sup> quod iam observavi, postulationem esse ipsam electionem, (§. CCCXII.) colligo: 1) Postulationem etiam fieri posse per *scrutinium*, (§. CCXCIX. seq.) & *compromissum*: (§. CCCI. seq.) c) 2) Sufficere & hic regulariter *vota maiora*: (§. CCXCIX. \*) 3) Quandoque tamen desiderari *duplo maiora*, si eligibilis cum postulabili concurrat: d) 4) Postulationem praesentandam esse postulato, ut animi sui sententiam desuper exponat. e)

## §. CCCXVI.

Ex secundo (§. CCCXIV. 2.) sequitur, <sup>Ad quem dirigenda?</sup> 1) Episcoporum postulationem ad *Pontificem*, f) 2) reliquorum Praelatorum ad *Episcopum*

b) c. 6. de elect. in 6. c. 20. X. de elect.

c) CORVINVS cit. l. L. 1. tit. 5. § 5.

d) c. 40. X. de elect.

e) c. 6. de elect. in 6.

f) c. 4. X. de Postulat.

*scopum* vel *Archi-Episcopum* dirigendam esse. Nec minus inde constat, 3) Superiorem impedimentum remouere posse: 4) Vbi immediate superior repulsam dedit, ad *Pontificem recursum* in mundo esse, (§. VI. 6.) & hunc, vbi absque iusta causa admissio denegata fuit, illam *imperare* posse. g)

## §. CCCXVII.

Ratio ad-  
missionis.

Ex tertio (§. CCCXIV. 3.) consequens est, 1) dari defectus *indispensabiles*; adeoque 2) huc saltem pertinere defectus ob aetatem, natiuitatem, vinculum alterius ecclesiae & similes: (§. CLXXX.) 3) Pontificem, cum imperare queat admissionem (§. CCCXVI. 4.) & totius ecclesiae caput sit, illique Suprematus vniuersalis & independens competat, (§. CCLXXXII, seq.) etiam *decreta eligibilitatis* indulgere posse.

## §. CCCXVIII.

Ratio ad-  
missionis  
postulati.

Ex quarto (§. CCCXIV. 4.) discimus, 1) postulationem nullum ius tribuere postulato, b) adeoque 2) postulantibus re integra & *variationem* integram esse: i) 3) Omnem vim postulationis pendere ex *admissione*: k) & hinc 4) admissionem fieri cum *causae cognitione*: l) 5) *Admissione denegata* superiorem vacanti ecclesiae prospicere, m) (§. CMVI. γ) nisi

g) C. BARBOSA *iur. eccl. L. I. c. 19. nr. 4.*h) c. 3. & 5. X. *de postul.*i) CORVINUS *cit. l. tit. 5. §. 8.*k) LINCK *de iur. Episc. c. 5. nr. 35.*l) INNOCENT. III. *Lib. XI. ep. 171.*

m) CONC. NAT. GERM. §. 2.

nisi 6) *duae tertiae* ex electoribus consenserint in postulatam. n) Hinc denique 7) constat, cur *scrutinium* hic non adeo exacte obseruari debeat, uti in electione. o)

VSVS INTER PROTESTANTES.

§. CCCXIX.

Sicuti electio inter Protestantes iuxta suas Postulationis inter Protestantes indoles, in immediatis Praelaturis. solemnitates obseruari solet: (§. CCC. \*\*\*) ita & postulatio in *Praelaturis mediatis* visitata est. Immediatas vero quod concernit, palmaria postulationis ratio, scilicet *confirmatio* superioris plane exsulat. Retinuerunt quippe Protestantes nomen propterea, quod Episcopi & Praelati Protestantes qualitates haud habeant, quas in illis requirit ius canonicum. Hinc nomen *electionis* & *postulationis* hic promiscue adhibetur. Quod si vero postulabilis cum eligibili concurreret, ratione votorum omnino discrepantia inter postulationem & electionem statuenda foret, quale quid in *Abbatibus* potissimum occurrere potest. Vbi vero super electione & postulatione lites & controuersiae imminet, eae in summis *imperii tribunalibus* discutuntur. p)

§. CCCXX.

In *mediatis* capitulis ordinaria postulationis In mediatis via obseruari solet. Vbi itaque vota in

O 2 talem

n) c. 40. X. de elect.

o) PASSERINVS de elect. can. c. 24. nr. 9.

p) INSTR. FAC. art. 5. §. 54. FABRI Staats-Gangley T. XIII. pag. 510 sequ.

talem personam diriguntur, quae directo eligi nequit, *admissio* a superiori impetranda est. (§. CCCXVIII. seqq.) q)

## POSTULATIO MINUS SOLEMNIS.

### §. CCCXXI.

De simplici postulatione.

Haec de postulatione *solemni* obtinent. Datur tamen & *simplex* seu *minus solemnis* postulatio, quae nihil aliud est, quam *requisitio consensus illius, cuius ex aliqua causa interest, eo directa, ut persona alioquin idonea promoueri possit.* r)

### §. CCCXXII.

Axiomata.

Inde haec necto axiomata: I. Minus solemnis postulatio non ob defectum canonicum, sed ob aliud impedimentum fit. II. Potest etiam dirigi ad laicum. s)

### §. CCCXXIII.

Quando obtineat?

Ex primo discimus, 1) hanc postulationem saltem fieri propter *auctoritatem*, quam quis in postulatum habet, vel ob aliam causam canonibus non notatam: 2) Postulatione tali admissa adhuc *electione* vel *Postulatione* solemni opus esse. t)

### §. CCCXXIV.

Ad quem dirigenda?

Ex secundo colligimus, 1) consuetudine obtinere posse, ut *consensus Principis* ob ius aduocatae, aut 2) *Patroni* requirendus sit: 3) Vt

q) STRYCK *de iur. papal. Princip euang* c. 5. §. 4.

r) HEBERER *de postul. can.* c. 1.

s) PASSERINVS *cit. l. c. 24. sequ. l.*

t) CORVINVS *cit. l. §. 13.*

3) Vt actus, in contrarium gestus, nullus sit; a qua praxi nec Protestantes abhorrent.

## TIT. XIX. DE CONFIRMATIONE.

### §. CCCXXV.

**F**Acta electione aut postulatione, <sup>et declarandus est</sup> consensus <sup>Connexio.</sup> ab electo & postulato requiritur, u) qui ab illo *intra mensem*, a postulato *intra octiduum* declarandus est, x) quia nemo absolute ad spartam eiusmodi suscipiendam cogitur. y) Praestito vero consensu, *confirmatio* postulanda est ab eo *Praelato*, cui *dignitas*, ad quam quis electus aut postulatus fuit, *immediate subest*. \* z) Hinc ordo nos ad confirmationem ducit.

\* Olim Metropolitanani non solum electionem dirigebant, sed & ea facta, omnes prouinciae <sup>ex dispositione Concilii Niceni</sup> Episcopos conuocabant in locum ecclesiae vacantis. Hoc collecto concilio, Metropolitanus electionem examinauit, electum interrogauit de natalibus, vita, adscensu per ordines, fide, & dehinc ordinationem peregit, <sup>hactenus actum de ord. ant.</sup> (§. CCLXXIV.) Ex quo vero electio ad capitulum <sup>non Canonici antiqui</sup> deuoluta fuit, Metropolitanae, inconsultis suffraganeis, electos Episcopos confirmarunt. Quum vero horum decreta minoris ponderis essent ac illa, quae a synodo Episcoporum emanabant, frequentissime ab eorum repudiatione

O 3

u) c. 6. & 8. X. de elect.

x) c. 6. de elect. in 6.

y) ZIEGLER de clerico renitente.

z) CORVINVS cit. l. L. I. tit. 6. §. 2.

+ eo referuntur, quod he-  
 proditoria fecerant. <sup>Episcopi</sup> <sup>Episcopi</sup>  
 Romani, cum pater ab eo sibi oblati-  
 di patere turis signum tunc  
 Pontificis

tionem ad curiam Romanam provocatum fuit.  
 Exinde Pontifex occasionem nactus est confir-  
 mationem Episcoporum ad sua reservata tra-  
 hendi. Consensus Imperatorum, qui in ipsa  
 Pontificis electione necessarius erat, (§.  
 CCLXXXVI.\*) extorto iure inuestiendi eva-  
 nuvit. MAIMBOVRG *de la decadence de l'em-  
 pire* L. II.

## §. CCCXXVI.

Quid con-  
 firmatio?

Est vera confirmatio: *adprobatio electio-  
 nis aut postulationis, facta a superiore, quae ele-  
 ctum aut postulatum, ecclesiae demum adglu-  
 timat.*

## §. CCCXXVII.

Axiomata.

Hinc tenenda axiomata: I. Confirmatio  
 ab electo aut postulato est petenda. II. Con-  
 ceditur cum causae cognitione.<sup>#</sup> II. Post  
 eam matrimonium cum ecclesia est ratifi-  
 catum.

## §. CCCXXVIII.

Intra quod  
 tempus pe-  
 tendenda?

Ex primo recte colligis: 1) *Spatium* huic  
 petitioni esse statuendum, quod olim tri-  
 mestre fuit. Ex quo vero ad Pontificem  
 confirmatio devoluta fuit, confirmandus  
*post menscm*, ab electione aut postulatione,  
 in quam consensit, computandum, iter ad  
 curiam Romanam adornare tenetur, & ubi  
 illuc venerit, *intra quindecim dies* se Pontifici  
 sistere, aut 2) impedimenta dicere, & illa  
 intra alios quindecim dies probare: 3) In-  
 de sequi, hoc spatium esse *peremptorium*. a) <sup>id.</sup>

Cap. 6 de elect. in h.

## §. CCCXXIX.

a) CORVINVS *cit. l. s. 4.*



## §. CCCXXIX.

Ex secundo (§. CCCXXVII. 2.) intelliges: <sup>Qualis causae cognitio adhibeatur.</sup> 1) cur terminus peremptorius praescribatur, <sup>\* Cap. fin. h. p. in 6.</sup> intra quem quisque *contradictor* admittatur; 2) Vbi *plures* sunt candidati, qui se ad eandem Praelaturam electos aut postulatos esse dicant, hi *simul citentur*: 3) Cur etiam *ex officio*, & deficiente contradictore in ipsam personam electam & modum electionis <sup>Can. 2. distinct. 20.</sup> inquirendum, & 4) propterea *acta* & monumenta *electionis* exhibenda sint: 5) Cur vbi *iusta* deprehenditur electio, ea *confirmari* debeat, cum tamen *admissio* postulati res *merae gratiae* sit: <sup>d) in Germania non semper irreparabile</sup> 6) Cur, vbi vitium in electione aut persona occurrit, *irrita* sit *electio*, persona reiiciatur, & 7) constitutio Praelati ad superiorem deuoluatur: (§. CCCIX. 3. add. §. CMVI. 7) <sup>c)</sup> Denique 8) inde constat, cur, vbi quis Pontifice inferior confirmationem impertiendam denegauerit, ab eius sententia & reiectione prouocari possit ad Pontificem. (§. CCCXVI. 4. §. CCCXXV. \*)

## §. CCCXXX.

Ex tertio denique axiomate (§. Effectus. CCCXXVII. 3.) constat: 1) Cur *iusiurandum* <sup>omn. professio Dei vid. Gen. 22. v. 16. & 17. & 22. & 24. & 26. & 28. & 31. & 32. & 33. & 34. & 35. & 36. & 37. & 38. & 39. & 40. & 41. & 42. & 43. & 44. & 45. & 46. & 47. & 48. & 49. & 50. & 51. & 52. & 53. & 54. & 55. & 56. & 57. & 58. & 59. & 60. & 61. & 62. & 63. & 64. & 65. & 66. & 67. & 68. & 69. & 70. & 71. & 72. & 73. & 74. & 75. & 76. & 77. & 78. & 79. & 80. & 81. & 82. & 83. & 84. & 85. & 86. & 87. & 88. & 89. & 90. & 91. & 92. & 93. & 94. & 95. & 96. & 97. & 98. & 99. & 100.</sup> *fidelitatis* a confirmato exigatur: <sup>d)</sup> 2) Cur electus ante confirmationem *administrationi* <sup>dicatur + commissio Episcopi et Episcopi in Jure Canon. Part. 1. Tit. 14. Cap. 5 num. 8.</sup> se immiscere haud possit: <sup>e)</sup> nec 3) ea, quae

O 4

iuris-

b) CONCIL. TRID. Sess. 24. de reform. c. 1. PASSE-  
RINVS de elect. can. c. 33. qu. 6.

c) CORVIEVS cit. l. §. 5.

d) IDEM ibid. §. 7. MARCA de C. S. & I. L. 6. c. 3.

e) c. 17. X. de elect.

*iurisdictionis* sunt, exercere, *f*) quamvis 4) haec aliter se habeant in electis, (aliter in postulatis) extra Italiam, in *Germania, Gallia*: *g*) Ita tamen, ut *ç*) ante quam administrationi se immisceant in capitulationem (§. CCCXXXI.) consentire, eamque iureiurando confirmare debeant: *b*) Denique 6) cur confirmatio non tribuat iura ordinis. *i*) *nam hæc dependent a consecratione*

## §. CCCXXXI.

Quum vero electi ante administrationem in capitulationem consentire debeant, (§. CCCXXX. *ç*.) tenendum est, capitulationes esse, *pacis inter electum aut postulatam & capitulum inita, quibus episcopali potestati modus praescribitur.*

## §. CCCXXXII.

De his pacis observandum, 1) ea iniri saltem posse de *licitis, possibilibus, & ecclesiasticae libertati non aduersantibus*: 2) Nullam continere *deminutionem* seu deductionem fructuum: nec 3) compilari ante electionem aut postulationem: *k*) nec 4) in Germania iniri de illis, quae ex *superioritate territoriali* fluunt: *ç*) Ea in genere non aliter robur obtinere, quam si sint *constitutionibus imperii conformia.* *l*)

VSVS

*f*) c. 15. X. eod.

*g*) c. 28. & 44. X. eod.

*b*) c. 2. C. 8. qu. 3.

*i*) CORVINVS cit. l. s. 8.

*k*) vid. Bulla Innocentii XII. apud Fabr. in det Staats Cansley T. II. p. 13. sequ.

*l*) INSTR. IAC. art. V. §. 16.

vid. Kees non Archi Diac. et de  
An. p. 64 et 65

vid. Faber in det. Norat. bou  
Z. l. 1. 1. 1. 1.

Quid capi-  
tulatione?

vid. assertio libertatis Bremenfis  
p. 216

Super qui-  
bus confici  
possit.

vid. Kees non  
na. nat. Germaniae  
p. 85

et de pace Westphalica

VSUS DOCTRINAE INTER PRO-  
TESTANTES.

§. CCCXXXIII.

*Immediatos* Episcopos & Praelatos nulla Praelati in-  
indigere confirmatione, ex antecedentibus mediati  
constat. Petere tamen debent *Inuestituram* + nulla con- + qua Principes  
intra annum<sup>m)</sup> quae illis per *sceptrum* olim, firmatione  
hodie per *gladium* impertiri solet. m) Quod indigent.  
si vero electio in discordia facta fuerit, per  
accidens confirmatio necessaria est, quia in  
litibus hic exortis imperator iudex compe-  
tens est. (§. CCCXIX.)

§. CCCXXXIV.

*Mediati* vero Praelati iam olim a Principe Bene vero  
confirmationem impetrarunt: n) hinc ho- mediati.  
die multo magis *confirmatio* eorum a Principe s) de huius investitura  
expetenda est.

§. CCCXXXV.

Etiam intuitu electorum ad pastorum, Quandoque  
Principis *confirmatio* quandoque desideratur. etiam mini-  
(§. CCLX. 3. seq.) Sane ubi ecclesiis ius eli- stri eccle-  
gendi competit, confirmatione alicubi opus siae confir-  
est. (§. CCCXI. \* nr. 4.) mantur.

§. CCCXXXVI.

*Capitulationes* (§. CCCXXXI.) nec apud Vfus capi-  
Protestantes incognitae, licet non vndequa- tulationum.  
que ea, quae apud Pontificios obseruanda  
sunt, hic obtineant. Nam reseruatio fru-

O 5

Etuum

m) Dnus BVDER *disq. de feudis sceptri.*

n) STRYCK *de iure papali Princip euangelicorum*  
c. l. §. 5. REINHARD *de iur. Princip. circa sacra*  
*ante reformat.* p. 173. sequ.

ctuum (§. CCCXXXII. 2.) apud uos non reprobatur. Deinde *perpetuae capitulationes* in quibusdam capitulis obtinent, & tunc Episcopatus *iure quodam hereditario* certis familiis addici solent.

*Et ut in Episcopatu  
Missa sit de anno 1663  
Luberecki de anno 1663*

## TIT. XX.

## DE CONSECRATIONE.

## §. CCCXXXVII.

Connexio.

**Q**UUM confirmatio matrimonium cum ecclesia saltem *ratificatum* faciat, (§. CCCXXXVII. 3.) *consummandum* illud adhuc est, quo Praelatus & ea expedire possit, quae sunt *ordinis*. Hanc vero facultatem quum demum per *consecrationem* nanciscatur, & tunc consummatum dicatur matrimonium; de hac consummatione agendum est.

## §. CCCXXXVIII.

Quid consecratio?

Est vero consecratio: *Unctio capitis & manuum, chrismate solemniter facta, in signum consummati cum ecclesia matrimonii.* o)

## §. CCCXXXIX.

Axiomata.

Tenenda de illa axiomata: I. Consecratio est actus sacrosanctus. II. Ea ab Episcopo non est negligenda. III. Impertienda est a persona habili. IV. Peragenda ritibus consuetis. V. Consummat vinculum, quod est inter Episcopum & ecclesiam.

## §. CCCXL.

Quid operetur?

Ex primo fluit: 1) Imprimere consecrationem

---

a) c. 4. X. de transl. Episc. c. 7. D. 23.

tionem *characterem indelebilem*: 2) conferre *gratiam & potestatem* obeundi munus Episcopale, *p*) cum 3) manuum impositio etiam accedat.

### §. CCCXLI.

Ex secundo (§. CCCXXXIX. 2.) consequi. Non est negligenda. tur, 1) illam petendam & expediendam esse *intra tres menses*, nisi legitimum impedimentum subit: *q*) 2) Propterea olim Metropolitanum diem consecrationi dixisse: *r*) 3) Negligentes trimestre spatium absque legitimo impedimento ipso iure excidere *iure ex electione & confirmatione quaesito*: nec 4) opus esse sententia declaratoria, sed mox locum dari nouae electioni, quia *vacat sedes*, & capitulum succedit: *s*) (§. CCCLXXXVIII. seq.) 5) Ipsum Pontificem, ubi nondum consecratus est Episcopus, consecrandum esse. *t*)

### §. CCCXLII.

Ex tertio (§. CCCXXXIX. 3.) intelligimus, *Qui illam expediat?*  
1) cur consecratus, & si Archi-Episcopus aut exemptus Episcopus est, praeterea *pallio* (2. CCCXLVI. seq.) instructus esse debeat: *u*)  
2) Cur Episcopi ab his, quibus immediate subsunt, adhibitis aliis Episcopis; 3) Archi-Episcopi vero a comprouincialibus consecren-

*p*) c. 4. X. de transl. Episc. c. 29. X. de elect.

*q*) c. 2. D. 75.

*r*) ZIEGLER de Episc. L. II. c. 9. §. 13. sequ.

*s*) CIRONIUS in paratitl. ad tit. X. de elect.

*t*) c. 1. D. 23.

*u*) CIRONIUS cit. l.

crentur. \* (§. CCLXXIV. & CCLXXVIII. x)  
 4) Cur tres requirantur Episcopi, quorum  
 vnus *consecrator*, reliqui adstantes dicantur.  
 y) 5) Cur Pontifex Romanus regulariter  
 ab *Hofsiensi* Episcopo consecrari debeat. z)

\* Ita adhuc iure decretalium. Hodie vero non  
 solum Archi-Episcoporum sed & Episcoporum  
 consecratio fit *aucloritate* summi Pontificis.  
 MARCA de C. S. & I. L. VI, c. 3. ibique  
 BALVZIVS. Quod enim olim suburbicari-  
 orum Episcoporum intuitu obtinuit, ius  
 commune factum fuit, GARNIER, *Lib. diurna*  
*Rom. Pontif. c. 3.*

### §. CCCXLIII.

Quibus so-  
 lemnitati-  
 bus fiat?

Ex quarto (§. CCCXXXIX. 4.) constat: 1) cur  
*ieiunium* vigilia, consecrationem præcedente,  
 & consecrantes & consecrandus: 2) cur con-  
 secrandus consecratori solemniter coram al-  
 tari præsentetur: 3) cur consecrator con-  
 secrandum de fide, moribus, qualemque se in  
 posterum gerere velit, interroget, quae in-  
 terrogatio *examen* dicitur: a) 4) cur conse-  
 crandum de *officio* Episcopali admoneat: 5)  
 librum euangeliorum apertum super collo  
 & humeris expandat: 6) manus cum adsi-  
 stentibus imponat: 7) super eo oret: 8) ca-  
 put & manus chrismate inungat: 9) baculum  
 pastoralem & annulum, (§. CCXLVIII. 4.)  
 consecret & tradat: 10) librum euangelio-  
 rum

x) c. 6. X. *de temp. ordin.*

y) CIRONIVS *cit. l.*

z) CORVINVS *cit. l. tit. 7. §. 5.*

a) c. 7. D. 23.

rum manibus tenendum offerat : 11) abhinc consecrandus officium suum mox auspice-  
tur. 12) Cur consecrator tiaram & chirote-  
cas consecret, mitram consecrato imponat :  
13) eum in folio suo collocet, & denique 14)  
sub hymno Ambrosiano Episcopi adstisten-  
tes consecratum per omnes ecclesiae angu-  
los deducant. b)

### §. CCCXLIV.

Ex quinto denique (§. CCCXXXIX. 5.) Adglutina-  
discimus : 1) cur consecratio fieri debeat in tionis per  
*ecclesia vacante*, aut ad minimum in prouin- consecra-  
cia : c) 2) cur potissimum *annuli* datio inter- tionem fa-  
ueniat, (§. CCCXXXIII. 9.) & 3) *fidei professio* ctuae conse-  
facienda sit : d) nec non 4) promissio gene- ctaria.  
ralis de obseruandis illis, quae canonibus  
sunt praescripta : \* 5) cur Papa consecratos  
*fratres* adpellet, electos vero *filios* salutet : e)  
6) cur olim dies consecrationis demum lo-  
cum inter comprouinciales dederit, f) & 7)  
olim singulis annis memoria consecrationis  
solemniter celebrata, & dies ille, *natalis Epi-  
scopatus* dictus fuerit. g)

\* Inde natales sumserunt *iuramenta obedientiae*.  
MARCA de C. S. & I. L. VI. c. 3. ZIEGLER  
de Episc. L. II. c. 9. §. 18.

### §. CCCXLV.

b) PONTIF. ROM. *tit. de consecr. Episcop.*

c) CONCIL. AVRELIAN. IV. c. 3.

d) ZIEGLER *cit. l. Lib. II. c. 9. §. 18.*

e) CIRONIVS *cit. l.*

f) ZIEGLER *cit. l. c. 9.*

g) CIRONIVS *cit. l.*

## §. CCCXLV.

Vfus doctrinae inter Protestantes.

Quum vero Protestantes Episcopi iura *ordinis* non exercent, (§. CCLI.) consequens est, eos *nulla consecratione* indigere. Quum vero apud nos etiam tales Episcopi concurrant, quales primitiva alicui ecclesiae, (§. CCLVI.) horum vero consecratio ab *ordinatione* reliquorum ministrorum ecclesiae non differat; res omnis ad aliam tractationem referenda est. (§. DL. seq.)

## TIT. XXI.

## DE PALLIO.

## §. CCCXLVI.

Connexio.

**E**piscopi privilegati, exempti, & omnes Metropolitanis, licet confirmati & consecrati sint, nondum tamen omnia exercere possunt, sed *pallii receptione* adhuc indigent, \* (§. CCCXLII. 1.) adeoque proxime haec doctrina sequitur. *b)*

\* Pallium olim erat genus indumenti *Imperatoribus* proprii, ex quorum concessione etiam *Patriarchae* illo gaudebant, qui tamen usum aliis concedere nequibant. Postea vero Episcopus Romanus *suo quasi iure* illis *Metropolitans* usum pallii concessit, quibus *vicariatum* ecclesiae Romanae contulerat. GARNIER *Lib. diuin. Rom. Pontif. c. 4.* Inde oriebatur vulgatum: *Per pallii traditionem conferri plenitudinem potestatis.* Abhinc Metropolitanis auidissime passim vicariatum cum pallio ambierunt. Mox Pontifex in eo fuit, ut omnibus

*b)* c. 3. X. de auct. et usu Pallii. c. 23. X. de priuileg.



bus Metropolitanis *necessitatem petendi pallii* imponeret. Sic enim non poterant non per vicariatum demandatum ministri & officiales Pontificis fieri. MARCA *de C. S. & I. Lib. VI. c. 6. & 7.* ibique Dnus BOEHMER *obs. 3.* ZIEGLER *de Episcopis L. II. c. 10.* Hodie non amplius est indumenti genus, sed fascia instar stolae sacerdotalis effigiata.

### §. CCCXLVII.

Est vero Pallium: *Ornamentum eorum*, Pallii descri-  
*qui vicariatum Pontificis tenent, instar fasciae* Prio.  
*ante pectus pendens, humeros ambiens, cruces ni-*  
*gras & purpureas intextas habens, alia orna-*  
*menta supertegens.*

### §. CCCXLVIII.

De illo notanda axiomata: I. Pallium Axiomata.  
 confert plenitudinem potestatis. II. Qui  
 eo utuntur, sunt vicarii Pontificis. i) III. Est  
 certo respectu beneficium non personale,  
 sed reale.

### §. CCCXLIX.

Ex primo vides: 1) Pallium consecra- Consecraria  
 tioni nil addere ad *ordinis ministerium*, sed primi axio-  
 tribuere *plenitudinem iurisdictionis*: k) pro- matis.  
 indeque 2) eum, qui pallio indiget, conse-  
 crationem aliosque actus non quidem *exer-*  
*cere*, illos vero *aliis demandare* posse: l) 3) mo-  
 dum pallium conficiendi multis *sollemnita-*  
*tibus* repletum esse: 4) quod propterea di-  
 catur sumtum de *corpore Petri*: 5) peti debeat  
 instan-

i) CIRONIVS *paratitl. ad tit. X. de auct. & usu pallii.*

k) IDEM *ibid.*

l) c. 1. X. *de translatione.*

instante; *m*) 6) inde etiam constat, cur imponatur a Praelato quodam humeris Archi-Episcopi; *n*) nec 7) regulariter traditio differatur obiectione criminis vel defectus: *o*) 8) cur Episcopi simplices, pallio ornati, dicti fuerint *secundi Metropolitanani*: *p*) 9) cur hodie *ingenti pretio* sit redimendum.

## §. CCCL.

Secundi.

Ex secundo (§. CCCXLVIII. 2.) consequens est: 1) ut considerentur quodammodo ut *Pontificis legati*, (§. CCCCLI. \*) adeoque adstrictius reliquis Papae imperio subiiciantur: *q*) 2) ut propterea Archi-Episcopis potissimum necessitas, petendi pallium, imposita fuerit, quia simplices Episcopi iam Metropolitanis subiecti erant: (§. CCLXXIII. seq.) 3) ut *exemptis*, quo illi etiam omnia ex auctoritate Romanae sedis agerent, *vicariatus* talis conferendus fuerit: 4) ut *ex singulari privilegio descendat*, ubi non *exemptis* pallium conceditur: \* 5) ut cum pallii impositione *subiectio & fidelitatis promissio* iuncta fuerit: *r*) 6) ut *reuersales* de traditione facta exarari debeant, *s*)

\* Hi eatenus cuu legati Pontificis considerari solent. GIRONIVS *Lib. I. obs.* 7.

## §. CCCLI.

*m*) c. 2. D. 10. CORVINVS *de pers. & benef. eccl. L. I. tit. 10. nr.* 8.

*n*) ESPEN. *iur. eccl. L. I. tit. 19. c. 5. §. 13.*

*o*) Extrauag. vnic. *de auctorit. & usu pallii.*

*p*) BALSAMO *ad c. 12. Concil. Chalced.*

*q*) III. BOEHMER *ad Petr. de MARCA L. I. c. 7. Obs.* 3.

*r*) MARCA *cit. l. s. 6. sequ.*

*s*) Extrau. comm. 1. *de elect.*

## §. CCCLI.

Ex tertio (§. CCCXLVIII. 3.) denique <sup>Tertii.</sup> sequitur: 1) vt transiens de vna ecclesia in aliam *nouo Pallio* sit honorandus: t) 2) vt nec *extra prouinciam* deferri possit, nisi speciali gratia indultum: u) 3) vt tunc, vbi duobus Archi. Episcopatibus quis praeficitur, *duo etiam pallia* impetrare debeat, & 4) quilibet cum suo *pallio sepeliendus* sit: x) nec difficilis est ex his ratio, cur §) vsus ad *certos dies* restrictus sit; y) Pontifex vero vbique, dum missarum sollemnia celebrat, pallio vti possit. z)

## §. CCCLII.

Nulli inter Protestantes occurrunt Archi- <sup>Vfus doctrinae inter Protestantes.</sup> Episcopi, & si adhuc adessent, tamen ad pallium expetendum obstricti non forent. a)

## TIT. XXII.

## DE

## ERECTIONE EPISCOPATVVM.

## §. CCCLIII.

**A**lienius quodammodo videtur hic <sup>Connexio.</sup> titulus a materia iuris personarum; verum

t) c. 4. in fin. X. de *postulat.*

u) c. 1. & 5. X. de *auctorit. & usu pallii.*

x) c. 2. X. eod. c. 40. de *consecr. D. 1.*

y) CIRONIVS *paratitl. X. de auctorit. & usu pallii.*

z) c. 4. X. de *auctorit. & usu pallii.*

a) INTR. PAC. *art. V. §. 19.*

rum cum nec *iura Episcopalia* plene intelligi queant, nec *parochorum*, nisi ubi de origine ecclesiarum, parochiarum & dioecesum quaedam adspargantur: immo ipsa Episcoporum constitutio cum hac materia connexa sit; hanc materiam huc transferendam e re esse duxi.

## §. CCCLIV.

Origo coitionum christianarum.

Coitiones christianorum separatae publicorum sacrorum gratia non statim cum doctrina christiana ortae sunt, sed tunc demum inualuerunt, ubi etiam pagani Christo fidem dederunt, Iudaeique infideles illos, qui euangelio aures praebuerunt, amplius tolerare noluerunt. *b)*

## §. CCCLV.

Non statim producere parochias.

Licet vero postea *separatas congregationes* sacrorum causa instituerent, non tamen mox inde peculiaris respublica, seu ordo Imperantium & parentium conflatus fuit, quippe quod non vno impetu, sed per varias occasiones ingruentes, varioque tempore factum fuit. *c)*

## §. CCCLVI.

Quilibet Episcopus vnam ecclesiam rexit.

Singulis ecclesiis praerant Episcopi cum suis Presbyteris: (§. CLIX. & §. CCXXXII.) dioeceses vero, quatenus illae *districtum & colle-*

*b)* III. BOEHMER *iur. eccl. antiqu. diff.* 8. Quod ipsum pluribus in *Hist. eccl. Sec. I.* quae iam sub praelo sudat, peculiari capite, fusius demonstro,

*c)* BOEHMER *cit. l.*

*collectionem plurium ecclesiarum* notant, erant incognitae. Sicuti vero, quum eminentiores facti essent Episcopi, (§. CCLXIII. seq.) duo in vno loco esse nequibant; ita inconueniens videbatur, duas vel plures exstare in vna vrbe conciones, a se inuicem plane distinctas. d)

## §. CCCLVII.

Pace ecclesiae reddita, vel noua omnibus in locis exstruebantur templa, vel iam exstructa & paganis adempta in vsus Christianorum conuertebantur. (§. DCCLXXXV. \*) In maioribus ciuitatibus, *unum templum* fidelibus non sufficebat, *hinc plura* in vno loco erecta fuere. Inde *plures* in vna ciuitate *coetus* formabantur, & singulis templis portio gregis assignabatur. Omnes vero manebant sub cura Episcopi, ita tamen vt ille *maiori* praeesset: reliquis *minoribus* vero quosdam ex Presbyteris & Diaconis praeficeret, quod institutum ipsi Principes Christiani promouerunt. Inde orta distinctio inter ecclesias *cathedrales & parochiales*. e)

## §. CCCLVIII.

*Simili ratione ruri ecclesiae parochiales* ortae sunt, ex quo cauebatur, ne amplius in agris

P 2

Etruri

d) IENCKINVS THOMASIVS *de regim. eccl. trium primorum eccl. Christ. secul. c. 2.*

e) III. BOEHMER *iur. paroch. Sect. II. c. 2. & iur. eccl. antiqu. diff. 8. §. 21. sequ.* BINGHAM *orig. L. IX. c. 8.* Qui tamen antiquiorem iusto, parochiarum originem facit.

agris essent Episcopi, sed saltem Presbyteri. (§. CCCXXXIV. seq.) Illis itaque in locis, vbi nouae ecclesiae colligebantur, *Presbyteri* fuere constituti, sub cura & *inspectione* Episcopi ciuitatensis. Sic *proprium* exinde clericis *territorium* fuit datum, nouaque iura passim orta. f)

## §. CCCLIX

Inde natae  
prouinciae  
& dioeceses.

Tali subordinatione semel facta, iacta erat alea, ad *politiam* in ecclesia introducendam. Sicuti enim orbis Romanus in vrbes, prouincias & dioeceses diuisus erat; ita & politia ecclesiastica diuidi tandem coepit in *parochias*, *prouincias* & *dioeceses*. Erant enim ecclesiastici coetus foedere quodam inter se iuncti, & intimiorem *vnionem* tam per *litteras*, quam *nuntios* & *synodos* conseruabant. Arctior vero fuit *vnio* inter ecclesias in *vna* *prouincia* sitas. Hinc de causis maioribus, communes deliberationes sua sponte instituebant, id quod vero tractu temporis in necessitatem abiit. Plerumque prouinciarum ecclesiasticarum eadem ratio fuit, ac ciuilium. Confirmauit hoc institutum synodus Nicaena. g) Pari ratione plures prouinciae coaluere in dioecesin, & Patriarcharum natales ita promoti fuerunt, (§. CCLXIV. seq.) Nam cum in singulis prouinciis *plures* *Metropolitae* constituerentur, ex illis vero *vnus* in tota dioecesi *directionem* quan-

f) Ill. BOEHMER *iur. paroch. cit. l. §. 41. sequ.*  
g) CONCIL. NICAEN. c. 5, & 6.

quandam gereret, factum est, vt huic postea *Metropolitae* prouinciae subiecti fuerint, b)

§. CCCLX.

*Paroecia* itaque & *dioecesis* in prima origine eiusdem erant significatus, denotabantque *ecclesiam*, cui *Episcopus cum clero praesuit*. Quum vero plures ecclesiae vno Episcopo subiicerentur, (§. CCCLVII.) *παροικία* dicebatur *ecclesia parochialis* Episcopo subiecta: *dioecesis* vero ille districtus, in quo plures *parochiales ecclesiae*. i) Per excellentiam autem ille districtus *dioecesis* appellabatur, cui *multae prouinciae* addictae, & sub vnus regimine constitutae fuerunt. Abhinc & superiores & inferiores clerici *territoria* quaedam accipiebant, intra quorum fines se continerent, nec in alio quid tentarent. (§. CCCCLVIII, seq.)

Quid paroecia? Quid dioecesis?

§. CCCLXI.

Ex his itaque discimus: I. Ereptionem Episcopatum originarie *ex sola plantatione ecclesiarum* profluxisse: (§. CCCLVI.) II. Postea vt sedes Episcopalis vel Metropolitana diceretur, a synodalibus decretis dependisse. (§. CCLXV, seq.) k) III. Imperatores ipsos ecclesias ad episcopale & metropolitanum

Confectaria ex dictis deducta.

P 3 litanum

b) conf. L. 3. C. Theod. de fide cathol. ibique IAC. GODOFR. BINGHAM orig. Lib. IX.

i) BINGHAM cit. l. c. 2. & 8.

k) Cod. Afric. c. 98. MARCA de C.S. & I. Lib. II. c. 8.

litanum fastigium euexisse, (§. CCCLVII. add. §. CCLXXXII. \*) l)

§. CCCLXII.

Qua ratione  
erectio Epi-  
scopatuum  
ad Pontificis  
arbitrium  
delata?

Quum vero erectio Episcopatum olim ex sola plantatione ecclesiarum profueret, (§. CCCLXI. l.) multi autem Episcopi in propaganda doctrina euangelii segniores fierent, *Romanus Episcopus*, qui semper prae reliquis caput extulerat, hanc curam sibi quasi propriam fecit, & ut ad fidem christianam populos perduceret, omne studium adhibuit. Mox, ubi ad doctrinam christianam per suos missos quosdam perduxerat, ibi *sedes Episcopales* ordinavit. Abhinc in eo fuit, ut in hoc negotio Principibus nihil quam consentiendi facultatem relinqueret. m) Hinc a seculo IX. & X. in Episcopatum erectione *Pontificis auctoritas* potissimum desiderata fuit.

§. CCCLXIII.

Nec non  
vniones alia-  
que.

Sicuti vero *erectionem* sibi vindicauit; ita & *vniones, dismembrationes*, immo *translationes* sedium episcopaliu sua auctoritate fieri iussit. Quoad vniones vero & dismembrationes praeter sedis apostolicae auctoritatem requiritur: 1) ut fiant *consensu Episcoporum*, quorum dioeceses minuuntur: 2) *Metropolitanorum*, quibus suffraganei surripiuntur,

l) ZIEGLER de Episc. L. I. c. 4. §. 3<sup>o</sup>. sequ. MARCA cit. l. c. 4. M. A. DE DOMINIS de rep. eccl. L. VI. c. 5. §. 136. sequ.

m) MARCA cit. l. c. 8. §. I.



tur, 3) *Principis* & territorii domini, immo  
& 4) *cleri & populi.* (§. CMXXXVII. seq.)

## §. CCCLXIV.

Apud Protestantes *immediati* Episcopus. Vfus do-  
ctrinae in-  
ter Prote-  
stantes.  
tus non nisi ex sententia *imperii* mutari pos-  
sunt. *Mediati* in Ducatus sunt transmutati.  
Nomen quidem Episcoporum in quibus-  
dam regnis superest, (§. CCLV.) ubi prae-  
positi ecclesiarum sunt; verum horum po-  
testas dependet a Principe, nec talem distri-  
ctum regunt, qui ad dioecesin catholicorum  
Episcoporum accedat.

## TIT. XXIII.

## DE TRANSLATIONE.

## §. CCCLXV.

**V**idimus modos, quibus Episcopi eccle- Connexio.  
siae adglutinantur; nunc, qua ratione  
vinculum rursus dissolvatur, dispiciendum  
est. Contingit vero *translatione, renuntia-  
tione, depositione.*

## §. CCCLXVI.

Est translatio: *dissolutio legitima vinculi,* Quid trans-  
latio?  
*quo Episcopus cum priori ecclesia erat iunctus,*  
(§. CCXXXVIII.) & ad alteram ecclesiam  
*transitio.\* n)*

\* Olim inaudita. Ab officio nemo recedere  
poterat. Hinc *reordinationi* aequiparata fuit  
translatio. CIRONIVS *paratitl.* X. h. t.

n) c. 30. X. de elect. c. 2. X. de postulat.

## §. CCCLXVII.

**Axiomata.** Inde fluunt axiomata: I. Translatio regulariter est prohibita. II. Fieri debet auctoritate superioris. III. Dissoluit vinculum, quod cum priori ecclesia intercessit.

## §. CCCLXVIII.

**Qua ratione permiffa?** Ex primo reddes rationem: 1) cur referatur inter *odiosa*: o) 2) cur tamen permittatur ob *utilitatem* & *necessitatem*, p) nam salus ecclesiae suprema lex esse debet: (§. LV.) 3) cur *causae cognitionem* desideret.

## §. CCCLXIX.

**Cuius auctoritate fiat?** Ex secundo (§. CCCLXVII. 2.) sequitur: 1) vt *Episcoporum* translationes fiant auctoritate Papae, qui eiusmodi vinculum ligavit, (§. CCCXXV. & CCCXLII. \*) adeoque & solus soluere potest: q) 2) vt *inferiorum* clericorum translatio fiat *auctoritate Episcoporum*: 4) vt in Germania tunc Pontifex *vacanti Episcopatu* provideat: \* r) (§. CMVI. β) 4) vt translatio etiam *inuito* transferendo fieri possit, \*\* s) & 5) etiam ad *tempus*.

\* Episcoporum translationes hodie rariores sunt ob *pluralitatem Episcopatum*. (§. CMXXVII. seq.) Certe rariores sunt in Germania, maxime post reformationem, quia consultius visum

o) THOMASSINVS *de vet. & nou. eccl. discipl.* P. II. L. 2. c. 60. *sequ.*

p) c. 34. 35. 36. 37. & 42. C. 7. q. 1.

q) CIRONIVS *cit. loc.*

r) SCHILTER in *not. ad Conc. Nat. Germ.*

s) THOMASSINVS *cit. l. c. 64. nr. 8. sequ.*

sum Pontifici, vni plures Episcopatus committere. Inferiorum vero clericorum translationes frequentiores sunt.

\*\* Hoc ipsum dicitur translocatio. (§. CCCLXXI.)  
Inritu Episcoporum in Germania fieri nequit.

### §. CCCLXX.

Ex tertio denique (§. CCCLXVII. 3.) di- Effectus.  
fcimus: 1) transferendum accipere *litteras dimissorias*: 2) Pallium, si eo gauisus est, priori ecclesiae relinqui, & 3) si dignitas in illa, ad quam translatus est, tale etiam requirat, nouum a Pontifice transmitti solere: (§. CCCXLI. 1.) 1) 4) translatum sine *noua electione, postulatione, aut vocatione*, ecclesiam, a qua discessit, repetere non posse: u) 5) cessare etiam *annum gratiae* non vero *deseruitum*.

### §. CCCLXXI.

Quum vero translatio etiam *inuito* trans- Diuisio  
transla-  
tionis.  
ferendo fieri possit, (§. CCCLXIX. 4.) inde diuisio exsurgit inter *translationem* in specie sic dictam & inter *translocationem*. Illa contingit *volenti & in melius*, \* haec inuito & plerumque *in deterius*.

\* Olim vero non plane incognitae translationes de ecclesia maiore ad minorem. IO. ANDR. SCHMID. *diff. de translat. Episc. ab ecclesia maiori ad minorem*. Alias vbi ex minore ad maiorem fiunt, vt plurimum vel *ambitio* vel *auaritia* in causa est.

P 5

§. CCCLXXII.

1) c. 2 & 3. X. de *postulat.* c. 30. X. de *elect.*

u) c. 34. C. 7. qu. 1. c. 8. X. de *renunt.*

## §. CCCLXXII.

Axiomata,  
de translationibus inferiorum clericorum.

Quum autem Episcoporum translationes rariores hodie sint, frequentiores tamen inferiorum clericorum, (§. CCCLXIX. \*) etiam inter Protestantes; de illis tenenda axiomata: I, Et has translationes esse odiosas, nec temere suscipiendas: II. Fieri etiam invito transferendo, & III. Quandoque per modum permutationis.

## §. CCCLXXIII.

Quae circa talem translationem obseruanda.

Ex primo itaque intelligitur: 1) translationem legitimam haud esse, nisi *praegnans causa* illam suadeat: x) 2) de hac causa iudicare *consistorium*: y) immo 3) inter Protestantes ipsum etiam *Principem*, quippe a quo dimissio seu abdicatio muneris publici dependet: z) 4) quae de *vocatione diuina* plerumque adferuntur, in hypothesi maxime, non adeo liquida esse: 5) in impetranda *dimissione* circumspiciendum esse, vtrum minister membrum illius vniuersitatis fuerit, vbi ministrat, antequam ad ministerium promoveretur, nec ne? vbi modo *liberior*, modo *strictior* abeundi facultas adest: a) 6) non requiri consensum patroni, b) 7) bene vero consensum illius, qui transferendus est, nisi tales

x) BVDDEVS *theol. moral.* P. III. c. 3 §. 3.

y) FRITSCH *de resignat.* c. 7. n. 43.

z) L. B. de LYNCKER *resp.* 183. nr. 2.

a) L. B. de MVNCHAVSEN *diff. de iur. ministr. exig. a Principe dimissionem.*

b) CARPZOV, *iurispr. consist.* L. III. d. vlt.

tales cauffae adfint, quae quadantenus *coactionem* suadeant. c)

§. CCCLXXIV.

Quum vero etiam inuito transferendo translationes fieri soleant, (§. CCCLXXII. 2.) de illis notandum: 1) eas dici *translocationes* (§. CCCLXIX. \*\*) & fieri in *poenam*, ob commissum *excessum* vel *delictum*, ob quod minister suspendi vel deponi nequit: (P. II. §. CCCXVIII. d) 3) fieri de *maiori* in *minorem* ecclesiam: 3) ad tollenda vel minuenda *scandala*. \*

De translationibus.

\* Verum si incommoda ex eiusmodi translocationibus resultantia inspicimus, *magis odiosae* esse deberent, ac ipsae *translationes*, puta si ob *malos mores* pastoris in *poenam* suscipiuntur. Tunc demum tolerandae forent, si ad tollendum *scandalum* decretae, scilicet ubi minister per *imprudentiam* (§. XCIII. 3.) fines elenchi excessit, aut discordiae inter translocandum & collegas vel auditores ortae. v. I. S. TRYCK *de transloc. ministr. eccl.* TITIVS *Probe des geistl. Rechts* Lib. II. c. 4. §. 49. L. III. c. §. 16.

§. CCCLXXV.

Quum denique translationes etiam per modum permutationis fiant, (§. CCCLXXII. 3.) consequens est: 1) ut tunc *duplex translatio, collatio & institutio* occurrat, adeoque 2) requiri auctoritatem eius, penes quem est ius *conferendi & instituendi*: e) 3) ut proinde etiam *Patroni* consensus hic necessarius fit:

De translationibus per permutationem.

c) ZIEGLER *de clerico renitente*.

d) CARPZOV *cit. l. def. 118 & 124*.

e) CORVINVS *instituti. iur. can. L. I. tit. 13. §. 3.*

fit: f) 4) vt accedere debeat *auctoritas superioris*, scilicet Episcopi, qui tamen, vbi consensum detrectat, ab illo, qui eo superior est, *cogi potest*: g) 5) vt tamen haec coactio intuitu *Statuum Imperii* inter *Protestantes* cesset. 6) Notandum, permutationes potissimum in *canonicatibus* occurrere. b) Corollarii tandem loco obseruandum, 7) *aliarum rerum ecclesiasticarum permutationem* licitam esse, sed eatenus saltem, quatenus id *clero salutare* est. i)

## TIT. XXIV.

## DE RENUNTIATIONE.

## §. CCCLXXVI.

Connexio. **I**N omni translatione & permutatione, *renuntiatio* quaedam occurrit; sed quum non omnis renuntiatio beneficii translationem aut permutationem inferat, cum illa *totalem officii derelictionem* inuoluat: de hac nunc agendum erit.

## §. CCCLXXVII.

Quid renuntiatio? Est renuntiatio: *muneris sacri spontanea, ex certis causis & cum auctoritate superioris facta abdicatio.*

## §. CCCLXXVIII.

Quotuplex? Est autem vel *simplex*, vel *qualificata*. Illa fit intuitu *officii sacri*, vel *beneficii*, quod quis tenuit:

f) CORVINVS *cit. l. §. 4.*

g) c. 17 X. *de iur. patronat.*

b) CONF. DVAREN. *de sacris eccl. minist. L. VIII. c. 3.*

i) CORVINVS *cit. l. §. 7. seq.*

tenuit: Haec etiam quoad *ordinem* contingit.

### §. CCCLXXIX.

De vtraque tenenda axiomata: I. Renun. Axiomata.  
tiationes regulariter sunt prohibitae, & II. si  
permittendae, praesupponunt iustam causam.  
III. Fieri debent consensu superioris,  
IV. Libera voluntate, V. Pure: VI. Soluunt  
vinculum, quod inter resignantem & ecclesiam  
intercessit.

### §. CCCLXXX.

Quum itaque renuntiationes sint prohibi. Cur regula-  
bitae (§. CCCLXXIX. 1.) inde intulerunt ve. riter pro-  
teres: 1) *deserere titulum* beneficii esse sum- hibitae.  
mum *piaculum*, eumque, qui renuntiavit, vt  
ad illud redeat, cogendum esse: k) 2) quod  
cum hic *quasi coniugale vinculum* occurreret,  
illud vnus partis dissensu dissolui nequeat: l)  
3) Mancipatum semel ecclesiae in ordine  
manere oportere, m) adeoque 4) *qualificatam*  
renuntiationem, (§. CCCLXXVIII.) vt apo-  
stasiam, prohibitam esse, n) (§. CXCVII.)

### §. CCCLXXXI.

Quum vero ex *iusta causa* permittatur, Ob quas  
(§. CCCLXXIX. 2.) sequitur, vt *fonticae* sal- causas per-  
tem causae admittendae sint, quorsum refe- missae ?  
runt: 1) *instans vitae periculum*: 2) *debilita-*  
*tem*

k) c. 19. & 23. C. 7. q. 1.

l) c. 21. *de elect.*

m) c. 1. C. 21. q. 1. c. 2. D. 70.

n) c. 1. & 3. X. *de apostatis.*

*tem corporis & senium: o) 3) conscientiam criminis occulti, quod officii exsequutionem impedit: p) 4) defectum scientiae: q) 5) malitiam plebis: r) 6) scandalum graue: s) 7) irregularitatem (§. CLXXV. seq.) t) aliasque magni momenti causas: \* 8) illicitam esse renuntiationem, vt pinguius beneficium consequatur. u)*

\* Etiam Protestantes in ea sunt sententia, renuntiationem sine iusta causa non valere, nec tamen omnes ex enarratis admittunt. Sic tertiam vel propterea repudiant, quia delicta nullam confessionem, sed seriam saltem poenitentiam desiderant. FRITSCH *de resignat.* c. 7. nr. 23. Quartam plane exfulare putant, quum nemo sine sollerti examine (§. CXC.) admitteretur. Quintam tunc demum admittere volunt, si tota ecclesia abalienata est. Ob sextam translocationem (§. CCCLXXIV. 3.) decernendam putant. Quoad septimam, cum alia quoad nostram ecclesiam principia recepta sint, raro irregularitatis quaestio incidit. (§. CXCII.) Putarem: *licite apud nos fieri renuntiationem*, etiam citra causam, licet interne in conscientia peccari possit. THOMASIVS *de desert. ordin. eccl.* s. 26.

### §. CCCLXXXII.

Cuius consensu.

Quumque fieri debeat *consensu superioris*, (§. CCCLXXIX. 3.) sequitur: 1) vt facienda sit

o) c. 10. X. *de renunt.* c. 18. C. 7. q. 1.

p) c. 10. X. *de renunt.* c. 7. C. 2. q. 3.

q) c. 1. *seq.* D. 38.

r) c. 10. X. h. t.

s) c. 10. *ibid.*

t) c. 10. *ibid.* c. 7. *de elect.* c. 59. D. 50.

u) LEVRENIUS *foro benefic.* P. II. q. 416. nr. 3.



fit in manus eius, ad quem spectat *conferendi, confirmandi & instituendi* potestas: x) hinc 2) Episcoporum renuntiatio facienda in manus *Pontificis*: \*) qui tunc ecclesiae vacanti pro-  
 uideret (§. CMVI. d.) 3) ut *caussa in scriptis* sit re-  
 citanda, quo superior super illius admissione  
 praeuia causae cognitione statuere possit: y)  
 4) ut neglecta, auctoritate superioris facta, sit  
 nullius momenti: z) 5) ut *Pontifex* liberere-  
 nuntiare possit: a) 6) ut in *manus laici* fieri  
 nequeat. b)

\* Etiam inter Protestantes renuntiationem ci-  
 tra superioris consensum fieri non posse, pleri-  
 que contendunt. Putarem tamen, ministrum  
 cogendum haud esse, ut inuitus in officio re-  
 maneat, adeoque desideria sua non comiter  
 exponentem peccare contra regulas decori.  
 THOMASIVS *cit. l. §. 27. sequ.*

### §. CCCLXXXIII.

Quum deinde fieri debeat *libera voluntate*. Fieri debet  
*libere.*  
 re, (§. CCCLXXIX. 4.) consequens est, 1)  
 nullius momenti esse *coactam*, c) adeoque 2)  
 hunc, qui coactus renuntiauit, restituendum  
 esse: 3) ut tamen haec saltem de *iniqua coa-*  
*ctatione* intelligi debeant, non de illa, quae ab  
 eo extorta, qui iure cogendi gaudet.

### §. CCCLXXXIV.

x) c. 8. X. *de renuntiat.* c. 2. C. 18. q. 2. c. 19. C. 7.  
 q. 1. CIRONIVS *Paratitl. X. de renunt.*

y) CIRONIVS *cit. l.*

z) CORVINVS *de pers. & benef. eccl. L. I. tit. 13. nr. 5.*

a) c. 1. *de renunt. in 6.* ZIEGLER *de Episc. L. II.*  
 c. 13. §. 13. sequ.

b) c. 8. X. *de renunt.* c. 19. C. 7. q. 1.

c) c. 5. X. *de renuntiat.* c. 2. & 4. X. *de his, qui vi-*  
*met. caus.*

## §. CCCLXXXIV.

Pare.

Quum porro *pure* facienda, (§. CCC LXXIX. 5.) sequitur: 1) ut non valeat sub *conditione*, nec 2) in *fauorem* aut commodum alicuius, nec 3) *reseruata pensione*, aut 4) *saluo regressu*. d) Verum haec saltem capienda sunt de renuntiatione & resignatione facta in *manus inferioris* & ordinarii collatoris. Validas vero esse conditionatas renuntiationes, 5) ubi in *manus Pontificis* fiunt, e) unde frequentissimae sunt renuntiationes & resignationes sub *conditione*, maxime quoad *canonicatus* inter Protestantes, adeoque notandum, a) faciendas esse eas auctoritate *Papali*, (§. CM.) & inter Protestantes *auctoritate Principis*, (§. CCLXXXVII. 4.) adeoque ex tunc demum ius *quaesitum* habere, ubi *resignatio* admittitur; f) β) ut in *parochialibus* ecclesiis accedere debeat *consensus Patroni*, γ) necesse esse, ut in *canonicatum* resignatione resignans adhuc XX. dies *uiuat*; δ) ut *resignatarius* quidem transeat in *ius* resignantis, g) ast ubi resignans in *collegio canonicorum* vixerit, *ultimum saltem locum* inter *Praebendatos* consequatur; h) ε) ut haec *resignatio* regulariter in *mense Papali* fieri debeat, nisi

d) c. 12. X. de officio iudicis delegati. THOMASSINVS de vet & nou. eccl. discipl. P. II. L. 2. c. 51. §. 5.

e) CORVINVS cit. l. nr. 14.

f) L. B. de LYNCKER resp. 34.

g) LEVRENIUS for. benefic. P. III. q. 293.

h) BARBOSA de can. c. 18. n. 16.

nisi electus capitularium resignet, vbi resignatio in *mense* vel *turno capitulari* facienda sit; i) §) vt proinde validae sint renuntiationes sub *pensionis reservatione* etiam inter Protestantes. k)

## §. CCCLXXXV.

Quum tandem *solvat vinculum*, quod inter resignantem & ecclesiam intercessit; (§. CCCLXXIX. 6.) consequitur: 1) vt renuntiatione facta Praelatus & omnis alius, *iure* ex postulatione, electione, translatione, collatione, institutione sibi competente & quaesito, sic *priuatur*: l) 2) vt proinde poenitentiae locus amplius non sit, sed ad cedendum compelli possit: m) 3) vt tamen, quamdiu *superioris auctoritas* nondum accessit, res adhuc integra, & *poenitentiae locus* sit: n) 4) vt renuntians ad idem beneficium *reverti* nequeat, (sed conf. §. CM. 4.) sine *novo titulo & noua collatione*: o) 5) vt tunc, vbi reuertitur, in collegio vltimum locum occupet: p) 6) vt proinde nec inter Protestantes *renouatio vocationis resignatae* fingi possit: q) 7) vt tunc demum regressus in mundo sit, vbi quis *iniuste officio* fuit *priuatus*,

Effectus renuntiationis.

Q

vel

i) MVRGA *de benefic.* qu. 3. nr. 356.

k) ESPEN. *iur. eccl.* L. II. tit. 28. c. I. CARPZOV *iurispr.* *Consist.* L. I. d. 153.

l) Clement. vnic. *de renuntiat.*

m) c. 12. X. *de renunt.*

n) c. 14. X. *eod.*

o) c. 2. & 3. X. *eod.* *ibique* GONZALEZ.

p) BARBOSA *cit.* l.

q) Ill. BOEHMER *diff. de renon. vocat. resign.*

vel ex *caussa temporaria* renuntiatio facta fuerit. r) His enim casibus, quia ex *caussa iustitiae* restitutio facienda est, merito omnia iura pristina recuperat. s)

## §. CCCLXXXVI.

De renun-  
tiatione ordinis  
remissio.

Ab hac beneficiorum renuntiatione differt *renuntiatio oraminis*. Quum vero hanc ad *apostasiam* referant, (§. CCCLXXX. 4.) & hic peculiare opinionem Protestantem foueant, alibi (P. II. §. CCCXV. seq.) rem omnem tractabo.

## TIT. XXV.

## DE DEPOSITIONE ET DEGRADATIONE.

## §. CCCLXXXVII.

Connexio  
& remissio.

Quum vinculum cum ecclesia etiam *depositione* soluatur, (§. CCCLXV.) paucis hic obseruo, eam vel in *verbalem* vel *realem* diuidi: Illam auferre saltem officium saluo ordine clericali, dicitur *depositionem* vel *remotionem*; hanc nomen *degradationis* gerere, & auferre *characterem* clericalem, *degradatumque* detrudere in *sortem laicorum*. Ab utraque separandam esse simplicem *dimissionem*. De omnibus vero alibi (P. II. §. CCCLXXXI. seq.) edisseram. ss)

## TIT.

r) CORVINVS *institut. iur. can.* L. I. tit. II. §. 7.

s) ENGEL *ad tit. X. de concess. praebend.*

ss) Legi interim potest FRANC. SCHMIER *de modis acquir. & amitt. Praelatur.* vbi quae canonici iuris Doctores de Electione postulat. translat. renuntiat. deposit. & sic porro tractant, studiose sunt collecta.

## TIT. XXVI.

## DE SEDE VACANTE ET IMPEDITA.

## §. CCCLXXXVIII.

**V**idimus regimen ecclesiae, vbi *ordina-* Connexio.  
*rius* adest Rector: vbi ille deficit, penes  
 quem sit potestas, circumspiciendum. *Plu-* Penes quem  
 res fuere clerici in vna ecclesia, quibus *prae-* cura maio-  
 fuit Episcopus. (§. CCXLII. & CCCLVI. sq.) ris ecclesiae  
 Sicuti itaque Episcopus, dum viueret, cum vacantis.  
 suo clero ecclesiam regebat; *t)* ita Episcopo  
 mortuo, vel alia ratione sublato, clerici, se-  
 natum ecclesiasticum constituentes, (§.  
 CCXXXII.) ecclesiae praefuerunt. Ex quo  
 vero prouinciae ecclesiasticae inualuerunt,  
 (§. CCCLIX.) etiam Metropolitanam curam  
 ecclesiae vacantis gesserunt. (§. CCLXXVI. s)  
 Immo & Principes suam hic rem agi arbitra-  
 ti sunt: *u)* Simulac autem electiones ad cle-  
 rum cathedralis ecclesiae solitarie peruene-  
 runt, (§. CCXCIII.\*\*) etiam cura ecclesiae  
 vacantis ad *capitulum* deuoluta fuit. *x)*

## §. CCCLXXXIX.

Est vero capitulum: *Collegium canonicorum* Quid capi-  
*cathedralis aut collegiatae ecclesiae*, quae rulum?  
 nomina ex institutis monasticis fuere desum-  
 ta. (§. CCCCLXXI.) Vacans sedes est: *Vbi* Quid va-  
 Q 2 *Epi-* cans sedes?

t) c. 5. D. 95. THOMASSINVS P. I. L. 3. c. 7. §. 2. sequ.

u) ZIEGLER *de Episcopis* L. II. c. 2.

x) III. BOEHMER *iur. eccl. Prozeß* L. III. tit. 9. §. 17.

*Episcopus vel Praelatus mortuus, aut alia ratione sublatus est, (§. CCCLXV.) durans per illud tempus, intra quod novus Praelatus constitui debet.*

## §. CCCXC.

Axiomata.

Hinc notanda axiomata : I. Capitulum sede vacante succedit in locum & statum Episcopi, quoad omnia speciatim non excepta y) II. Exercet iurisdictionem episcopalem \* cum omnibus accessoriis, quatenus haec iura in capitulum transire possunt, nec deminutionem aut innouationem iurium episcopaliū inferunt. z)

\* In latiori sensu hic iurisdictionis voce vtor, quatenus illa etiam imperium sacrum comprehendit. (§. CCXLIV. \*\*)

## §. CCCXCI.

Quatenus capitulum Praelatum repraesentet?

Quum itaque sede vacante capitulum succedat in locum & statum Episcopi; (§. CCCXC. i.) consequens est : 1) vt iura Episcopalia *proprio nomine* exercent, quia ex legis prouisione, non ex alterius mandato id ipsum descendit : 2) vt in Germanico imperio cathedralis & immediatae ecclesiae capitulum, immediatum & *Status Imperii* fiat : a) 3) Vt tamen *iura* singularia, Episcopis & Praelatis qua talibus *propria*, (§. CCCXCII. i.) sibi vindicare nequeat : b) 4) Vt etiam *mediata*

y) LEVRENIUS *de vicario Episcopi* tr. III. c. i. qu. 447.

NIC ZALOSZOWSKI, *de iure capit.* Part. I. & II.

z) CONF. CIRONIUS *paratitl.* X. *ne sede vacante.*

a) FRIDERVS *de Process.* L. I. c. 19. §. 7.

b) LEVRENIUS *cit. l. qu.* 459. & 462.

*diata capitula Praelatum in sedis vacantia repraesentent.* (§. CCCCI.)

## §. CCCXCII.

Quum deinde capitulum etiam iurisdictionem episcopalem suo modo exercent, <sup>Quid facere nequeat.</sup> (§. CCCXC. 2.) iura vero singularia sibi non vindicet; (§. CCCXCI. 3.) inde inferimus: 1) ut, quae ex *delegatione Pontificis* (§. CCCCLI.) ad personam restricta sunt, aut ex *consecratione* (§. CCCXL. 2.) dependent, aut aliam *qualificatam* personam desiderant, capitulo competere nequeant: 2) ut *iura* Episcopalia *imminuere & mutare* non possit: c) proinde 3) illi integrum haud sit, mutare *exemptiones*, aut 4) *bona alienare*, d) aut 5) *transigere*, e) aut 6) *ecclesias & beneficia unire*, f) aut 7) *beneficia* Episcopi collationi reservata *conferre*, quacunque ratione id fiat. g)

## §. CCCXCIII.

E contrario vero exinde elicimus: 8) posse capitulum *dismembrationem* vnitorum beneficiorum suscipere: 9) conferre beneficia ad *capituli collationem* spectantia, & eatenus etiam *resignationes & permutationes* admittere: 10) id ipsum ei integrum esse, si ius conferendi aequaliter penes Praelatum & capitulum residet: b) 11) competere ei *institutio-*

Q 3

tio-

c) c. 1. X. *ne sede vacante.*d) LEVRENIUS *cit. l. qu. 493.*e) c. *fin* X *ne sede vac.*f) c. 1. X. *cod.*g) c. 2. X. *cod* conf. ZALOSZOWSKI *cit. l. Part. III. seq.*b) c. 1. *ne sede vac. in 6.*

*tionem i*) (§. DCCCLXXXVIII. 1.) 12) *Officialis & Vicarii* (§. CCCCXXXIX. seq.) *generalis k*) & 13) *oeconomi* constitutionem. *kk*)  
§. CCCXCIV.

Alia competunt sede impedita.

Haec vero capienda sunt de *ordinaria vacante*, quae se saltem ad tres menses extendit, (§. CCCVI. 10.) non de *extraordinaria*, seu *sede impedita*, vbi ob praefecturae diuturnitatem maior omnino capitulo potestas tribuenda est.

§. CCCXCV.

Quid sedes impedita?

Est autem sedes impedita: *Vbi legitimum & iustum impedimentum, quo minus intra tres menses Episcopus & Praelatus eligi vel postulari possit, remoras iniicit, ita vt propter cessantem negligentiam, ipsa negligentiae poena in iure deuolutionis (§. CCCVII. seq.) consistens exsulet, & interim penes capitulum regimen ecclesiae maneat. l*)

§. CCCXCVI.

Quotuplex impeditamentum?

Impedimentum autem vel *personas eligentium* concernit, puta, si prohibiti, citra culpam excommunicati aut suspensi: vel *personam eligendam*, puta, si viuo iam Episcopo coadiutor cum spe succedendi datus, cui nunc quaestio a superiore aut alio mouetur. Neutro casu ad electionem aut postulationem

i) c. 1. de concess. praeb. in 6.

k) Concil. Tridentin. S. XXIV. c. 16. ZALOSZOWSKI cit. l. Part. IV.

kk) Alios plures casus exhibet ZALOSZOWSKI cit. l. Part. II.

l) c. 41. X. de elect. c. 3. de supplenda negligent. in 6.



nem procedere potest capitulum, nisi *impedimento cessante*. Inde diuisio exurgit inter *sedem impeditam secundum quid*, & *in totum talcm*.

### §. CCCXCVII.

Hinc fluunt axiomata: I. Sede impedita Axiomata. *in totum*, capitulo non solum iura sedis vacantis competunt, sed & plura alia maiora. II. Sede, *secundum quid*, impedita, capitulum regulariter administratorio tantum iure gaudet.

### §. CCCXCVIII.

Ex primo axioma discimus: 1) omnia Exercet iura ordinis. ea competere capitulo, quae sede vacante exercere potest: (§. CCCXCI. & CCCXCIII.) 2) exercere illud etiam quaedam, quae ex iure *ordinis* episcopalis (§. CCXLVI.) derivari solent, puta, *a) potestatem clauium*,\* adeoque absolutionem impertiri in casibus Episcopo reseruatis; *m) β) confessarios* adprobare & reuocare licentias confessariorum; (§. CCXXXVI.\*\*\* §. DCLVI. \*\* & §. DCCCXVI.) *ε) γ) conferre beneficia, n) & δ) exercere ius deuolutionis; o) ε) expedire per vicinos Episcopos confirmationes baptizatorum, ordinationes clericorum, consecrationes templorum; ζ) confirmare praesentatos a patrono & ipsos electos a capitulo. p)*

Q 4

\* In-

m) PANORMITANVS ad c. 14. X. de maior. & obed.

n) GONZALEZ ad c. 2. X. ne sede vacante.

o) ENGEL ad tit. X. ne sed. vac. nr. 5.

p) VALENSIS de sede vac. nr. 7.

\* Interdum accipitur haec potestas in sensu latiori, & tunc etiam ea iura complectitur, quae ex iurisdictione fluunt. Sane si de maiori excommunicatione clares intelligis, ad iurisdictionem referri debent, (§ CCXLVII.2.) si de minori excommunicatione, cum quilibet Presbyter eam infligere possit, (§ CCXLVI.2.) ad iura ordinis pertinent. (P. II. §. CCCLIX. seq.) Vtramque excommunicationem infligit capitulum.

## §. CCCXCIX.

Iurisdictionis.

Legis dioeclesanae.

Et dignitatis.

Nec 3) ea, quae ad *iurisdictionem* (§. CCXLVII.) referuntur, capitulo deneganda sunt, quippe quae in ipsa sedis vacantia illi competunt; (§. CCCXCIII.) Sede vero impedita & hic *maiori potestate* pollet: Sic 4) quae ex *lege dioeclesana* fluunt, (§. CCXLVIII.) pari ratione vindicari capitulo debent: denique 5) ex iuribus *dignitatis* (§. CCXLIX.) ea, quae *realem* dignitatem sapiunt, cum omnibus priuilegiis, quatenus in *moralem personam* cadere possunt, capitulo tribuenda sunt, maxime cum etiam sede vacante quaedam ex his iuribus exercere soleat. (§. CCC LXXXII.2.)

## §. CCCC.

Quae aliter se habent in sede impedita secundum quid.

Ex secundo axioma (§. CCCXCVII.2.) infero: 1) capitulum eligendo Episcopum se iure suo, administrasti ecclesiam *proprio nomine*, abdicasse, adeoque, 2) si electus non statim Praelaturam occupare potest, saltem *vices* Episcopi gerere: 3) id ipsum etiam obtinere, si alia ratione *Praelatus absens* aut *captiuus* est: 4) haec tamen trahenda haud esse ad

ad casum, vbi *coadiutoris*, cum spe succedendi dati, *successio* impeditur, quia tunc cum *sede impedita* etiam *vera sedis vacantia* adesse videtur. q)

## §. CCCCI.

Haec pertinent ad iura capituli *catbedralis ecclesiae*. Dantur tamen & *mediata capitula*: I. in *collegiatis ecclesiis* & II. in *Episcopatibus secularisatis*. Priora sede vacante & impedita quidem subsunt capitulo supremo, quia etiam Episcopo, vbi adest, parent. Quum vero etiam per *Decanum* aut *Praepositum* regantur, mortuo eo, aut alia ratione sublato, omnia, quae tali Praelato compete-  
Iura capituli ecclesiae collegiatae.  
 bant, ad *capitulum* redeunt, & hinc intuitu horum collegiorum eadem fere obtinent, quae capitula superiora sibi vindicant. (§. CCCXCI. 4.)

## §. CCCCII.

Posteriora (§. CCCCI. 2.) plerumque sub *domino territorio* sunt, & Statuum prouincialium loco habentur. Interim tamen quatenus per *Praepositum* quendam, aut *Decanum* reguntur, non possunt non *iura* eius, eo mortuo, *capitulo* accrescere. Quandoque talia capitula *immediatatem* sibi vindicant, quibus tamen ab illis, in quorum territoriis sita sunt, quaestio moueri solet, quae res ad iuris publici doctrinam spectat. r)

Et ecclesiarum in Episcopatibus secularisatis.

Q 5

TIT.

q) III. BOEHMER diff. de iur. capit. sed. impedit.

r) III. BOEHMER iur. eccl. Prot. L. III. tit. 9. §. 41 seq.

## TIT XXVII.

DE

## EPISCOPIS NOMINE TALIBVS.

§. CCCCH.

Connexio.

**Q**uoniam Episcopi sint, qui clero & populo praesunt, (§. CCXLIII.) recte inde verteres intulerunt, sine *paroecia* aut *officio* ecclesiastico neminem esse ordinandum: (§. CCXIV.) s) adeoque tales Episcopi olim plane incogniti fuerunt.\* Postquam vero inualuerunt, plerumque facti sunt *vicarii* reliquorum Episcoporum, in illis, quae ad *inura ordinis* referuntur.

\* Putat quidem acutissimus DARTIS *de statu ecclesiae temp. Apost. c. 13.* Apostolos fuisse Episcopos nomine tales sine Episcopatu, & exinde morem dimanasse, constituendi eiusmodi Episcopos titulares. Verum sicuti hoc propterea saltem effinxit, ut Apostolos in classem Episcoporum detruderet; ita scimus, apostolica aetate incognitos plane fuisse tales Episcopos, & serius multo inualuisse. Quoniam enim iniuria temporum, & incurfione barbarorum quidam Episcopi sedibus suis eiicerentur, illi non illico suos amittere Episcopatus, sed in vicinis urbibus perstiterunt. Mandabant in suo statu, nec desinebant esse Episcopi. c. 4. & 5. D. 95. Dicebantur *vacantes* in concilio Antiocheno 341. congregato, c. 16. & saepius aliis ecclesiis ad tempus praeficiebantur. c. 42. C. 7. *qu. 1. conf.* BEVEREGIVS *ad synod. magn. pag. 65. sequ. Sec. VIII.* quidam ad conuersionem gentium emissi, non *stabiles* erant Episcopi, sed *aduentitii* & *conducti*.

---

s) CIRONIVS paratitl. ad tit. X. *de translata.*

*ductitii*, interim tamen episcopali munere fungebantur. CIRONIVS *Obs.* L. I. c. 13. Occupata vero terra sancta potissimum inuauerunt, vbi Pontifex, vt imperium in orientales ecclesias extenderet, Latinos Patriarchas, Archi-Episcopos & Episcopos constituit, & licet haec regna rursus amissa fuerint, Episcopi tamen hos titulos retinuerunt, vt vel sic in illas ecclesias pontificiae auctoritatis superesset memoria, & ostenderetur, intentionem rescuscitandi hos Episcopatus, occasione ira ferente, depositam haud esse. Vtrum retinendi forent, nec ne? in concilio Tridentino acriter fuit disputatum, SARPIVS *hist. concil. Trid.* L. VIII. pag. 1233. *sequ. edit. Lips.* Sed demum conclusum, eos veros esse Episcopos, ecclesiae necessarios & retinendos. PALLAVICINVS *hist. concil. Tridentini Lib. XXI.* c. 8. nr. 2. Immo Apostolis illos compararunt, quos pariter in partibus infidelium Episcopos fuisse putabant. IDEM *cit. l. c. 6. nr. 12.*

### §. CCCCIV.

Sunt itaque Episcopi nomine tales: *Qui a Pontifice constituuntur, & ne plane sine dioecesi essent, illis in terris ab infidelibus detentis, Episcopatus adsignatur: vt tamen haberent, quo vitam & decus episcopale sustentare possent, vel pensiones vel beneficia simplicia vel alia curata, immo & Episcopatus accipiunt: Plerumque autem ordinario Episcopo se addicunt, & vices illius in illis, quae ad ordinem spectant, gerunt.* Qui Episcopi nomine tales?

### §. CCCCV.

De his tenenda axiomata: I. Episcopi titulares veri sunt Episcopi. II. Constituuntur Axiomata.  
imme-

immediate a summo Pontifice. III. Supplent munus aliorum Episcoporum.

§. CCCCVI.

Quatenus  
veri sint  
Episcopi?

Ex primo discimus: 1) id ipsum saltem obtinere, quantum ad *dignitatem* episcopalem, & iura *ordinis*: licet 2) cum ecclesia in partibus infidelium existente verum contrahant matrimonium, 3) adeoque 3) ad alios Episcopatus eligi nequeant, sed *postulari* debeant.

§. CCCCVII.

Ex quo  
tempore, &  
quali effe-  
ctu?

Ex secundo (§. CCCC.V. 2.) constat: 1) nulla indigere *confirmatione*, (§. CCCXXV.) sed mox, ac constituti sunt, Episcopis confirmatis æquiparari: 2) ipsam *nominationem* perfectum & ratificatum facere matrimonium, licet, vbi consecratio deficit, nondum consummatum sit. (§. CCCXXXVII.) *u*) 3) Proinde & eos non aliter, quam in manus superioris renunciare posse. (§. CCC LXXXII.)

§. CCCCVIII.

Quatenus  
sint aliorum  
vicarii?

Ex tertio denique (§. CCCC.V. 3.) intelligimus: 1) vt quidem suppleant Episcoporum impotentium, absentium & eorum munus, qui maioribus implicantur negotiis: 2) vt tamen iura ordinis sine consensu loci *Ordinarii* exercere nequeant, *x*) quum omnia iura episcopalia ad dioecesim sint adstricta:

t) GONZALEZ ad c. 2. X. de transl. Episc. LEVRENIUS for. benef. P. II. qu. 221. nr. 2.

u) LEVRENIUS cit. l.

x) Concil. Trid. Sess. XIV. de reform. c. 2.

stricta: (§. CCXLVIII. 4.) 3) vt propter hunc vicariatum *suffraganei* adpellentur.\*

\* Vulgo adpellantur *Wenhs-Bischöffe*, quia praeter *consecrationem* episcopalem nihil tenent. Ipsi Pontificii illos per iocum *portatiles, conductitios, aduentitios, fictitios, commentitios* dicunt.

## TIT. XXVIII.

### DE COADIUTORIBVS.

#### §. CCCCIX.

**S**icut titulares Episcopi munus aliorum Episcoporum suppleant, (§. CCCCVIII. 1.) ita de *coadiutoribus* Episcoporum in specie nunc agi debet, quum & hi *vicarii* olim fuerint Episcoporum infirmorum, debilitatorum, senio confectorum, licet hodie idem fere constituentur, vt statim *successor* sublato Episcopo adsit.\*

Connexio.

\* Olim nec in casu infirmitatis Episcopi, coadiutore opus erat, cum, Episcopo impedito aut mortuo, Presbyteri ecclesiam regerent; (§. CCXXXII.) hinc demum Sec. III. *prima coadiutoria* occurrit, anno circiter 212. in ecclesia Hierosolymitana. EVSEBIUS hist. eccl. L. VI. c. 11. LARROQVANVS aduers. sacr. L. I. pag. 55. sequ. Abhinc constituebantur 1) ob casum *necessitatis*, non vero 2) primario *successionis* gratia: 3) cum ad sensu & auctoritate eorum, qui ad electionem concurrebant. (§. CCXCIII.\*\*) MARCA de C. S. & I. L. VI. c. 8. §. 11. ZIEGLER de Episc. L. I. c. 15. §. 7. & 14. 4) potissimum ex desiderio illius, qui *adiutore* indigebat: 5) nulla *dispensatione* Pontificis Romani interueniente. Illam enim demum

demuniura decretalium inuexerunt. MAR-  
CA *cit. l. c. 9. §. 2.* Ex eo tempore datio coad-  
iutorum sub Praetextu, quod caussa *maior &*  
*ardua* sit, inter *reseruata* Pontificis relata  
fuit.

## §. CCCCX.

Qui proprie  
coadiutor?

Coadiutor itaque in genere est: *qui cle-  
rico impedito, aegroto, senio confecto datur ad  
vices illius gerendas.* y) Tales antiqui cano-  
nes admiserunt, eos vero reprobarunt, qui  
tantum *successionis* caussa constituerentur.

## §. CCCCXI.

Qui hodie  
in maiori-  
bus & electi-  
uis benefi-  
ciis?

Hodie vero in electiuis & maioribus be-  
neficiis nouiter effigiata coadiutoria obti-  
net, adeoque coadiutor est: *Futurus succes-  
sor, uiuente adhuc Praelato, ideo constitutus, vt  
eo mortuo statim succedat.* Illa (§. CCCCX.)  
potest dici *regularis*, haec vero *irregularis*.

## §. CCCCXII.

Axiomata.

De irregulari haec tenenda axiomata:  
I. Coadiutoriae frequentantur ad impedi-  
dam sedis vacantiam: II. Coadiutores tales  
modo legali & cum consensu superioris sunt  
constituendi.

## §. CCCCXIII.

Constituun-  
tur saltem  
ad succes-  
sionem.

Ex primo sequitur: 1) vt talis coadiutor  
non constituatur ad aliquod leuamen Prae-  
lati, sed 2) quoad *successionem*: 3) vt proin-  
de etiam *inuito* Praelato dari possit: 2) 4) vt  
rite constitutus *statim* Praelato mortuo *suc-  
cedat*

y) CIRONIVS in *paratitl.* ad tit. X. de cleric. aegrot.  
z) LEVENIVS de *vicario Episc.* qu. 363. nr. 2.



*cedat sine noua electione, a) nisi per accidens successio impediatur: (§. CCCXCVI.) 5) ut talis coadiutor verus sit beneficiarius, b) licet uiuo Praelato se negotiis intromittere non possit: 6) ut ideo in coadiutorem & talis postulari possit, qui iam Praelaturam tenet, & qui ipse defectum aetatis aut virium patitur.*

## §. CCCCXIV.

Ex secundo intelligimus: 1) coadiutorem talem ab illis eligendum aut postulandum esse, ad quos electio aut postulatio iure pertinet: (§. CCXCVI.) 2) quum talis constitutio causa maior sit & ardua (§. CCCCIX. \*) in beneficiis electiuis maioribus *consensum Pontificis* accedere debere. c) 3) In reliquis beneficiis Pontificem tunc coadiutorem cum spe succedendi dare posse, si in *mensē papali* illud vacat: d) 4) constitutionem hanc in Germania fieri salvo Instrumento pacis.

## §. CCCCXV.

Obtinet in immediatis Praelaturis, etiam inter Protestantes, coadiutorum electio & postulatio, sed a Pontifice non impetratur. Sicuti vero, ubi circa ipsam Praelati electionem aut postulationem lites exsurgunt,

Im-

- 
- a) LEVRENIUS *cit. l. qu. 425. sequ.* PIRRHING *ad tit. X. de cleric. aegr. nr. 21.*  
 b) GONZALEZ *ad c. vlt. X. de cleric. aegr.*  
 c) *c. 1. de cleric. aegr. in 6.*  
 d) LEVRENIUS *de vicar. Episc.*

Imperator iudex competens est; (§. CC XXXIII.) ita idem obtinet in controuersa coadiutoria.

§. CCCCXVI.

Vltior de-  
claratio.

Exinde discimus: 1) liberam capitulis Protestantibus competere coadiutorum electionem: 2) fieri illas etiam futurae *successionis* gratia: 3) Imperatorem cauere, vt tales electiones iuxta Instrumentum Pacis libere fiant: 4) illum decidere controuersias desuper exortas.

§. CCCCXVII.

Quid in me-  
diatis bene-  
ficiis obti-  
neat?

Quum vero apud Pontificios in coadiutorum constitutione auctoritas Pontificis requiratur, (§. CCCCXIV. 2.) ita & *Principes* nostri in *capitulis mediatis* coadiutores cum spe succedendi constituunt, vbi ad eos spectat collatio. Vbi vero saltem *confirmare* solent beneficiarios, idem in coadiutoribus datis obtinere debet. (§. CCLXXXVII.)

§. CCCCXVIII.

De coadiu-  
toria regu-  
lari.

*Regularem* quod concernit coadiutoriam, (§. CCCCX.) sicuti illa nec praxi antiquae refragatur, (§. CCCCIX. \*) ita nec a iure canonico exorbitat, e) si *Episcopos* excipias. *Co-Episcopatum* enim admittere nolunt haec iura, (§. CCCLVI.) in *reliquis* vero clericis adiutores ex causa non respuunt. f)

§. CCCCXIX.

e) CIRONIVS cit. l. tit. de cleric. aegr.

f) vid. tit. X. de cleric. aegr.

## §. CCCCXIX.

Sic etiam apud Protestantes hae coadiutoriae frequentes sunt, & omnino defendendae, quia salus ecclesiae suprema lex esse debet. De his itaque coadiutoribus, qui plerumque *adiuncti substituitique* dicuntur, notandum: 1) Constituuntur ab illis, penes quos est facultas, sede vacante, ordinarium Pastorem praeficiendi: 2) constituuntur plerumque cum *spe successione*: 3) praeficiuntur ad *preces pastoris*, qui adiutorio indiget; quandoque tamen 4) etiam *inuito* dantur, si *necessitas* id exigit, de qua consistorium iudicat: 5) talis coadiutor fit *verus pastor*: 6) huic aequae, ut merito, de *alimentis* prospicitur. g) (§.DXC. 10.)

Inter Pro-  
testantes.

## TIT. XXIX.

## DE ARCHIDIACONIS.

## §. CCCCXX.

Vicariatum Episcoporum etiam tenent *Archi-Diaconi*, qui olim *primi* erant in *collegio Diaconorum*, sensim vero tantam auctoritatem consequuti sunt, ut ipsis Episcopis resisterent, qui proinde de eorum potentia reprimenda cogitarunt, adeoque ad horum iura enucleanda ducimur. \*

Connexio.

\* Sicuti plures Presbyteri in vna ecclesia fuerunt, (§.CCXXXII.) quorum primus Episcopi nomen adeptus est; (§.CCXLII.) ita cum etiam

R

plures

g) CARPZOV. *iurispr. consisi.* L.I. d. 16. *sequ.* I. D.  
STIPPER *diff. de subst. minist. eccl.*

plures Diaconi in vna ecclesia essent, primo ex illis *Archi-Diaconi* titulus cessit: qui, quum reliquis praecesser, Episcopi voluntate ad hoc fastigium adscendit. LARROQVANVS *aduers. saer.* L. II. c. 8. CIRONIVS *ad tit. X. de offic. Archi-Diaconi.* Inualuisse videntur Sec. IV. quo tempore etiam alia *archi-officia* inualuerunt. Excell. IO. PAVLL. KRESS *von Archi-Diaconal-Wesen* c. 2. Episcopi illis vices suas demandarunt adeoque nihil nisi permittente Episcopo vt eius ministri facere poterant. CIRONIVS *cit. loc.* Dnus KRESS c. I. c. 3. §. 8. Hac ratione sub illorum potestate erant Diaconi & reliqui clerici. Horum vt & aliorum fidelium *litigia leuiora* per modum audientiae componebant, *thesaurum* ecclesiae custodiebant, ecclesias *visitabant*, candidatos *examinabant*, & Episcopo praesentabant, aliaque *vicario nomine* peragebant. CIRONIVS *cit. l.* Dnus KRESS *cit. l. c. 2. §. 4. & 5.* Omnis hinc honos post Episcopum ad eos fuit translatus. Inde mox ferociores facti, vt non solum iam Sec. V. Presbyteris anteferri cuperent; Dnus KRESS c. I. c. III. §. 9. sed & Episcopis exaequari vellent, his obedientiam denegarent, mox populum sibi colligerent, & sic iura episcopalia, Synodaticum, cathedraticum, procurationes aliaque proprio iure perciperent, iura pro lubitu redderent, & de bonis ecclesiae disponerent. Hinc de refrenanda horum potentia Episcopi cogitarunt. CIRONIVS *cit. l.* Diminuta & attrita illa fuit Sec. XII. & XIII. per *vicarios* datos & deinde per concil. Tridentinum. Dnus KRESS *cit. l. c. II. §. 6. sequ.* Immo euanuit in multis Episcopatibus & potestas & nomen, aut saltem restricta fuit licentia. IDEM *ibid.* §. 10. licet hominem ad absolutam potestatem adspirare quandoque soleant, & cum iam olim officiales sibi

sibi adsumserint, *independentiam* quandam a iudicio episcopali sibi vindicare studeant.

§. CCCXXI.

Est itaque Archi-Diaconus: *Vicarius Episcopi natus, qui vi consuetudinis aut statuti in districtu sibi assignato sollicitudinem clericorum gerit, ecclesis eorum intendit, cognitionemque & ordinariam iurisdictionem exercet. b)* Qui Archi-Diaconus?

§. CCCXXII.

Inde fluunt axiomata: I. Archi-Diaconus est Episcopi minister, & vi officii inspectionem loco illius gerit. II. Exercet iurisdictionem in clerum, in prima instantia, & alia litigia leuiora componit. Axiomata.

§. CCCXXIII.

Ex primo intelligimus: 1) cur dicatur *oculus Episcopi & manus; i)* 2) citra tamen Episcopi mandatum curam animarum committere non possit; *k)* nec 3) sententiam excommunicationis pronuntiare, *l)* nisi consuetudo illi suffragetur;\* 4) cur provideatur, vt ecclesiastica officia rite ab omnibus expediantur, adeoque 5) & Archi-Presbytero Primicerio, Diaconis, Sub-Diaconis aliisque clericis imperet; *m)* 6) *ordinet Acoluthos; n)* Quatenus vices Episcopi gerat in inspectione,

R 2

(§. CCVI.)

*b)* c. 1. X. offic. Archi-Diac.

*i)* THOMASSINUS de vet. & nou. eccl. disc. P. II.

L. I. c. 24.

*k)* c. 4. X. de offic. Archi-Diac.

*l)* c. 5. X. eod.

*m)* c. 2. & 7. X. de offic. Archi-Diac, c. 1. D. 24.

*n)* c. 2. X. de offic. Archi-Diac.

(§.CCVI.) 7) custodiat *vasa* ecclesiae: o) 8) *visitet* dioecesim Episcopi: p) (§.DLXX.) 9) examinet ordinandos, eosque Episcopo sistat etiam in ordinatione: (§.CCXXVI.3) q) 10) clericos etiam Praelatos *inuestiat*: r) (§.DCCCLXXXVIII.3.) 11) cur tamen *ardua & maiora* negotia ad Episcoporum *reservata* pertineant. s)

\* Sub consuetudinis vero colore iam olim omnia, quae arridebant, sibi vindicabant, suspensiones, excommunicationes, absolutiones pro lubitu exercebant. Quandoque in ipsos Episcopos insurgebant, eosque omni fere potestate intercludebant. Denegabant Episcopo ius absoluendi, vel ab eius absolutione mox ad Pontificem prouocabant. Non enim *vicarios*, sed *Episcopos* agere voluerunt. Inde etiam Episcopi de eorum potestate extinguenda admodum solliciti fuerunt, & hinc vel nomen cum potestate euauit, vel restrictum eorum imperium fuit. Dnus KRESS *cit. l. c. II. §. 10. c. III. §. 10. sequ.*

### §. CCCCXXIV.

Ex secundo (§.CCCXXII.2.) colligimus:

- 1) eos olim & ante sec. XII. ad exemplum Episcoporum saltem *audientias* exercuisse:
- 2) eos & sic ex concessione Episcopi omnia fecisse: t)
- 3) hos *leniora* saltem Archidiaconis

Quatenus  
in iurisdic-  
tione.

o) c. 3. X. *cod.*

p) c. 6. X. *cod.*

q) c. 7. X. *cod.*

r) c. 9. X. *cod.*

s) Ill. BOEHMER *diff. de causis maioribus & arduis* c. 3.

t) MARONIVS *cit. l.*

conis commisisse: 4) exinde tamen ius perpetuum sub colore consuetudinis & praescriptionis inualuisse: 5) Sec. XII, & XIII. Archi-Diaconos ad normam Episcoporum & sua *iudicia* adornasse, & 6) his *officialem* praefecisse, & vt iudices ordinarios egisse: u)\* 7) hinc postea ab illis desideratum fuit, vt *gradum in Theologia & iure canonico* tenerent: x) 8) pertinere eorum iurisdictionem saltem ad *modicas & leuiores* causas; 9) eam iurisdictioni Episcopali & *officialatui* esse subordinatam: y) 10) saluas esse Episcopo *causas maiores*, (§.CCCCXXIII.ii.) 11) Archi-Diaconalia iudicia plerumque *canonicis* cessisse, adeoque hinc inde hodie Archi-Diaconalia beneficia cum suis annexis in capitulis superesse.

\* Non solum consuetudinis praetextu, sed & praescriptionis obtentu pleraque sibi vindicabant. Inde exorbitans haec ambitio ansam dedit, determinandi illa, vel per statuta vel pacta vel iura communia, quae ad forum Diaconale spectare debeant. Dominus KRESS *cit. l. c. II. §. 7. sequ. c. III. §. 10. sequ.* Immo officiales propterea illis opposuerunt Episcopi, & his eos subiecerunt. Cardinalis De LVCA *Theatr. veritat. & iustit. Tom VII. relat. iurid. disc. VI. nr. 2. Dnus KRESS cit. l. c. II. §. 6.*

### §. CCCCXXV.

Dantur etiam adhuc in ecclesiis Protestantium Archi-Diaconi, sed *nomen non rem* De Archi-Diaconis inter Protestantes.

R 3

reti-

u) Dnus KRESS *cit. l. c. 3. §. 3. sequ.*

x) Concil. Tridentin. Sess. XXIV. *de reform. c. 12.*

y) Concil. Tridentin. Sess. XXIV. *de reform. c. 20.*

retinuimus. A ceteris Diaconis non distinguuntur, sed *primi* saltem sunt inter reliquos *Diaconos*. Reuerentiam aequae ac reliqui Diaconi debent Pastori, (§. CCLXI. 3.) nec vlla *iurisdictione* gaudent, quam ne quidem Pastores habent. (§. CCLXII.)

## TIT. XXX.

## DE ARCHIPRESBYTERO.

## §. CCCCXXVI.

Connexio. **S**icut Episcopi in regimine ecclesiae externo vicarios plures sibi adsumserunt, & in his Archi-Diacono vices quoad quaedam demandarunt, (§. CCCCXX. \*) ita etiam intuitu officii sacri de *vicario* fuere solliciti, & sic vnum ex Presbyteris sibi adsumebant, qui *Archi-Presbyter* dictus fuit, cuius iura nunc enucleanda sunt. \*

\* Fuit olim in singulis ecclesiis confessus Presbyterorum. (§. CCXXXII.) His praecerat Episcopus tanquam primus Presbyter; (§. CCXLII.) sed cum seigniores facti essent Episcopi, aliis officia sua delegarunt, vnde & Archi-Diaconorum & Archi-Presbyterorum origo deriuanda est. conf. THOMASSINVS *de vet. & nou. eccl. discipl. P. I. L. II. c. 3.*

## §. CCCCXXVII.

Qui Archi-Presbyter?

Est autem Archi-Presbyter: *Praelatus ceteris Presbyteris eminentior, vicem Episcopi in spiritualibus gerens. z)*

## §. CCCCXXVIII.

z) c. 2. & 3. X. *de offic. Archi-Presb.*



## §. CCCCXXVIII.

Prout autem vel in ipsa *cathedrali ecclesia* Diuisio eorum. *munere suo funguntur, vel extra illam ecclesiis ruralibus* praesunt; ita in *urbanos & rurales* diuidi solent.\*

\* Presbyteri enim, cum fidelium numerus cre-  
sceret, & plures in vno etiam loco coetus for-  
marentur, semper vnum corpus sub cura Epi-  
scopi constituebant. (§. CCCLVII.) Cum  
vero non vbique praesens esset Episcopus,  
Archi-Presbyter Presbyteris praepositus fuit,  
vt singuli, siue extra cathedralem ecclesiam in  
vrbe, siue ruri essent, eo melius in officio suo  
continerentur.

## §. CCCCXXIX.

Hinc notanda axiomata: I. Archi- Pres. Axiomata.  
byter vicarius est Episcopi in illis, quae Ar-  
chi-Diaconus peragere nequit. II. Alius  
praest ecclesiae urbanae, alius ecclesiis ru-  
ri sitis.

## §. CCCCXXX.

Ex priori axioma consequitur: 1) vt ab Quatenus  
sint vicarii  
Episcopi. Episcopo eligatur, & in arbitrio huius sit,  
cuius hanc spartam delegare velit; 2) vt  
simul ab Episcopo dependeat, quid & quan-  
tum ei concedere velit: 3) vt tamen aequae  
ac Archi-Diaconi sibi *vi consuetudinis* & prae-  
scriptionis *iure proprio* multa vindicant:  
(§. CCCCXXIV. 4.) 4) vt vice Episcopi fo-  
rum poenitentiale exercent, & eatenus *vo-  
luntaria* quadam *iuris fictione* polleant: vt ta-  
men 5) in foro poenitentiali simulacrum

iurisdictionis *contentiosae* exerceat: \* a) 6) vt omnino Presbyter esse debeat: b) 7) vt in sacris Archi-Diaconum antecedit.

\* Priusquam Innocentius III. singulis parochis forum poenitentiale concederet, Archi-Presbyter illud vice Episcopi habuit. Multum sic auctoritati Archi-Presbyteri decessit, maxime cum postea *Presbyter poenitentiarius* constitueretur, qui in calibus Episcopo reseruat<sup>s</sup> confessiones audiret.

### §. CCCCXXXI.

Officium  
Archi-Pres-  
byteri vr-  
bani.

Quumque alius praesit ecclesiae vrbanae, (§. CCCCXXIX. 2.) consequens est: 1) vt *vicem Episcopi* absentis gerat, praesentis vero curam minuat: c) adeoque 2) *officium sacram* in cantanda missa, benedictionibus conferendis, sacramentis administrandis peragat; poenitentes infirmos consulto Episcopo reconciliet: 3) vt *inspektionem* gerat, quo sacerdotes munere suo rite fungantur, adeoque & poenitentiam iis iniungat: d) 4) vt, quia contentiosa iurisdictione, qua tali, caret, (§. CCCCXXX. 4. & 5.) Archi-Diaconus vero eam vi Episcopi exercet, (§. CCCCXXIV.) Archi-Presbyter aequè illius, ac Episcopi praeceptis pareat. e)

### §. CCCCXXXII.

Et ruralis.

Quum deinde alius ecclesiis ruri sitis praesit,

a) CORVINVS *institut. iuris can.* L. I. tit. 16. §. 6.

b) IDEM *ibid.* §. 5.

c) c. 3. X. *de offic. Archi-Presbyt.*

d) c. 2. & 5. X. *eod.* c. 33. *de consecr.* D. 5.

e) c. 7. X. *de offic. Archi-Diac.*

fit, (§. CCCCXXIX. 2.) intelligimus: §) ut hic laicorum & Presbyterorum, qui ecclesias minores regunt, curam habeat: (§. CCCCXXVIII. \*) 6) ut proinde *graviora delicta* Episcopo denuntiet: 7) ut, quae ab Episcopo decreta sunt, sequatur, & 8) *Archi-Diacono* etiam *subiectus* sit: (§. CCCCXXXI. 4.) f) 9) corollarii loco notandum, hos rurales Archi-Presbyteros dici *Decanos*. \* g)

\* Nomen a re militari est desumptum, ubi, qui decem militibus praeerat, *Decanus* dicebatur. (§. CCCCLXXXIV. \*) Aucta dioecesi Episcoporum, & sublaris penitus Chor-Episcopis *dioeceses in Decanatus* distributae, & singulis Decanatibus Decani seu Archi-Presbyteri praefecti fuerunt, quos Archi-Presbyteros rurales dixerunt. Sic itaque Decani sunt, qui *titulos rurales & eorum Presbyteros regunt*. c. 7. X. *de offic. Archi-Diaconi*. Subiecti erant Archi-Presbytero in ecclesia cathedrali residenti. conf. c. 4. X. *de offic. Archi-Presbyt.* Hinc sunt *speciales officiales & vicarii* Episcopi.  
§. CCCCXXXIII.

Cum Archi-Presbyteris multi comparare solent *Pastores* nostros *primarios*. Sed praeter inspectionem nihil commune habent. *Decanorum* appellationem Protestantes alicubi retinuerunt; sed cum hi *vices Superintendentum* peragant, de his vero iam actum sit. (§. CCLV. seq.) non est, quod amplius doctrinae huic immoremur.

Vfus Archi-Presbyterorum inter Protestantes.

R §

TIT.

f) c. 4. X. *de offic. Archi-Diac.*g) c. 7. X. *de offic. Archi-Diac.*

## TIT. XXXI.

## DE CHOR - EPISCOPIS.

## §. CCCCXXXIV.

Connexio:

**A**D classem vicariorum Episcopi etiam referri solent *Chor-Episcopi*, qui quamvis tales non fuerint sua origine, tamen postea facti sunt, tunc scilicet, ubi de Chor-Episcopis opprimendis consilia agebantur, ipsi vero Episcopi degenerarent, & munus sibi impositum parvi penderent.\*

\* *Veræ ecclesiæ ruri & in agris fuerunt sub ipsis Christianismi incunabulis. Ita etiam veri Episcopi cum suis Presbyteris ibi adfuerunt. conf. EVSEBIUS hist. eccl. L. II. c. 3. L. VII. c. 30. Ratio enim iuris vix permittebat, ut in ecclesiis ruralibus diuersa iura obtinerent, ac in ciuitatensibus. Sicuti vero in ciuitate Episcopus cum suo clero adfuit: ita & in agris. In maioribus quidem ecclesiis iam Sæc. III. Episcoporum auctoritas creuit, sed non in minoribus. Immo in concilio Sardicensi can. 6. conclusum fuit, ut in maioribus saltem ciuitatibus Episcopi ordinarerentur. Abhinc variis conatibus rurales Episcopi a ciuitatensibus fuere suppressi. Male itaque SALMASIVS *de Episcopis & Presbyteris* cap. 5. Chor-Episcopos in Presbyterorum classem detrudit. Nec subscribendum CABASSVIO *notit. conciliorum* c. 8. & de MARCA de C. S. & I. L. II, c. 13. qui quosdam saltem inter Episcopos referendos putant. Omnes veros fuisse Episcopos cum HAMMONDO *de Episcopis* diss. 3. BEVEREGIO *Synod. magn. not. ad Concil. Ancyr.* c. 3. BLONDELLO *de Episcopis* pag. 95.*

LAR-

LARROQVANO *aduers. sacr.* pag. 28. contendo.

§. CCCCXXXV.

Quum itaque *veri Episcopi* olim fuerint, & <sup>Qui Chor-Episcopi?</sup> per plura secula obstrepentibus ciuitatis Episcopis, dignitatem suam retinuerint; tandem ciuitatenfes commoditati suae studentes, eos in *vicarios* adsumserunt. Sicuti itaque *iurisdictionalia* per *Archi-Diaconos* expediebant: (§. CCCCXX. seq.) *Sacra* vero per *Archi-Presbyteros*, quatenus illa per *Presbyteros* expediendi poterant, (§. CCCCXXVI. seq.) ita, quae proprie *muneris episcopalis* erant, (§. CCXLVI.) *Chor-Episcopis* expedienda delegabant. *b)* Inde *Chor-Episcopi* facti sunt: *Vicarii Episcopi, Episcoporum in maioribus urbibus degentium.*

§. CCCCXXXVI.

Quum vero fracta & collisa iam olim esset *Chor-Episcoporum* potestas, (§. CCCCXXXIV. \*) <sup>Quatenus desierint?</sup> ipsis plenam episcopalem potestatem competere, eatenus dubitatum fuit, vt illis collationem *maiorum ordinum dedicationemque templorum* delegandam haud crederent. *i)* Vt vero *Episcopi*, oblectamenti vnice dediti, tales *vicarios* haberent, qui eorum vicem in omni ministerio episcopali, quantum ad *ordinis iura*, supplerent, inualuere demum *Episcopi suffraganei*. (§. CCCCIII.

*b)* BALVZIVS *not. ad Rheginon. pag. 542.*

*i)* THOMASSINVS *cit. l. P. I. L. II. c. 2. §. 1.*

CCCCIII, seq.) Verum non vbiq̄ue in totum sede sua deturbari potuerunt Chor-Episcopi, & hinc in quibusdam *capitulis* saltem quoad titulum supersunt.

§. CCCCXXXVII.

De Periodentis.

Sunt, qui putant, eosdem fuisse Chor-Episcopos, ac *Periodentas*. *k)* Sed fuere plane ab illis distincti. Hi enim erant *circuito- res, qui ecclesias circumibant & visitabant*. *l)* Plerumque *Presbyteris* haec sparta delegata fuit, qui aliquando etiam titulum habuerunt, vbi peracta circuitione se receperunt. *m)* (§. DLXV. seq.)

§. CCCCXXXVIII.

¶ sus inter Protestantes.

Inter Protestantes incogniti Chor-Episcopi. *Circuitores*, vero seu *visitatores* alicubi constituti sunt, qui sub titulo *Inspectorum* circumire ecclesias prouinciae, & quae emendatione digna arbitrantur, consistorio denuntiare solent.

TIT.

*k)* CONF. BEVEREGIVS *cit. loc. ad c. 27. Conc. Laod. MARCA cit. l. L. II. c. 13. §. 6.*

*l)* MENAGIVS *amoen. iur. c. 35.*

*m)* DNUS GVST. GEORG. ZELTNER *de periodentis vet. eccl. restituendis.*

## TIT. XXXII.

DE

VICARIIS GENERALIBVS EPISCO-  
PORVM.

## §. CCCCXXXIX.

**V**idimus varios *vicarios speciales*, nunc de <sup>Connexio</sup> *generalibus*, qui postmodum inualuerunt, agendum est, de quibus in Decretalibus pauciora occurrunt, forsitan quod tunc rariores, nec ubique introducti essent. *n*) Agunt Decretales de vicariis clericorum in genere, \* nos vero de iis, qui ad *iurisdictionem* exercendam constituti sunt, solliciti erimus.

\* Vicarii clericorum ex *laxata residendi necessitate* (§. CCCCLXXIX. \*) orti sunt, & *pluralitas beneficiorum* (§. CMXXVII. seq.) eos retinuit. *Vniones ecclesiarum* saepius efflugarunt vicarios, (§. CMXXXVII. seq.) & inde tandem illuc res rediit, vt hi *vicarii veri* essent *parochi*, si officia spectes, cum interim ille, qui rector ecclesiae audit, & qui vicarium adsumsit, oblectamentis deditus sit. De his vero vicariis, quales etiam canonici alunt, (§. CCCCLXXXI. \*\*) hic non loquor.

## §. CCCCXL.

Est vero vicarius generalis, seu officialis <sup>Qui vicarius generalis est</sup> Episcopi: *Qui iurisdictioni contentiosae praestit, & vices Episcopi in consistorio seu tribunali sustinet.* \*

\* Origo horum vicariorum inde repetenda: Cum viderent Episcopi, se per Archi-Diaco-  
nos

*n*) THOMASSINVS *cit. loc.* P. I. L. II. c. 8. §. 1. *seq.*

nos omni fere iurisdictione esse exutos, nec Archi-Diaconi *vicarii* amplius Episcoporum, sed *ipsi Episcopi* viderentur; his Sec. XII. & potissimum XIII. opposuerunt *vicarios generales* seu *officiales*, (§. CCCCXX. \*) prohibentes, ne Archi-Diaconi de *caussis maioribus* amplius cognoscerent, quod institutum etiam concilia Sec. XIII. corroborarunt, conf. ESPEN. *iur. eccl. P. III. tit. V. c. 1.* THOMASSINVS *cit. loc. §. 4.*

## §. CCCCXLI.

Diuisio.

Sunt vero vel *principales*, vel *foranei*. Illi in ipsa *Episcopi sede* sunt constituti, & *vice Episcopi* in consistorio ius reddunt; o) horum iurisdictione *extra ciuitatem* episcopalem ad certum *dioeceseos districtum* est restricta. p)

## §. CCCCXLII.

Axiomata.

Sic ad rationes ciuiles Episcopi sua iudicia adornarunt, adeoque de his eorum vicariis tenenda axiomata: I. Principalis vicarius nomine & vice Episcopi tribunali praeest, adeoque *iurisdictionem ordinariam* exercet. (§. CCXLIV.) II. Tales praesunt tam in spiritualibus, quam temporalibus. q) III. Nequeunt tamen sibi vindicare cognitionem in illis, quae ad reseruata episcopalia pertinent, (§. CCCCXXIII. II.)

IV.

o) c. fin. de offic. vic. in 6. ESPEN. cit. l. P. I. tit. 12. c. 4. nr. 5. sequ.

p) WUESTNER *instit. iur. can. tit. de offic. vic. nr. 20.* CORVINVS *instit. iuris can. L. I. tit. 18. §. 8.*

q) CORVINVS *cit. loc. §. 6.*



IV. Foranei iurisdictionis subordinata est Principalis potestati. 7)

§. CCCCXLIII.

Quum itaque vicarius principalis Episcopi nomine tribunali praesit, & ordinaria iurisdictione polleat, (§. CCCCXLII. 1.) sequitur: 1) ut Episcopus eum quidem pro lubitu constituat & reuocet: ut tamen 2) quousque reuocatus non est, eandem *iurisdictionem*, quae Episcopo competit, exerceat: 3) ut *ordinaria* eatenus merito dici possit iurisdictionis, quia lege stabili vicarius nomine Episcopi ius reddit: ut tamen 4) eatenus, quatenus eam non *iure proprio*, sed *vice Episcopi* gerit, merito *vicaria* dici debeat: 5) ut quousque *ordinaria iurisdictionis* de illo praedicatur, a sententia eius non ad Episcopum prouocandum sit: 6) ut etiam *adessoribus* talis vicarius gaudeat.

Quatenus ordinaria vel vicaria iurisdictione utatur?

§. CCCCXLIV.

Quumque porro tam in temporalibus, quam spiritualibus praesit, (§. CCCCXLII. 2.) sequitur: 1) ut id tunc demum obtineat, ubi Episcopis etiam *secularis iurisdictionis* competit, nec 2) *duo diuersa iudicia* constituta sint, quia eo casu officialis potestas se saltem in *spiritualibus* exerit: 3) ut tunc, ubi *utraque potestas* penes vicarium est, *laicus* officialis esse nequeat: 4) ut in *ecclesiasticis* causis *latino*,

Quousque & spiritua- lem & tempora- lem iurisdictionem exer- ceat?

7) WIESTNER *cit. loc. nr. 36.*

5) CORVINUS *cit. loc. §. 7. WIESTNER cit. loc.*

6) LEVRENIUS *de vic. Episc. Tr. I. c. 1. qu. 37.*

*latino, in secularibus germanito idiomate omnia expedienda sint, quia in ecclesiasticis ad curiam Romanam adpellatur: 5) vt omnia possit explicare, nisi probetur exceptio. u)*

§. CCCCXLV.

Reseruata  
Episcopi sui  
vindicare  
nequit.

Dehinc quum sibi nequeant vindicare cognitionem in illis, quae ad *reseruata* Episcopi pertinent, (§. CCCCXLII. 3.) consequens est: vt 1) expedire non possint, quae ad *ordinis episcopalis* iura pertinent; (§. CC XLVI. 2.) nec 2) quae Episcopo tanquam *legato* sedis apostolicae competunt; (§. CCCCLI.) 3) vt nec *dispensare* queant, nisi in causis leuioribus; x) nec 4) *conferre* beneficia; (§. DCCCLXIX. 1.) y) nec 5) ea *unire, diuidere, erigere, suppressere*; (§. CMXLI. 3. & CMXLVII. 5.) nec 6) *absoluere* in casibus *reseruatis*; nec 7) in *causis criminalibus* cognoscere, & sententiam ferre, (vid. Lib. IV.) quippe quae cum aliis ad *causas maiores* referuntur. Porro inde sequitur: 8) vt in regula non possit imponere *poenitentiam publicam*; (§. DCLXXVI. 1.) nec 9) exercere ius *aggratiandi*; nec 10) conuocare *synodum*, aut 11) dare litteras *dimissoriales*, (§. DXLV. 6.) vel 12) *visitare* ecclesias, (§. DLXX.) aut 13) *exstructionem* ecclesiarum aut monasteriorum permit.

u) ENGEL. ad tit. X. de offic. vicar. nr. 10.

x) LEVRENIUS cit. loc. qu. 110.

y) c. final. de offic. vicar. in 6.

mittere, (§. DCCLXXXVIII. & §. DCCC XIV.) aut 14) auctoritatem in *alienationibus* bonorum ecclesiasticorum interponere, (§. DCCCXXXVII. 4.) vel 15) *statuta* condere & confirmare, (§. XCII.) vel 16) *resignationes* beneficiorum admittere, (§. CCC LXXXII. 1.) aut 17) Praelatos *confirmare*, aut denique 18) exigere caritativum *subsidium*, (§. CMXVI. d.) vt alia taceam. 2)

### §. CCCCLXVI.

Denique quum foranei iurisdicatio sub-<sup>Qualis foranei potestatis?</sup> ordinata sit Principalis potestati, (§. CCCCLXII. 4.) sequitur: 1) vt se habeant haec iudicia instar *Consistorii inferioris & superioris*: 2) vt a consistorio foranei ad consistorium Episcopi, cui principalis vicarius praest, in mundo sit *pruocatio*; a) quod secus in Principalis consistorio esse solet: (§. CCCCLXIII. 5.) denique corollarii loco notandum, 3) haec iudicia dici: *die Officialen, die Officialate, die geistliche Gerichte, die Choro Gerichte, die Consistoria.*

### §. CCCCLXVII.

Tales officiales Protestantium fora qui-<sup>Vfus inter Protestantes.</sup> dem ignorant, sed in locum iudiciorum ecclesiasticorum, quibus eiusmodi officiales praesunt, successerunt *consistoria* nostra. Sed de his demum P. II. §. V. seq. differendi occasio erit.

§

TIT.

2) vid. III. BOEHMER iur. eccl. Protest. L. I. tit. 28. §. 10.

a) CORVINVS cit. loc. tit. 18. §. 9.

## TIT. XXXIII.

## DE LEGATIS.

## §. CCCCXLVIII.

Connexio.

**V**icariorum generalium officium (§. CCCCXXXIX.) etiam sustinent *legati* sedis Romanae. Sicuti enim Episcopi generales vicarios ad conseruandam suam auctoritatem introduxerunt, (§. CCCCXXXI.)\* ita etiam curia Romana legatos suos per vniuersum orbem emisit, vt eum in obsequio & reuerentia erga cathedram Petri obseruarent.\*

\* Olim ecclesia suos habuit *nuntios simplices*, sine caractere repraesentatio, quorum pertinent *apostoli ecclesiae*. 2. Cor. VIII. 19 23. *Philipp.* II. 25. Conf. *Meine Kircheng. Historie*. Sec. I. Cap. X. Sect. 2. §. 9 Per has personas ea, quae ad communem ecclesiae salutem spectabant, procurabant. Vbi crebriores factae controuersiae, etiam legationes tales multiplicatae sunt, ita tamen, vt nullum legatis imperium competeret, quum nequidem legati sedis Romanae in conciliis vllum primatum ante Chalcedonense sibi vindicarent. III. BOEHMER ad PETR. de MARCA *Lib. V. obs* 3. Habuit quidem sedes Romana suos legatos in aula imperatoris, sed vt nudos *Procuratores* sine potestate. MARCA de C.S. & I. *Lib. V. c. 15.* THOMASSINVS de V. & N. E. D. P. I. *Lib. II. c. 117.* Postea sedes Romana sollicitudinem in omnes ecclesias sibi vindicabat, at citra iurisdictionem: mox potentioribus Episcopis *vicariatum* ecclesiae Romanae contulit, simulque *pallium* transmisit, vt sic legatione perpetua sedis Romanae fungerent.

rentur. (§. CCCL. i.) Inde orti *legati nati*. Cum dehinc plenaria potestate omnia Roma gubernaret, suis etiam legatis ad exemplum legatorum in imperio Romano in prouinciam missorum *iurisdictionem vicariam* contulit. MARCA *cit. loc. c. 1. & 2.* Quum vero crederet Romana curia se melius in sua subiectione conseruare posse ecclesias per *legationes peculiare*s; sub Nicolao I. inualere *legati missi*, qui maxima cum auctoritate omnia egerunt. Post cum quidam ex Cardinalium collegio mitterentur, noua inter missos orta differentia est. MARCA *cit. loc. c. 44. sequ.*

### §. CCCXLIX.

Sunt itaque legati: *Muneris Pontificalis* Qui legati *vicarii, quibus certa prouincia demandata, vt ibi omnem iurisdictionem sacram, vice Pontificis, exercerent.*

### §. CCCCL.

Sunt vero legati vel *nati*, vel *missi* seu *nuntii*; & hi vel nuntii *simpliciter tales*, vel *legati de latere*. Quotupl. ccs? *b)* His hodie alii accedunt, qui cum *charactere legati de latere* mitti soleunt.

### §. CCCCLI.

Legati nati sunt: *qui vi priuilegii loco vel prouinciae indulti iure quodam ordinario Pontificis vicariam potestatem exercent.* Qui legati nati? *\* c)*

\* Pallii quidem datio & concessio Episcopos quodammodo legatos constituit: (§. CCCL. i.) sed maior potestas competit legatis, quam illis, qui saltem pallio condecorantur. Legati enim *concurrunt* in iurisdictione cum *ordinario*, non vero qui pallio vtuntur. Tenent quidem

S 2

dem

b) c. 9. X. de offic. leg. c. 1. de offic. leg. in 6.

c) c. 1. eod. in 6. CIRONIVS paratitl. X. de offic. leg.

dem vi pallii *vices* sedis Romanae, sed non eadem *ratione* ac illi, qui ex speciali *ratione* *legationis* munere funguntur. CIRONIVS *cit. loc.*

§. CCCCLII.

Qui missi? Missi sunt: qui non *ratione ecclesiae* aut *provinciae*, cui praesunt, *legationis* munere funguntur, sed quibus *personaliter* certa *provincia*, cum *iurisdictione* committitur, in qua nomine *Pontificis* potestatem exercent. d)

§. CCCCLIII.

Quia latere?

Legati de latere sunt: *Cardinales*, propterea ita dicti, quia *Pontifici* a *secretis* & *latere* adsunt, (§. CCCLXXXVIII. seq.) *maiori*que dignitate & potestate ac alii *missi* seu *simplices* gaudent. e) Hinc etiam cum *charactere* *legati de latere* quidam mitti solent, ut *sublimiores* reliquis essent.

§. CCCCLIV.

Axiomata.

De his tenenda axiomata: I. Omnes *legati* *vicaria* *Pontificis* potestate utuntur; II. *Legatorum* vero a *latere* dignitas *splendidior* & *sublimior* est.

§. CCCCLV.

Potestas omnium legatorum.

Quum itaque omnes *legati* *vicaria* *Pontificis* potestate utantur; (§. CCCCLIV. I.) consequens est: 1) ut eadem exercere possint, quae *Pontifex* sibi vindicat, (§. CCXXXV.) nisi quaedam ex illis ad *reservata* *Pontificis* pertineant: f) 2) ut proinde concurrentem cum

d) c. 1. de offic. leg. in 6. c. 6. X. de praesumpt.

e) CIRONIVS *cit. loc.*

f) CORVINVS *cit. l. tit. 20. §. 10.*

cum ordinariis iurisdictionem habeant: (§. IV. seq.) 3) vt proinde *externo* etiam *splendore* suum mandantem referant: \* 4) vt in prouinciis sibi decretis, *vice Pontificis*, noxia euellant & dissipent, salutaria vero aedificent & plantent: g) 5) vt proinde possint concilium cogere, statuta perpetuo valitura condere: (§. CV.) b) 6) vt in tanta dignitate constituti possint aliis *vices suas subdelegare*: i) (P. II. §. XVI. 4.) 7) vt eorum potestas potissimum ex tenore *mandati* dimensuranda sit; adeoque 8) expiret *lapsu temporis*, ad quod sunt dati; k) nec non 9) *reuocatione* Pontificis, l) & 10) *relatione* Pontifici facta, m) & 11) *morte* Pontificis, si res adhuc sit integra: (P. II. §. XXI. & §. CCLV.) n) denique 12) notandum, vt legatorum potestas quandoque *suspensa* sit, quale quid contingere solet in legatis natis, vbi *missus* adest. \*\*

\* Magna pompa incesserunt, & ne sumtus ad huiusmodi fastum deessent, *procuraciones* (§. CMXIV. seq.) legatis ab vniuersa prouincia legationi eorum addicta exsoluendae erant. Hinc Episcopi in iuramento fidelitatis (§. CCCXXX. 1.) adstringebantur inter reliqua, de *legatis* sedis apostolicae in eundo & redeundo *honorifice tractandis* & in *necessitatibus ad-*

S 3

iu-

g) c. 2. de offic. leg. in 6. c. 6. X. de Praesumpt.

b) MARCA. cit. l. c. 46.

i) c. fin. X. de offic. legati.

k) c. 4. X. de offic. iud. deleg.

l) c. 9. X. de offic. leg.

m) c. 5. X. eodem.

n) c. 6. X. de Praesumpt. c. 2. de offic. iud. ordin. in 6.

*iuuandis.* Hi proinde tanta rapacitate nummos corradebant, vt Pontifices non raro parafitos suos hunc in finem in prouincias mitterent, vt diuitias acquirerent. (§. CMXIV. \*) Inde in plurimis regnis non aliter, quam regum permiffu recepti fuerunt, conf. MARCA *cit. l. L. V. c. 48. fequ.*

\*\* Ita quidam iureconfultri contendunt. Hinc iam olim legati nati miffos admittere noluerunt. MAIMBOVRG *l'histoire de la decadence de l'empire Lib. II. pag 219.* CIRONIVS vero in *paratitlis X. de officio legati* id tunc faltem admittere vult, fi *nominatim ita Pontifex cauerit*, quum per dationem fecundi aequalis dignitatis, non cenfeatur reuocatus primus. Sed praxis confentit, natos legatos praefentibus miffis officio fuo frangi non poffe.

### §. CCCCLVI.

Legatorum  
a latere in  
specie.

Quum vero legatorum a latere dignitas splendidior & fublimior fit, (§. CCCCLIV. 2.) intelligimus: 1) cur in functione legationis *apoftolicis insigniis vtantur*: o) 2) cur iurisdictionem exerceant etiam in *exemptos, p)* & 3) eorum electiones, licet Archi-Epifcopi fint, confirmant: \* q) 4) cur omnes a cenfuris abfoluant. r) 5) beneficia fuae collationi referuent, s) (§. CMVIII. 4.) & 6) omnia poffint, quae non Pontifici *qua tali* funt *refervata.* (§. CCCCLV. 1.) t) Corollarii loco autem  
ob.

o) c. 23. X. de priuileg.

p) c. 36. de elect. in 6.

q) vid. cit. capit. 36.

r) c. 9. X. de officio legati c. 20. X. de fentent. excommunic.

s) c. 6. de offic. leg. in 6.

t) CORVINVS *cit. l. §. 9.*



obseruari debet, 7) has prærogatiuas omnes non competere illis, qui saltem *cum charactere legati de latere* mittuntur.

\* Aliter in Germania obtinet, vbi vi concordatorum nationis Germanicæ confirmationes Episcoporum ad *reseruata* Pontificis pertinent. Sicubi vero concordata aliquid disponunt, contra illud nihil possunt legati.

### §. CCCCLVII.

In terris Protestantium hi legati nullam tenent auctoritatem, proinde illas nequidem accedunt. Quum tamen res imperii non raro turbent, & sæpius se illis causis immisceant, quæ inter catholicos & Protestantes aguntur, immo ciuiles causas ad suam cognitionem trahant; u) interest scire, qualis & quanta sit eorum potestas.

Vfus inter  
Protestan-  
tes.

## TIT. XXXIV.

### DE CVRATIS SEV PAROCHIS.

#### §. CCCCLVIII.

Vidimus, qua ratione parochiales ecclesie ortæ fuerint. (§. CCCLXII. sequ.)

Quum vero Presbyteri his coetibus Praepositi *parochi* & *curati* seu *curiones* dicerentur, de his vel ideo nunc agendum est, quia ad *minuendam Episcopi sollicitudinem* introducti fuerunt. \*

Connecto.

\* Multitudo templorum iam apud Romanos parochiis originem dedit. Ill. BOEHMER *iur. paroch.* Sect. II. c. 2. §. 26. sequ. Diuisio enim

S 4 | templo-

u) Ill. BOEHMER *iur. eccl. Prot. Lib. I. tit. 30. §. 13. sequ.*

templorum iuxta regiones ciuitatum facta fuit. Quum enim populus in tribus tres & triginta curias diuisus esset, singulis curiis vnus praeponebatur sub titulo curionis, vt sacra pro sua curia curaret. Qui in vno loco habitabant, dicebantur *paroeci*, & plurium domorum vicinia *paroecia* audiebat. His personis itaque praepositus *paroecus* vocatus fuit, pro quibus vocabulis vero postea *parochi*, *parochianorum* & *parochiae* nomina adhibita fuerunt. VOSSIVS *de vitiiis sermonis Lib. I. c. 2.* conf. BYDAEVS *ad L. ult. ff. de muneribus*. ZIEGLER *ad de ROYE institut. iur. canon. L. II. tit. 14. §. 1.* Quum autem vocabulum *parochiae* barbarum sit, *curiae* vocabulum alii substituerunt, & *parochos* more Romano *curiones*, *parochianos curiales*, *ecclesias parochiales aedes curiatas* nominarunt. Postea *parochos* etiam *curatos* dixerunt, & *ecclesiam parochialem curatam*. Hanc vero adpellationem a *cura* descendere putabant, vt *curatus* ille esset, qui acceperit *curam animarum* vi officii. BARBOSA *de offic. & potest. parochi P. I. c. 1. nr. 11.*

### §. CCCCLIX.

Qui parochus vel curatus?

Est itaque parochus seu curatus; *Presbyter ecclesiae minori, cui certus hominum coetus adsignatus est, ideo praepositus, vt ibi doceat, sacramenta administret, & commoda propterea a parochianis percipiat.\**

\* Olim vocati *cardinales*, vt sic distinguerentur ab illis, qui ecclesiis suis non ita adfixi erant: donec tandem haec adpellatio clero ecclesiae Romanae proprio iure cessit; (§. CCLXXXVIII. \*) dicti etiam *Plebani*, quia *plebi praesunt*.

### §. CCCCLX.

## §. CCCCLX.

Hinc fluunt axiomata. I. Parochus est Axiomata. curae pastoralis vicarius. II. Intra limites descriptos sacra administrat: III. Ius habet exigendi ea, quae vi iuris parochialis illi debentur.

## §. CCCCLXI.

Quum itaque parochus sit curae pastoralis vicarius; (§. CCCCLX. 1.) consequens est: 1) vt in ecclesia sibi concredita sit *instar Episcopi*, adeoque 2) facere *sacra ordinaria* possit, quatenus ea Episcopo speciatim *reseruata* non sunt: 3) vt populus illi acque addictus sit, ac Episcopo: 4) vt suo iudicio Psalmistam vel cantorem constituere; immo 5) *minores clericos* (§. CXCI. seq.) quandoque remouere, & 6) laicos a sacris arcere possit: 7) vt tamen *iurisdictionem contentiosam* exercere nequeat. x)

## §. CCCCLXII.

Quumque intra limites descriptos sacra administret, (§. CCCCLX. 2.) sequitur: 1) vt in ecclesia sibi commissa *residere* debeat: y) (§. CCCCLXXIX. \*) 2) vt locum limitibus & finibus descriptum cum *iure bannario* teneat, adeoque 3) alius hunc suum districtum inuolare nequeat, vt ibi sacra administret: (§. CCCLX.) sicuti etiam 4) alius paroecus alterius paroecianos recipere & iis sacramenta

S §

menta

x) THOMASSINVS *de veter. & nou. eccl. discipl.*  
P. IV. Lib. I. c. 28.

y) BARBOSA *cit. l. P. I. c. 8. nr. 1.*

menta administrare haud queat; (§. CC XXXVI. \*\*\* & §. DXCV. §.) 5) vt hi limites *auctoritate Episcopi*, z) & certo respectu *praescriptione* constitui possint: a) 6) vt itaque parocicus suo nomine ibi curam exercent, \* *praedicando*, (§. CCXXXVI. \*\*) *baptizando*, (§. DCXLI. 2.) *confessiones audiendo*, (§. DC LXXIX. 4.) *poenitentiale forum* (§. DCLXXVII. 7. seq.) exercendo, *visitando* (§. DLXX. §.) *viaticum praebendo*, (§. DCC. 3.) *matrimonia consecrando*, (§. DCCXXXVIII. \*) *sepulturam concedendo*: (§. DCCCXXVI.) 7) vt solus & non cum aliis administret, ita tamen vt *Diaconi* (§. CCXXIII. seq.) non excludantur. b)

\* Nonnunquam extra ordinem *commendas*, vt vocant, habent, quibus interim tanquam fiduciarii pastores praesunt, de quibus (§. CMXXXI. seq.) agam.

### §. CCCCLXIII.

Ex tertio denique (§. CCCCLX. 3.) intelligimus: 1) vt *decimas* suo iure capiat in suo territorio: (§. DCCCXLVII.) c) vt percipiat *iura stolarum*, d) (§. CCCCLXVI.) quia alibi cultui diuino interesse nequeunt parociani: (§. DCXCV. 8. seq.) 3) vt ius habeat in corpora defunctorum parocianorum,

Quid illi  
praestandum?

z) Concil. Trident. Sess. XXI. *de reform. c. 4.*

a) GRANNANIETO *ad cap. 4. X. de paroch.*

b) BARBOSA *cit. l. P. I. c. 1. nr. 27.* ZIEGLER *ad Lancelot. L. II. tit. 18. §. 1.*

c) de ROYE *institut. iur. can. L. II. tit. 14 §. 4.*

d) GEORG. PETR. STELZER *diff. de iuribus stolarum.*

rum, ita vt illi praestanda sit *canonica portio: e*) (§. DCCCXXVII.) 4) vt iure percipiendi reditus ex bonis parochialibus gaudeat. *ee*)

## VSVS DOCTRINAE INTER PROTESTANTES.

### §. CCCCLXIV.

Pleraque etiam inter Protestantes obtinent, qui paroecias cum iure bannario coniunctas retinuerunt. Sic apud nos Parochi vel paroeci *Psarret* sunt: *Personae ecclesiasticae per legitimam vocationem vel electionem; (§. CCCXI.) ecclesiae parochiali, populoque in parochia illa degenti, praepositae, ad docendum verbum DEI, cum annexis, intra limites sibi praescriptos, iusque habentes exigendi a parochianis ea, quae vi iuris parochialis illis debentur. f)*

Qui parochi inter Protestantes?

### §. CCCCLXV.

Ex antecedentibus haec definitio iam clara erit, hinc strictim iura nostrorum parochorum percurram. Sic 1) gaudent *distri-*  
*ctu parochiali*, & fundatam intentionem habent contra aedes in parochia sitas, vt *de parochia* sint: 2) Parochiani in *propria parochia* sacris

Iura eorum?

*e)* de ROYE *cit. loc. §. 6.*

*ee)* Iura cleri Parochialis illiusque officia, iuxta praxin ecclesiae Anglicanae, delineauit EDW. STILLINGFLEET. Sed egregia multa, ab omnibus parochis obseruanda, simul occurrunt. Titulus Libri est: *Ecclesiastical cases relating to the Duties and Rights, of the parochial Clergy.*

*f)* III. BOEHMER *iur. paroch. Sect. III. c. 1. §. 2.*

sacris interesse tenentur: g) (§. CCCCLXIII. 2.) 3) illis inuitis alius conciones habere & docere nequit: b) 4) competit illi facultas confessiones audiendi & absoluendi, nec alibi parochiani confiteri & absolutionem petere possunt: i) 5) administrant sacram coenam: k) & 6) baptizant infantes in sua parochia natos l) 7) ius quaesitum habent, quoad sepulturam parochianorum: m) 8) hannos nuptiales: n) 9) benedictionem nubentium: o) (§. CCCCLXII. 5. vsque 7.) 10) vt illis deneganda non sit *visitatio domestica*: p) (§. DLXXVII. 3.) 11) vt illis administratio bonorum ecclesiasticorum, quatenus sunt *propriarii reddituum*, competat: q) 12) vt ratione *decimarum*, intra fines parochiae suae sitarum, fundatam intentionem habeant, licet *nouales* sint: r) (§. DCCCXLVII.) 13) vt parochi, potissimum rurales, etiam alias varias praestaciones exigere queant, iuxta consuetudinem cuiusuis loci: s) 14)

vt

- g) Ill. BOEHMER *iur. paroch.* Sect. IV. c. 1. §. 4.  
 h) IDEM *ibid.* §. 6.  
 i) IDEM *ibid.* §. 11. *sequ.*  
 k) IDEM *ibid.* §. 20.  
 l) IDEM *ibid.* §. 27.  
 m) IDEM *ibid.* c. 2. §. 3. *seqq.*  
 n) IDEM *ibid.* c. 3. §. 2.  
 o) IDEM *ibid.* §. 10. *seqq.*  
 p) IDEM *ibid.* c. 4.  
 q) IDEM *ibid.* Sect. V. c. 2. §. 15.  
 r) IDEM *ibid.* Sect. VII. c. 1. §. 9. *sequ.*  
 s) IDEM *ibid.* §. 25. *sequ.*

vt iura stolae exigere,\*) minime vero clericos inferiores (§. CC.) remouere, nec cano-  
tores regulariter adsumere, nec laicos a sa-  
cris arcere, aut forum poenitentiale exer-  
cere possint; quae tamen parochis Pontifi-  
ciorum tribuuntur. (§. CCCCLXI. 4. seq.)

\* Stola est genus vestimentorum, olim mulieri-  
bus proprium. L. 23. §. 2. ff. de auro argent,  
mund. leg. licet id non perpetuum fuerit, sed  
etiam masculi stola vti sint. GODOFRED. in  
not. ad cit. L. In genere notauit omnem ve-  
stem. PITISCVS Lex. Rom. antiqu. voce stola.  
Translata deinde vox ad habitus & vestimen-  
ta clericorum fuit, qui e Iudaismo peculiaria  
vestimenta adsumserunt, & inter ea etiam  
stolam. Sicuti vero per pallium peculiarem  
potestatem tribui dicunt. (§. CCCXLIX.) ita  
stola officii suscepti character erat. Hinc stola  
metonymice ipsum officium sacrum denota-  
re coepit.

### §. CCCCLXVI.

Iura vero stolae, quae parochi exigunt,  
(§. CCCCLXV.) sunt: *honoraria & sportulae*,  
*quae ratione stolae seu officii sacri praestantur*,  
Pfarr-Amts-Gebühren, Accidentien.

Quid iura  
stolae?

### §. CCCCLXVII.

Originem trahunt a *spontanea oblatione*,  
quae semper permessa fuit. Haec in ne-  
cessitatem variis artibus tracta & consuetudi-  
nis nomine defensa fuit. Nihil in his iu-  
ribus reperiri, quod iustitiae repugnet, alibi  
demonstrari. u) Si quid vitii in illis residet,  
hoc

Iustitia eo-  
rum & abu-  
sus.

\*) Ill. BOEHMER cit. l. c. 2. §. 5. sequ.

u) vid. tract. de Simon. crim. Sect. II. c. 3.

hoc consistit in eo, vbi *seuere* nimis & *amare exiguntur*, maxime si alios redditus sufficientes habeant; si *noua accipientia* introducuntur, si *introducenda extenduntur*. Strictam enim interpretationem intuitu accidentium obtinere, persuasissimum habeo. x)

§. CCCCLXVIII.

Quo iure & quibus de causis percipiuntur?

Quaedam itaque ex his iuribus debentur *iure perfecto*, quaedam *imperfecto*. In dubio tamen pro *parte salarii* reputantur. In hunc censum veniunt *nummus confessionarius*, (§. DCLXXXVII.) *funeralia*. (§. DCCCXXVI. 4.) *benedictio nubentium*, (§. DCCXXXVIII. \*) aliaque plura. Qua ratione vero hæc lucra, vbi plures sunt parochi, diuidi debeant, aut cui cedant? ex locorum consuetudine diiudicari debet.

TIT. XXXV.

DE CANONICIS.

§. CCCCLXIX.

Connexio.

**C**Lero cathedralis ecclesiae competere *ius suffragii*, (§. CCXXXVI. \*) penes eum *ius eligendi esse*, (§. CCXCVI. 1.) *capitulum* seu collegium canonicorum sede impedita aut vacante *regere ecclesiam*, (§. CCCLXXXVIII.) iam constat. Quinam vero sint *canonici*? quibus iuribus gaudeant? paulo penitius dispiciendum est.

§. CCCCLXX.

x) III. BOEHMER *iur. paroch.* Sect. VII. c. 2. §. II. *sequ.*



## §. CCCCLXX.

Olim illi omnes, qui certae ecclesiae erant additi, & ex penu illius alimenta capiebant, *canonicorum* titulum gerebant, siue in *cathedrali ecclesia*, siue *ruri* constituti essent. *Canon* enim *matriculam* ecclesiae, *album*, simulque *pensionem* & *stipendium* denotabat. y) Canonici itaque fuerunt: *ipsi clerici ecclesiae, quorum cum consilio Episcopus ecclesiam regebat.* \* Qui olim canonici?

\* His opponerentur *non canonici*, qui in oratoriis magnatum sacra faciebant, & sic eorum non ecclesiae stipendiis alebantur. DV FRESNE *Glossar. voc. canonici.* Conferri etiam potest *Hist. des Chanoines*, cuius auctor fertur RAYM. CHAPONELLVS, & qui contra hunc calumum strinxit, LOUIS HUGO *dans la critique de l'hist. des Chanoines.*

## §. CCCCLXV.

Postea canonici audiebant, qui *vitam communem* viuebant. Noua haec *canonicorum* ratio apparuit tempore Pipini, auctore *Chrodogango*, Episcopo Metensi. \* Abhinc peculiari & noua plane ratione illi canonici vocabantur, qui *ex formula Chrodogangi* ad instituta monastica quodammodo composita, vitam componerent, seu *regulam* & *canonem* Chrodogangi obseruarent. Passim hoc institutum etiam alii Praesules imitati sunt, \*\* & sic canonici, per excellentiam dicti, erant: *clerici cathedralis ecclesiae in vnum collecti, & ad Chrodogangi regulam compositi.* z) Qui postea hoc nomen gesserint?

\* Hic

y) PITISCVS *Lex. antiqu. Rom. voc. canon.*z) III. BOEHMER *iur. eccl. Protest. L. III. tit. 1. §. 16.*

\* Hic, vt clericos in ordinem reduceret, *monasticam* quandam disciplinam inter illos introduxit, vt communi dormitorio, refectorio, & claustro vterentur, & secundum canones viuerent, alias vero nulla vota praestarent.

\*\* Ipse Carolus M. de propaganda regula Chrodogangi sollicitus fuit. Huc etiam directa erat cura conciliorum, v. g. Turonensis tertii, Aquisgranensis aliorumque. conf. NATALIS ALEXANDER *diff. hist. eccl. ad Sec. IX. c. 4. art. 8.* add. Geneross. Dn. IO. GODOFR. DE MEYERN, singulari scripto, de *Monacho-Canonicismo*.

### §. CCCCLXXII.

Origo collegiatarum ecclesiarum

Perfeciorem statum hunc quum multi arbitrarentur, tot ad clericatum adspirabant, vt ecclesiae cathedrali non omnes coadunari possent. Hinc *extra ecclesias cathedrales* peculiariorum *canonicorum collegia* fuere efformata, ad *formam monasteriorum*. Peragebant diuina officia, sed citra curam animarum. a) Inde origo *collegiatarum ecclesiarum* repetenda. Immo pluribus *parochialibus* ecclesiis hoc institutum adplicatum fuit, quae abhinc salua animarum cura *collegiatae* factae sunt.

### §. CCCCLXXIII.

Canonici in monasteria penetrant.

Praeterea *ipsa monasteria* ab eiusmodi clericis fuere occupata, cum hi perfeciorem statum habere crederentur, ac illius temporis monachi. Ibi sub *Abbate* vel *Praeposito* vixerunt, b) vbicunque vero viuerent hi canonici

a) BALVIVS *append. ad Lup. nr. 9. pag. 528.*

b) Concil. Turonense III. c. 24.

nonici, vna omnium fuit ratio & conditio c) Nam & illi, qui in monasterio agebant, vel propterea a monachis differebant, quod *nullo voti vinculo constricti* essent. Hinc nata differentia *inter canonicam & regularem vitam.*

## §. CCCCLXXIV.

Etiam ad *moniales* hoc institutum transit. Abhinc virgines velatae in *monachas & canonicas* fuere diuisae. (§. DXI. seq.) Illae *votis* erant obstrictae: hae obseruabant *regulam canonicam*, & Sec. IX. plurima vestigia de illis occurrunt. d)

## §. CCCCLXXV.

Canonici vero hi *sec. X.* passim pristinam deseruerunt disciplinam. Hos quidam in ordinem reducere studebant, & quum animaduernerent, causam degenerationis esse *bonorum adfluentiam*, Sec. XI. *votum paupertatis* quibusdam imponebant, sicque eos rursus in *vitam communem* reducebant. e) Inde duplex canonicorum status excreuit: Qui proprietati renunciarunt, *regulares*; qui extra communem vitam agebant, *seculares* dicti fuerunt. \*

\* Minus congruae sunt adpellationes, si ex artis peritorum mente verba intelligere velis. Nam canonicus regularis idem sonat, ac *regularis regularis*: & secularis canonicus, cum canon regulam denotet, *repugnantiam* inuoluit.

c) DV BOIS *hist. eccl. Parisiensis* Lib. XI. c. 8. §. 4.

d) THOMASSINVS *de V. & N. E. D. P. I. L. III.* c. 43. §. 8. *sequ.*

e) DV BOIS *c. l. pag. 738.* III. BOEHMER *c. l. §. 25 sequ.*

uit. Quum vero scriptores semper haec duo distinxerint: *regulariter & canonicè* vivere; (§. CCCCLXXIII.) tolerari potest talis loquela.

### §. CCCCLXXVI.

Qui cano-  
ci regula-  
res?

Regulares itaque canonici sunt: *clerici in communi sub praeposito quodam viuentes, clericalia officia peragentes, & praestito voto paupertatis, regulam, quam Augustini vocant, \* obseruantes.*

\* Augustinum clero peculiarem regulam praescripsisse non constat. Imposuit saltem illi *vitam monasticam*, vt nulli liceret aliquid proprii habere, & nullum recepit, nisi qui vitam communem cum eo agere vellet. THOMASSINVS *cit. l. P. 1. L. III. c. 3. seq.* Hoc institutum canonici procul dubio, cum etiam proprietati renuntiarent, regulam Augustini dixerunt. Regularibus his canonicis proxime accedunt ordines quidam militares. (§. DVIII. sequ.)

### §. CCCCLXXVII.

Qui secula-  
res?

Canonici vero seculares sunt: *clerici cathedralium & collegiatarum ecclesiarum* (§. CCCCLXXI. sequ.) *qui relicta vita communi res suas seorsim habere coeperunt, nec se voto paupertatis (§. CCCCLXXV.) obstringi passi sunt.*

### §. CCCCLXXVIII.

Axiomata.

De vtrisque notanda axiomata: I. Canonici seculares quoad statum adhuc sunt clerici. f) II. Regularium tamen status est perfectior. III. Obeunt peculiaria officia. IV.

---

f) ESPEN, *iur. eccl. P. I. tit. VII. c. 4.*

IV. Sufitentantur e bonis ecclesiae. (§. CCCC LXX.) V. Viuunt in dignitate. (§. DCCC LXI. 2.) VI. Praeter Episcopum alium adhuc Praelatum ex institutis monasticis superiorem agnoscunt. VII. Constituunt collegium quoddam. (§. CCCLXXXIX.)

§. CCCCLXXIX.

Quum itaque seculares canonici, quoad Canonici seculares sunt in clericatu. *statum, adhuc sint clerici*, (§. CCCCLXXVIII.

1.) sequitur: 1) vt vitam clericis dignam ducere debeant, quia hoc intuitu nihil eis remissum est: 2) vt obligati sint ad *residentiam*, quae demum finito anno claustrali incipit: \* 3) vt propterea *doctrina*, munere clericali digna, in illis desideretur, g) quae vero hodie ex *triennio Academico* continuo aestimatur: 4) vt ex pari ratione praeter triennium academicum in quibusdam capitulis *peregrinatio* desideretur, quo se ad officium obeundum praeparent & animi dotes excolerent: 5) vt ad *ordinem* recipiendum obligati sint: (§. CCXCVII. 2.) 6) vt in *coelibatu* viuere necesse habeant: (§. CCI. \* & §. CCIV. I.) 7) vt *irregulares* non sint admittendi. (§. CLXXVI. sequ.)

\* Residentia primi anni, quae das *Eloster-Jahr* dicitur, ex antiquo statu canonicorum ad monasticum effigiato descendit. (§. CCCCLXXI\*)  
More enim monachorum, qui clero inferendi erant, *annum nouitatus* subire cogebantur, vt tentarent, num mores suos ad regulam di-

disciplinae componere possent. Hic *annus* adhuc observatur etiam inter *Protestantes*, licet vita communis cesseret. Circa auspiciū, nouitius se liberalem praebuit erga confratres, inde *vinum admissiois, statuta, die Statutens Gelder*. Singularia huius anni inter arcana referre, & in latenti habere solent capitula, non secus, ac olim Pontifices & iureconsulti formulas. Potest tamen *annus* claustralis vel *redimi* pretio, vel *remitti* per viam dispensationis. *Immunes* etiam sunt, qui a latere Principis aut Episcopi stare debent. Eo finito incipit *ordinaria residentia*. Durante anno claustrali nouitius nullos fructus percipit, immo quandoque illis eo finito per aliquot annos carere debet. *Residentia* vero ex ipsa *natura munerum* publicorum maxime *clericorum* fluit. Sed iam olim clerici neglecto officio alio se contulerunt, & hinc inde vagati sunt. Inde tot leges contra *non residentes* latae: inde, vt clerus ad residentiam adstringeretur, iugum monasticum ei impositum fuit. Excusso vero hoc iugo tamen residendi necessitas propugnata fuit. Mox autem ex variis causis etiam superiores eam remiserunt, & inter causas iustas retulerunt *legationes* Praelatis iniunctas, *euocationem* ad curiam Principum & comitia imperii, vel ad concilia, *peregrinationes* Romanas, *dispensationem* specialem, *multitudinem* beneficiorum. Inde orti *vicarii*. (§. CCCCLXXXI.\*\*)

### §. CCCCLXXX.

Regulares  
vero in per-  
fectiori.

Quum vero regularium status sit perfectior, (§. CCCCLXXVIII. 2.) intelligimus: 1) cur ii *conuerii* dicantur, qui, quum hactenus *seculares* fuerint, nunc *regularium* mores induunt: 2) vt hi *regulariter* viuere, & 3) stu-

3) studium *humilitatis* & *paupertatis* euangelicae prae se ferre debeant: 4) cur propterea se olim *fratres* dixerint. \* b)

\* Secularibus vile nimis visum est hoc nomen, & *domini* dici maluerunt. Inde germanica adpellatio *Domsherrn*. Hi, qui in cathedrali ecclesia constituti erant, postmodum etiam repudiarunt titulum canonicorum, & loco eius *capitularium* adpellationem adsumferunt: *canonicorum* titulo iis relicto, qui in *collegiatis* ecclesiis viuunt.

### §. CCCCLXXXI.

Quum deinde peculiaria officia obeant, Officia communia. (§. CCCCLXXVIII. 3.) notandum est: 1) ea esse vel *communialia* vel *propria*: ad priora vero referri, quae ad *omnes Christianos* spectant: 2) huc pertinere preces, cantus, aliaque *pietatis officia*. (§. DCVIII. seq.) 3) Exinde ortas esse *horas canonicas*, \* quum strictius ad hoc officium clerici obligati sint, ac alii: i) 4) *seculares* raro amplius horis canonicis vacare, sed eas per *vicarios* expedire: \*\* 5) variare reliqua officia pro diuersitate munerum, quibus decorati sunt, quia alii *Presbyteri*, alii *Diaconi*, alii *Sub-Diaconi*: 6) Quosdam hodiernum ex pristino instituto munera obire *scholastici*, *thesaurarii*, *custodis*, *Primicerii*. 7) Alios in specie dici *capitulares*, quod votum & sessionem in capitulo habeant, alios audire *simpliciter canonicos*, quod eo voto ad-

T 3

huc

b) c. 4. X. de his quae fiunt a Prael. sine consensu capituli.

i) L. 42. §. 10. C. de Episc. & cleric.

huc careant: 8) *seculares quidem in ordine esse, k) sed deposuisse curam animarum.*

\* Habuere iudaei stata tempora precandi. *Aët. III. 1.* quae a primaevis Christianis in plurimis locis seruata fuerunt. TERTVLLIANVS in *Pſychicos* c. 10. CYPRIANVS *de Orat. Monachi* Sec. IV. addiderunt duas horas nocturnas SAM. BASNAGIVS *annal. Tom. I. ad ann. 51. §. 23. sequ.* His horis preces recitabant, Pſalmos cantabant, & populus erat praesens. Erant itaque *horae precatoriae* sollemnes. THOMASSINVS P. I. L. II. c. 73. *sequ.* cum stata essent tempora, *curſum canonicum* hoc officium vocabant. Ex quo vero tantum latinum more Romano introducerent, laici has horas deseruerunt, & hinc *horae canonicae* ad *monachos & clericos* fuere restrictae.

\*\* Canonici ad exemplum Episcoporum (Tit. XXVII. seq.) *vicariam operam* anhelarunt, & sic praetextu impedimentorum sibi vicarios constituerunt vel ad tempus. Quum vero vicarii *vices canonicorum* per omnia gerere non possent, nisi & ipsi *ordines* recepissent, *perpetuos* sibi constituerunt *vicarios*, illisque certam portionem reddituum assignarunt loco beneficii. Inde *vicariae* beneficiis annumerantur.

### §. CCCCLXXXII.

Debentur  
illis stipen-  
dia.

Quumque porro sustententur e bonis ecclesiae, (§. CCCCLXXVIII. 4.) consequens est: 1) vt dum in *communione* persistenterint, in *communi* quoque *sustentationem* ex bonis ecclesiae perceperint: 2) vt singulorum *prouentus* tunc in *distributionibus quotidianis* constiterint: 3) vt non aliis, quam *prae-*

k) concil. Trident. Sess. VII. c. 12.

l) c. 34. de consecr. D. 5. c. 9. X. de vit. & bon. cleric



*praesentibus* aut *impeditis* hae distributiones obuenerint: *m*) 4) vt licet postea *praebendae* (§. DCCCLVIII.\* ) deposita vita communi (§. CCCCLXXV.) secularibus canonicis assignatae fuerint, tamen hae *distributiones* adhuc durare soleant: 5) vt, quia ad victum quotidianum olim pertinuerint, hodie etiam saltem *praesentes*, licet 6) nondum *praebendati*, sed dumtaxat *recepti* sint, ad illas admitti debeant: *n*) 7) vt, sicuti olim, in communi habitarent, postea deserta tali vita domus constructae fuerint, in quas se reciperent, Dom. Hertens-Höfse: 8) vt denique stipendii loco beneficia perpetua seu praebendas ad percipiendos inde prouentus acceperint, de quibus (§. DCCCLVI. seq.) ex instituto agetur.

## §. CCCCLXXXIII.

Quum deinde in dignitate uiuant, (§. Tribuitur illis dignitas. CCCCLXXVIII. 5.) notari meretur: 1) id potissimum obtinere de *canonicis cathedralium* ecclesiarum, qui a *latere Episcoporum* sunt, & senarum ecclesiasticum constituunt: (§. CCXXXII.) *o*) 2) inde constare, quare Pontifex eos *iudices delegatos* dare soleat, (P. II. §. XVI. 2.) *p*) & 3) collectiue sumti, in capitulo, *Abbat*es praecedant, (§. DXXXV.) & 4) praedicato Reuerendissimorum, *Thro Hochwürden*, gaudeant.

T 4

## §. CCCCLXXXIV.

*m*) c. 7. X. de cler. non resid.

*n*) c. 19. & 32. X. de praebend.

*o*) c. 4. X. de his, quae fiunt a Prael. sin. conf. capit.

*p*) c. 11. de rescript. in 6.

## §. CCCCLXXXIV.

Subsunt  
Praeposito  
aut Decano.

Quum praeterea praeter Episcopum alium adhuc Praelatum superiorem agnoscant, (§. CCCCLXXVIII. 5.) constat: 1) huc referendam esse *praeposituram*, quae tam in cathedralibus, quam collegiatis ecclesiis satis nota est: \* 2) porro huc pertinere *Decanatus*: \*\* 3) & Praepositos & Decanos a *capitulo*, e gremio illius esse *eligendos*.

\* Iam obseruavi, canonicos, ex regula Chrodogangi viuentes, nonnunquam monasteria occupasse, ibique sub Abbate vel Praeposito vixisse; (§. CCCCLXXIII.) sic facilis est ratio, cur *Praepositus sit caput canonicorum*, & eos regat. Deinde ipse clerus a Chrodogango ad monastica instituta efformatus fuit (§. CCCCLXXI.) In monasteriis vero Praepositus primum ab Abbate locum obtinuit. (§. DCIV. 4) Hinc etiam Episcopi clero cathedrali *Praepositum* dederunt. THOMASSINVS P. I. L. III. c. 66. §. 15. sed ex quo hic clerus vitam communem deseruit, *titulus* quidem *Praepositi cum emolumentis*, sed *sine officio*, remanuit.

\*\* In monasteriis iuxta statum militarem plures Decani aderant, & singuli sub sua cura decem monachos habuerunt. (§. CCCCLXXII. \*) THOMASSINVS cit. l. §. 8. Cum Praepositi se curae rerum temporalium nimis manciparent, (conf. hic Gener. Dn DE MEYERN, quem semper honoris causa nomino, in *cit. scripto de Monacho-canonismo*.) tota inspectio in canonicos in *Decanum* transit.

## §. CCCCLXXXV.

Constituunt  
peculiare  
corpus.

Quum denique constituent collegium, (§. CCCCLXXVIII. 7.) norandum est: 1) r-  
le

le collegium dici *capitulum*,\* deinde facile reddideris rationem, cur, 2) licet sub Episcopo constitutum sit *capitulum*, *peculiare* tamen *corpus* constituat, adeoque sine Episcopo conuentus instituat, & de rebus ad se pertinentibus deliberet, & 4) eatenus modo per *Decanum*, modo per *Praepositum* dirigatur. Hinc etiam esse, quod quaedam capitula *propriam iurisdictionem* habeant, & denique, 6) quod etiam *libera & immediata* capitula occurrant. (§. CCCCII.)

\* Capituli adpellatio descendit ex *institutiis monasticis*. Singulis enim diebus conueniebant monachi, vt *capitulum regulae Benedictinae* illis praelegeretur. Hae vero lectiones dictae *capitula*. Ab his lectionibus seu capitulis *ipse locus*, quo monachi propterea conueniebant, dici coepit *capitulum*. Idem institutum recepit Chrodogangus, (§. CCCCLXXI.) & cum Episcopi eo ipso in loco saepius deliberationes cum canonicis instituerent, *canonicorum coetui nomen capituli* inditum fuit, quod etiam laxata vita communi durauit, & qui votum in hoc coetu habuit, *capitularis* dictus fuit. Hoc etiam a canonicis in *collegiatis ecclesiis* & canonicis *in monasterio* in imitationem tractum fuit. conf. DV FRESNE *Glossar. voce capitulum*.

### §. CCCCLXXXVI.

Tempore *reformationis* collegia canonicorum & canonicarum facta tecta conseruata fuerunt, relictis saltem illis ritibus, quos Augustanae confessioni repugnare autumarent\* Sic in plerisque statum antiquum retinuerunt, adeoque consequens est: 1) vt etiam

Vfus doctrinae inter Protestantes.

*Protestantes canonici clerici sint: (§. CC XCVII.\* ) 2) de iure boris canonicis (§. CCCC LXXXI.3.) interesse debeant: 3) ad residen-  
tiam teneantur: (§. CCCCLXXIX.\* ) 4) in  
Episcopatibus Protestantium ad gubernatio-  
nem ecclesiae concurrant: (§. CCXXXVI.\* )  
5) foro priuilegiato & 6) titulo clericorum gau-  
deant, (§. CCCCLXXXIII.4.) q) 7) licet ti-  
tulis Presbyterorum, Diaconorum & Sub-  
Diaconorum non superbiant:\*\* 8) vt pro-  
inde etiam *externae qualitates* aliae in illis de-  
siderentur; (§. CLXXVI. seq.) interim quum  
Principes Protestantes, vi iuris circa sacra, ea,  
quae *ad ordinem spectant*, in meliorem for-  
mam mutare possint, (§. XCIII.4) non dubium  
est, quin 9) Principi etiam in haec collegia  
*ius sacrorum competat*, vi cuius ea, nisi instru-  
mentum pacis (§. XLIV.6.) vel particulares  
conuentiones obsint, in aliam formam mu-  
tare, & ad fines antiquos reuocare possit.  
Sic 10) integrum illi erit, saluo statu capitulorum,  
per sanctiones Pragmaticas stabilito,  
*officia a canonicis olim peracta* in vsum redu-  
cere: r) sicubi vero 11) pacta publica mo-  
dum ponunt, ad ea ius reformandi se exten-  
dere nequit: (§. XLIV.\*) denique 12) in *me-  
diatis capitulis* Principes Protestantes electio-  
nes Praepositorum & Decanorum dirigere,  
(§. CCC.\*\* ) electosque confirmare solent.  
(§. CCCXXXIV.)*

\* Id

q) III. BOEHMER *iur. eccl. Protest.* L. III. tit. 1.  
s. 33. sequ.

r) IDEM *ibid.* s. 49. sequ.

- \* Idem, quod Augustanae confessioni aduersatur, per publicam Imperii sanctionem, sustinere non debent Protestantes. (§.XXX. II. & §. XCVII.)
- \*\* Redimunt tamen ordines soluto pretio, quod dicitur: *Ordens Geld*; & quia solutum inter praesentes distribuitur, inde, nisi me omnia fallunt, Praesentien*s Gelder* vocantur. (§. CCXCVII.)

## TIT. XXXVI.

## DE MONACHIS.

## §. CCCCLXXXVII.

**D**ixi, canonicorum statum ad instituta Connexio monastica olim compositum fuisse, (§. CCCCLXXI. \*) multaque hodiernum instituta in capitulis ex vita monastica superesse, (§. CCCCLXXIX. \* & CCLXXXIV. \*) & hinc ad *monachos* eo magis ordo nos nunc ducit, quod hodie illi in *clero* constituti sint. \*

- \* Imo sua peculiaria sacra, & propria *templa*, saltem *capellas*, prope monasteria exercent & possident. (§. DCCLXXXVII. \*\* & \*\*\*)

## §. CCCCLXXXVIII.

Vita *asctica* iam olim philosophis gentium arrisit, s) hanc sequebantur plures Christiani, quorum ἀσκησι*s* potissimum in *fuga nuptiarum*, *ieiuniis* & *abstinentia* consistebat. t) Huic instituto facile accedere potuit *vita solitaria*, vnde demum *disciplina monastica* orta

Origo monachorum.

s) I. F. BVDDEVS *de ἀσκήσει Philosophica.*

t) TILLEMONT *mem. pour seruir. a l'histoire de l'eglise* T. VIII. P. I. *dans la vie d' Athanase art. 1.*

orta est. Haec viuendi ratio debetur ANTONIO, qui primus discipulos sibi adsociavit, & cum his ἀσκησιw inter deserta excoluit. \* u)

\* Inde ascetae, *monachi*, tanquam *solitariam vitam agentes* dici coeperunt. Sanctissimam cum hanc viuendi rationem putarent, inde *conuersi*, & qui monachatum amplectebantur, *conuerti* & ad *religionem transire* dicebantur. Quum dehinc crederent, quod prae aliis religionem excolerent, *religiosorum* nomen per excellentiam illis inditum fuit.

### §. CCCCLXXXIX.

Progressus.

Viuebant vero in desertis *sine votis*. Sec. vero IV. PACHOMIVS nouam asceticam vitam introduxit, quam mox *coenobiticam* dixerunt. x) Extra solitudinem scilicet *vitam communem* introduxit, legibusque asperis & feueris circumuallauit. De reliquo coenobia horum ascetarum nomen *monasteriorum* retinuerunt, & hinc promiscue & coenobitica & monastica dicta fuit eorum vita. Hoc institutum ab aliis in imitationem tractum fuit, *Eustathio* scilicet, Armeniae Episcopo, y) & *Basilio*, qui etiam *in vrbes* monachorum domicilia traduxit. z)

### §. CCCCXC.

Status eorum.

Erant vero *laici*, a) propterea autem, quod auste-

u) SOZOMENVS *hist. eccl.* L. I. c. 13.

x) IDEM *cit.* l. L. III. c. 14.

y) IDEM *ibid.*

z) IDEM *ibid.* L. VI. c. 17.

a) c. 6. C. 16. qu. 1.

austera vita *diuini quid* spirare crederetur, ad clericos quodammodo eos accedere putabant. *Meritoriam* credebant, ad regulas compositam, *viuendi rationem*, quae primitus orientem, b) dehinc etiam occidentem penetrauit. c) Initio *ruri & in suburbiis* monasteria exstructa, d) mox vero etiam intra *urbium moenia* fuere recepta.

### §. CCCCXCI.

Huc vsque tribus absoluebatur vita monastica: 1) *vita communi*, 2) *continentia*, 3) *regularum obseruatione*. Surrexit dehinc BENEDICTVS, qui regulas nouas, quas occidentales monachi ceu praecepta diuina excipiebant, effinxit. Auctorem hunc faciunt trium votorum, *castitatis, paupertatis & obedientiae*; licet iam ante Benedictum votorum aliquis vsus fuerit, e) & haec tria vota magis ex *vsuali interpretatione* regularum Benedicti, quam *praecepto* eius profluxerint. f) Benedictini postea non solum in varias familias abierunt, sed & alii ordinum monasticorum conditores exstiterunt.

Noua monachorum ratio, a Benedicto introducta.

### §. CCCCXCII.

Monachus itaque hodie est: *Persona, quae* Descriptio  
vel monachi.

b) SOZOMENVS *cit.* l. L.III. c. 14.

c) HIERONYMVS *ep.* 16. *ad Principia*.

d) IDEM *cit.* l. & apud RAT. c. 5. C. 16. *qu.* 1.

e) THOMASSINVS de V. & N. E. D. P. I. L. III. c. 3. §. 6.

f) FLEVRY *hist. de l'eglise* T. VII pag. 783. Peculiaria instituta ordinis Benedicti delineauit ANONYMVS *in vet. discipl. monast.*

*vel paterna deuotione, vel propria professione, vel voti emissionem adstringitur. ut sub Praelati imperio, iuxta regulam adprobatam, vel in clericali, vel in laicali, religiose praesistis uotis uiuat.*

§. CCCCXCIII.

Axiomata.

De his tenenda axiomata: I. Monachum quidem facit parentum deuotio; II. Propria professio; III. Voti emissio; sed IV. priusquam quis recipiatur, probandus est: V. Eligenda est regula monastica adprobata. VI. Professi nouum induunt statum. VII. Parenti superiori, & VIII. Statum suum rite tenentur obseruare.

§. CCCCXCIV.

Liberi a parentibus monasterio offeruntur.

Quum itaque monachum faciat *parentum deuotio*, (§. CCCCXCIII. 1.) intelligimus: 1) quod & pater & mater liberos ita offerre possint; g) 2) quod haec *oblatio* fieri soleat *solemniter*, h) 3) eo effectu, ut oblatus *perpetuo* esset monachus, nec unquam recedere posset: i) 4) adeoque iam a tenera aetate disciplina monastica imbuerentur, quem in finem *scholae oblatorum* erant constitutae: k) 5) ut tamen hodie oblato saltem remaneant in monasterio, ad pubertatem usque, qua ad-

g) PETR. BLESENSIS ep. 54.

h) MARTENE *de antiqu. monach. ritibus* L. V. c. 5.

i) c. 3. C. 20. qu. 1. c. 1. C. 20. qu. 2. FLORENS *opp.* P. II. pag. 75.

k) ALTESERRA *de ascet.* L. I. c. 10.



adepta vel oblationem *ratam* habere, vel recedere possint. l)

§. CCCCXCV.

Quum deinde etiam monachus fiat propria professione, (§. CCCCXIII. 2.) sciendam est, professionem esse: *certae religionis solemnem promissionem, qua quis se ad observationem perpetuam certae alicuius regulae monachalis adstringit. m)* Haec, quum vel *verbis & Diuisio.* solemniter fieri, vel ex *factis* colligi soleat, inde in *expressam & tacitam* diuiditur.

§. CCCCXCVI.

Notari itaque debet: 1) *propriam profes-* Consecra-  
*tionem* iure nouo monachum tantum facere: *ria.*  
2) fieri eam debere *solemniter*, ita vt initian-  
dus prostratus humiliter misericordiam pe-  
tat, publice viua voce *formulam voti* recitet,  
& in scriptis manu sua signatam tradat, quae  
tunc probationis causa in scriniis reponi-  
tur: n) 3) vt *tacita professio*, quia ex factis col-  
ligitur, multa singularia desideret: o) 4) vt  
non tam efficax censeatur ac *expressa*, adeo-  
que hodie fere incognita sit. p)

§. CCCCXCVII.

Porro inde discimus: §) aditum ad pro-  
fessionem nummis non esse concedendum,  
quod

l) c. 11. 12. & 14. X. de regul. & transf. ad relig.

m) CORVINVS de pers. & benef. eccl. P. I. L. III.  
tit. 9. nr. 4.

n) MARTENE cit. l. n. 5. c. 4.

o) CORVINVS cit. loc. nr. 10.

p) ESPEN. iur. eccl. P. I. tit. 27. c. 1. §. 7. FLEVRY in-  
stitut. iur. can. P. I. c. 23. §. 2.

quod tale quid *Simoniam* (P. II. §. CCLXXV. 22.) sapiat, q) quod ipsum tamen varie emol-  
lire solent: r) 6) professionem vinculum in-  
ducere, vt *ordinem* nemo *deferere*, & nequi-  
dem ad *alterum transfugere* possit, s) nisi ad  
*austriorem*: t) 7) vt tamen professus quan-  
doque in *integrum restitui* possit ab Episcopo,  
contra factam professionem. u)

## §. CCCCXCVIII.

Quid vo-  
tum ?

Quumque porro *voti emissio* monachum  
efficiat, (§. CCCCXCIII. 3.) quid votum sit?  
enucleandum est. Definiunt vero illud,  
quod sit: *Promissio Deo facta, praeuia delibe-  
ratione, de opere bono faciendo, vel aliquid  
omittendo, ad quod alias non tenebamur.* \* x)  
Diuidunt illud in *solemne & minus solemne*,  
quae tamen diuisio a scholasticis excogitata  
fuit. y)

Diuisio.

\* Votorum religio ex ritu *sacrificiorum* inua-  
luit. Erant sane sacrificiorum *praeparatoria*.  
Sacrificiis lege Mosaica stabilitis, mansit et-  
iam votorum religio; sub lege itaque ceremo-  
niali erat in votis species cultus diuini. Ex  
quo itaque in ecclesia christiana res ad cul-  
tum Leuiticum inclinare inciperent, voto-  
rum etiam religio inualuit.

## §. CCCCXCIX.

q) ESPEN. *diff. de vit. Simon, circa ingressum reli-  
gionis.*

r) conf. tractatus meus de *Simoniae crimine*  
*Sect. I. c. 7. §. 29. Sect. II. c. 3. §. 15.*

s) Concil. Trid. *Seff. XXV. c. 19.*

t) c. 18. X. de *regular. c. 1. Extrau. comm. eod.*

u) c. 8. C. 20. *qu. 1.*

x) CORVINVS *cit. l. tit. 10. §. 1.*

y) c. 8. D. 27.

## §. CCCCXCIX.

Exinde consequitur: 1) vt, quia Deo aliquid *promittitur*, vota obligatoria sint sine acceptatione: 2) 2) vt exsequutio Episcopis tam ob *sacerdotium*, quam ob *vicariatum Christi*, (§.CCXLIII.\*) competat: 3) vt tamen in omni voto *arbitrium discretionis a)* & *libera vouentis potestas desideretur: b)* 5) vt id, quod vouetur, *possibile & licitum sit: c)* 6) vt tamen vota de ingredienda religione *sponsalia dissoluant*, & ingressus ipsa *sponsalia de praesenti dirimat: d)* vt ipsum matrimonium, actuali cohabitatione consummatum, intuitu religionis mutuo consensu dissolui possit. e)

## §. D.

Sicuti vero Episcopis votorum exsequutio competit, (§. CCCCXCIX. 2.) ita eadem potestas sese exferit in *mutatione, redemptione, dispensatione & dilatione* votorum, praeterquam quod ad sua *reseruata* sedes papalis quaedam vota traxerit. f) Sic itaque 1) *redemptio* votorum pro *elemosynis* licita est, g) quae latissimum campum dispensationum pepe-

Confectaria.

Ius mutandi &amp; relaxandi vota.

2) TITIVS *iur. priu.* L. IV. c. 13. §. 6.a) c. 2. X. *de votis.*b) c. 7. X. *eod.*c) c. 5. C. 20. *qu. 4.*d) c. 2. & 7. X. *de conuers. conjugat.*e) c. 1. *sequ. X. eod.*f) CORVINVS *cit. l. nr. 109.*g) c. 1. 2. 8 & 9. X. *de votis.*

peperit. 2) Datur *absolutio* a voto temere suscepto, quod, quamvis obligatorium non sit, tamen, vtrum obligatione aliqua polleat, *Episcopus* arbitrari debet, adeoque *absolutio* desideratur. b) 3) Permissa est *commutatio* votorum, i) nec illa semper desiderat *Episcopi* auctoritatem, si id, quod surrogatur, euidenter sit *melius*. Denique 4) per *dilationem* voti praestatio in conuenientius tempus reiicitur.

## §. DI.

Priusquam quis monachus fiat, subire debet annum probationis.

Quum autem is, qui in monachum recipiendus est, prius probandus sit, (§.CCCCXCIII.4.) sequitur: 1) vt tempus propter ea indulgeri debeat, quod ad *annuum spatium* (§.CCCCLXXIX.\*) regulariter extendunt: 2) vt anno hoc exacto nouitii recedere possint, ita vt etiam *professio* intra annum facta nulla sit: k) 3) vt & *legitima aetas* post hunc annum desideretur, scilicet XVI. annorum tam in masculis, quam in feminis: l) 4) vt quandoque *puellae* ex grauibus causis *citius ad professionem* admittantur: m) 5) vt *sponte* fieri debeat *professio*, n) etiam cum *consensu parentum*: o) vt tamen 6) quandoque *cogi* quis possit ad religionem adsumendam, quatenus

mona-

b) c. 2. X. eod.

i) c. 1. & 7. X. eod.

k) Conc. Trident. Sess. XXV. de regul. c. 15.

l) IDEM *ibid.*

m) ESPEN. iur. eccl. P. I. tit. 25. c. 5.

n) c. 1. X. de regular. Conc. Trid. cit. l. c. 18.

o) c. 2. X. de regular.

monasteria simul quandam *poenitentiam ecclesiasticam* constituunt. p)

## §. DII.

Quum dehinc eligenda sit *regula adprobata*, (§. CCCCXCIII. 5.) consequens est: vt Eligenda regula adprobata.  
 1) *proprio ansu* nemo nouam instituere possit:  
 2) vt ex his principaliores sint: *Basilii r)*  
*Benedicti*, (§. CCCCLXXXIX. & §. CCCC  
 XCI.) *Augustini*, (§. CCCCLXXVI. \*) *s)*  
*Francisci. t)* Hi enim ordines post ea plures  
 reformatores acceperunt, & exhinc *noui ordines*  
 prodierunt, quibus vel a reformatore,  
 vel a loco nomen inditum fuit. 3) Vt tamen  
*Loiolitae & Caribustiani* fere ad neutrum ho-  
 rum ordinum referri possint, sed *propriis suis*  
*constitutionibus* vtantur. u)

## §. DIII.

Quumque professi nouum induant statum, Qualem statum induant monachi?  
 (§. CCCCXCIII. 6.) sequitur: 1) vt nunc non  
*omnes amplius laici* maneant, sed, sicuti iam  
 olim creditum fuerit, eos ad clericos acce-  
 dere; (§. CCCCXC.) ita hodie *quidam cle-*  
*rici* fiant: 2) vt proinde monachi in *clericos*  
 & *laicos* distribuendi fiant; cum ad illos perti-  
 neat cura *officii sacri in choro*, hi vero mona-  
 chis *clericis ministrant*, & seruilia opera expe-  
 diant: U 2

p) conf. CHOPPINVS *monast.* L. I. tit. 3. §. 26.

q) c. *fin.* X. de relig. dom.

r) HOSPINIANVS de orig. monachatus. L. III, c. 3.

s) IDEM *ibid.* cap. 5.

t) RAYNALDVS ad ann. 1215. nr. 17, sequi.

u) CORVINVS de pers. & benef. eccl., P. I. L. III;  
 tit. 6. nr. 14.

diant; illi *choristae*, hi *fratres laici* & singulariter *conuersi* dicantur: x) 3) vt tamen omnes *religiosi* sint, & *vota* emittant: 4) vt tamen ab his distinguendi sint *oblato* & *donati*, qui se & sua monasterio offerunt, ad participationem orationum, y) quippe qui *vota* non faciunt, proindeque *religiosi* non sunt: 5) vt nec huc pertineant, qui in *ius fraternitatis* monachorum sunt recepti, vt ex monachorum deuotione & bonis operibus *lucrum* caperent.

### §. DIV.

Quibus superioribus pareant?

Quum vero monachi superiori pareant, (§.CCCCXCIII.7.) notandum est: 1) superiores esse in multiplici differentia, prout hierarchiae status hoc exigit, adeoque monachos per *Generales*, \* *Prouinciales*, *Abbat*es & alias personas his similes regi solere: 2) *Generalem* summum ordinis cuiusuis caput esse, instar *Patriarchae* aut *Pontificis*, proptereaque generalia capitula conuocare, ea dirigere, & conclusa exsequutioni mandare: 3) *Prouincialem* eadem ratione prouinciam sibi commissam instar *Metropolitae* regere: 4) praeterea quamlibet congregationem proprium caput & localem Praefectum tenere, scil. *Abbatem* seu *Patrem monachorum*, z) aut

x) c. 10. X. de sepult. ESPEN. cit. loc. tit. 31, §. 12. sequ.

y) c. 8. X. de probat. CONF. DN. GOTTL. SAM. TREVER non Urspr. und Bedeutung das Märtens Mannes.

z) ALTESERRA de ascetis L. II. c. 1.

aut alios Praefectos, puta *Priores, Praepositos, Rectores, Directores, Ministros & Custodes seu Guardianos*, pro diuersitate ordinum: 5) hos Praepositos dici: *Priores conuentuales*, adeoque ab his differre *Priores claustrales*, a) nec non *Priores & Praepositos obedientiarum*: 6) praeterea occurrere *Decanos*, ceu *particulares vicarios Abbatis*. \*\* b)

\* *Generales* orti sunt ex *capitulis* seu *conuentibus*, ab ordinibus monachorum emendandae & conseruandae disciplinae causa habitorum. Eadem est origo *Prouincialium*.

\*\* Fuere etiam domini *laici*, qui adscito *Abbatum titulo* monasteriorum possessionem impetrarunt. Possidebant per modum *commendae* (§. CMXXXV.) monasteria, sicuti hodie in Gallia saepius clerici seculares monasteria tenent. Tunc vero non regunt monachos, quippe quod *Priori claustrali* incumbit, sed sunt Abbates saltem ratione *redituum*. THOMASSINVS P.II.L.III. c.16. ESPEN. cit. loc. P. I. tit. 31. c. 7. §. 45.

### §. DV.

De *Abbatibus* vero notandum: 1) quod statim cum monachis inualuerint: c) 2) quod vt plurimum per viam *electionis* promoueantur, quae electio, ad conuentum pertinens, ad normam aliarum electionum peragenda est: (§. CCXCIII. seq.) 3) quod confirmationem aequae a superiore impetrare debeant, & quidem ab *Episcopo*, nisi sint *exempti*:

Observationes quaedam de Abbatibus.

U 3

(§.

a) c. 6. X. de stat. monach.

b) TAMBRINVS de iur. Abbat. T.III. diff. 2. qu. 2. nr. 3.

c) ALTESERRA cit. loc. L. III. c. 8.

(§.CCCXXV.\*) 4) quod plura cum *capitulo* agere debeat Abbas, quo congregato *iure suffragii* monachi gaudent; d) 5) quod quidam sint vel *mediati*, vel *immediati*, idque duplici respectu, tam *hierarchiae*, quam *imperii* nostri. Illi sunt, qui nullum superiorem, nisi *Pontificem*, agnoscunt; hi, qui *status imperii* sunt: 6) quod hi posteriores vel *principali dignitate* fulgeant, vel saltem *curiatim* vota ferant: denique 7) quod quidam sint *mitrati* seu *infulati*, (§.CXCIV.\*) qui *Pontificalibus insigniis* uti possunt; quidam *non mitrati*.

## §. DVI.

Status singulorum monachorum priuatus.

Quum tandem monachi *statum* suum rite obseruare teneantur, (§.CCCCXCIII. 8.) consequens est: 1) ut Abbas diligenter attendere debeat, quo id fiat: 2) ut hic status potissimum consistat in *obseruatione* omnium *regularum*, quae tam a *noitiis*, quam a *professis* obseruandae sunt; e) 3) ut potissimum obseruare debeant tria illa decantatissima vota: a) *obedientiae*, in quo certissimum humilitatis argumentum quaerunt: β) *paupertatis*, quod tamen saltem de singulis, non de corporibus, praedicatur: γ) *castitatis*, quod primario in renuntiatione matrimonii consistit: 4) ut vota violantes & ad seculum redeuntes *apostatae* (P. II. §.CCCXVI. seq.) adpellentur, & ad reditum compellantur: 5) ut de reliquo

d) c. 8. X. de *stat. monach.*

e) c. 6. & 7. X. *cod.*



quo status monachorum quoad *singulos* ita comparatus sit, ut fere omnium *iurium vsu priuati* uiuant, in *corpore* vero omnium *iurium vsu* plenissime possideant. \* f)

\* Haec omnia de monachis obtinent. Dantur tamen etiam Prioratus & Abbatiae seculares weltliche Stifter, ubi vota haec exsulant.

## DE VSV HVIVS DOCTRINAE INTER PROTESTANTES.

### §. DVII.

Dantur etiam inter Protestantes monasteria, sed *monachi* ignorantur. Personae, quae in illis sub Abbatum regimine adhuc viuunt, dicuntur *conuentuales*. Abbates plerumque ab illis eliguntur, (§. DV. 2.) *confirmatio* vero *mediatorum* pertinet ad Principem, licet Abbates *diuersae religionis* sint. *Immediati* vero Abbates Augustanae confessionis *nulla confirmatione* indigent, (§ CCCXXXIII.) *Scholarum oblatorum* species (§. CCCCXCIV. 4.) adhuc alicubi in mediatis monasteriis occurrunt, immo quandoque ipsa monasteria

Status monachorum inter Protestantes.

U 4

in

f) conf. de monachis in vniuersum HOSPINIANS de orig. monach. MABILLON de studiis monasticis, CHOPPINI monasticon, EDMUND. MARTENE de antiquis monach. ritibus. HELYOTTE l'histoire des ordres monastiques religieux & militaires & des congreg. secul. de l'un & de l'autre sexe. F. FLORENS opp. T. II. pag. 34. CLAUD. DELLE, qui sine nominis adpositione edidit: Hist. ou antiqu. de l'etat monast. & relig. HERMANT Hist. de l'etablis. des ordres relig. PHIL. BONNANI ord. relig. catal. GABR. d'EMILLIANNE History of Monastical Orders.

*in scholas* fuere mutata. Deinde licet conuentuales plerumque in *coelibatu* viuunt, *nulis* tamen *votis* adstringuntur. Propterea non amittunt proprietatem, nec adeo coecam obedientiam praestant, nec, si resignare velint, matrimonio arcentur. Sic etiam professionis solemnia (§. CCCCXCVI.) apud nos non obtinent.

## §. DVIII.

Doctrina  
Protestan-  
tium de  
votis.

Vota *possibilia* & *licita* non reprobamus, licet quatenam talia sint cum Pontificiis non conueniamus. Vota vero dispescimus in *realia* & *personalia*. Haec conscientiae cuiusvis relinquuntur; intuitu illorum sequimur ius ciuile. Votorum vero arbitri nec sunt ministri ecclesiae, nec consistoria. Sic etiam redemptionem, absolutionem aut commutationem votorum (§. D.) ignoramus.

## TIT. XXXVII.

## DE ERIMITIS.

## §. DIX.

Connexio  
& origo  
eremita-  
rum.

**N**on omnes *μονάζοντες* ad PACHOMII instituta se componebant, (§. CCCC LXXXIX.) sed quidam deserta adhuc incoluerunt, & *anachoretæ* & *eremitæ* vocati fuerunt. g) Erant veri monachi, seu *solitariam vitam agentes*; (§. CCCCLXXXVIII. \*) verum cum postea illi *monachi* dicerentur, qui *votis* essent adstricti, (§. CCCCXCI.) *eremitæ* seu

g) vid. Nou. V. c. 3.

feu *anachoretæ* monachis amplius non fuerunt adnumerati. Sunt itaque hodie eremita: *homines suo pte ingenio secessum petentes, ubi vel singuli soli, vel bini ac trini instar monachorum viuunt.* Description,

## §. DX.

De his pauca obseruanda: 1) quod in *solitudine* viuant, nec tamen, 2) licet plures communionem ineant, *monachi* sint, quia *nulla vota* edunt: 3) quod propterea *bonorum proprietatem* non amittant, sed de his testandi facultatem retineant: *b)* 4) quod uero ut plurimum nihil aliud, quam ipsam paupertatem, relinquunt, in cuius solatium hanc vitam eligunt, ut pinguiores eleemosynæ ipsis obuenant: 5) quod tamen, quia hac vita simul ad perfectionem quandam tendunt, in *caelibatu* viuant: 6) quod proprio ausu nemo hunc statum eligere possit, sed *licentia Episcopi* opus sit: 7) quod Episcopus circumspicere debeat, num vera deuotione ad hoc vitæ genus impellantur: 8) quod varia *pietatis exercitia* illis incumbant. *i)*

Miscellaneæ  
obseruationes  
de illis.

## TIT. XXXVIII.

## DE

RELIGIOSIS VIRGINIBVS SEV MONIALIBVS,

## §. DXI.

**F**eminae religiosae reguntur ad modum *religiosorum*, & in plurimis instituta viro- Connexio.

U 5 rum

*b)* c. 8. C. 19. qn. 3.

*i)* SVARESIVS ad *S. Nili opera* pag. 680, sequ.

Origo monachialium.

rum sequuntur, adeoque breviores in harum statu & institutis enucleandis esse possumus. Sicut enim ἀσκησις primitiuorum Christianorum monachos peperit; ita & *moniales* produxit, nec antiquior est vita ascetica virginum, quam masculorum. \* In oriente etiam ad exemplum masculorum in *solitudine* egerunt, k) Sec. vero IV. etiam in occidente haec vita inualuit, & tunc a ratione decori alienum reputabant, in agris & solitudine virginum & viduarum sodalitia vagari, proinde non solum in *urbes* receptae, verum etiam postea *monasteriis* inclusae fuerunt. Dicebantur: *Virgines DEO sacratae, Ascetriae, Nonnae, Monachae.* l)

\* Quidam has feminas a temporibus Apostolorum arcessunt, & ad testimonium Ignatii prouocant ALTESERRA *ascet. Lib. III. c. 12.* sed nihil infert hoc testimonium, nisi quod quaedam feminae in ἀσκήσεις vixerint.

### §. DXII.

Progressus. Introduta *regula Benedicti* (§. CCCCXCI.) & *feminae* eius institutum adsumserunt, in quo rursus masculos imitabantur. Viuebant sub custodia *matris*, nec tamen ingressus omnis ad eas erat prohibitus. Prohibant quandoque in publicum, sacris ordinariis intererant, m) donec tandem licentia quarundam

k) CHRYSOSTOMVS *Homil. VIII. in Matth. L. 1. C. Theod. de bon. cleric.*

l) GREGOR. TYRONENSIS *Lib. X. c. 16.*

m) S. BASNAGIVS *diff. de sacris virginibus anal. T. II. pag. 510.*

rundam effectum fuerit, vt *claustris* tanquam *carceribus* includerentur, propria templa acciperent, nec nisi iusta caussa & licentia ab Episcopo impetrata, egredi possent. n)

## §. DXIII.

Sunt itaque virgines religiosae: *Personae* Descriptio virginum religiosarum. *Deo desponsatae, quae claustris inclusae, a mundo separatae iuxta regulas religiose sub imperio superioris viuunt.*

## §. DXIV.

Hinc notanda axiomata: I. Religiosae Axiomata. virgines faciunt professionem maioribus sollemnitatibus ac monachi. II. Continentur quadam vi in officio sibi praescripto. III. Habent peculiaria sacra. IV. Parent superiori.

## §. DXV.

Ex primo intelligimus: 1) cur praeter professionem consecratio quaedam accedere soleat: 2) cur olim ante annum XL. aut XXV. ad professionem non fuerint admittae: o) 3) cur *Episcopo* consecratio reseruata fuerit, p) adeoque 4) haec, quia *actus pastoralis* est, ab *Abbatissa* expediri non possit: q) 5) cur olim tot sollemnitates adhibitae fuerint;

n) conf. conc. Trid. *Seff. XXV. de reform. c. 5.*

o) c. 13. *sequ.* C. 20. *qu. 1.*

p) c. 1. C. 26. *qu. 6.*

q) ANDR. DV SAVSSAY *panopl. sacerd. L. II. pag. 542. sequ.*

rint; r) hodie vero plerumque Presbyter loci, virginem velet, sollempniaque vota ritu singulorum monasteriorum recipiat: 6) cur etiam hic *libera professio* desideretur, licet quandoque coactam admittant: (§. DI. 5. & 6.) denique 7) notandum etiam, *viduas* professionem facere, quarum tamen velum non *consecrationis*, sed *continentiae & obseruantiae* dici solet. s)

## §. DXVI.

Et arcte custodiantur?

Ex secundo (§. DXIV. 1.) videre licet: 1) cur ne *feminis* quidem ad religiosas virgines penetrare liceat: t) 2) cur cum exteris non nisi per *transennam* loquantur: 3) omnia etiam, quae ad esum pertinent, per *rotam* accipiant: 4) cur tamen *mendicantibus stipem* colligere liceat; 5) *ruri monasteria* habere nequeant: 6) cur eas violare, aut pudicitiam earum attentare instar *sacrilegii* sit: cur 7) statum suum stricte obseruare debeant. (§. DVI.)

## §. DXVII.

Qua ratione sacra peragant?

Ex tertio (§. DXIV. 2.) discimus: 1) quod *propria oratoria* monasterio contigua habeant: 2) quod, quum illis, in administratione verbi diuini & sacramentorum, virorum industria opus sit, eligant *facellanos*, qui ipsis a confessionibus sunt: 3) quod simul eligant *praedicatores*: vt vero eo liberius conscientiam

r) MARTENE *de antiqu. eccl. ritibus* T. III. L. 1. c. 6.

s) *Histoire de l' état monast.* T. II. c. 21.

t) Conc. Trid. *cit. loc.*

tiam nudare queant, 4) *confessionarii* ter quaterue quotannis ad illas mittuntur: 5) vt tamen iunctis illis, quae ante diximus, (§. DXVI.) per se constet, praecautiones quasdam circa tales confessionarios adhibendas esse: denique 6) etiam moniales quodammodo in *clericas & laicas* diuidi, (§. DIII. 2. seq) quia & hic occurrunt *sorores choristae & sorores laicae*,

## §. DXVIII.

Ex quarto denique rursus elucescit, 1) & Quatenus  
moniales varios agnoscere *superiores*: (§. Episcopo  
DII.) 2) eas subesse *Episcopo*, etiam si *exemptae*, substat.  
quia illi tunc qua *Pontificis delegato* parent; Cistercienses vero & Mendicantes regi ab horum *ordinum monachis*, & subesse *ordinis Generalis*: 4) praeterea subesse *Abbatissis* vel *Priorissis*, illisque vel perpetuis vel triennialibus, quae plerumque per *electionis* viam promouentur, & sollempni *benedictione* inaugurantur: 5) *Abbatissis* & *Priorissis* plerumque *aliae matronae* per electionem adiunguntur, quae in rebus minoribus consilium praebent: 6) alicubi in quibusdam ordinibus *manu regia* constitui *Abbatissas*. u)

## §. DXIX.

In nostra Germania etiam *Abbatissae* vel *Abbatissarum status in Germania.*  
*mediatae* sunt, vel *immediatae*, idque duplici respectu. (§. DV. 5.) Quae intuitu *Imperii*

n) conf. in vniuersum de monialibus PELLIZARIUS de monialibus. TAMBYRINVS de iur. Abb. & Abbatiss.

*perii immediatae sunt, exercent iurisdictionem territorialem cum voto in comitiis curiatim dando, & Praelatorum immediatorum collegio adnumerantur. x)*

§. DXX.

De cano-  
nillis.

Deinde quum iam supra obseruatum fuerit, institutum Chrodogangi etiam ad feminas transfuisse, (§. CCCCLXXIV.) pauca de his tanquam per indicem adnotanda sunt: 1) *canonicas feminas* cum canonicis conuenisse, quod voto paupertatis haud essent constrictae: (§. CCCCLXXV.) 2) sicut canonici Episcopo ad obedientiam obstricti erant; ita & *canonicae Abbatissae*: 3) eas ceu *clericam vitam* professas in *caelibatu* vixisse. 4) Sec. XI. quasdam voto paupertatis constrictas fuisse: quasdam proprietatem conseruasse: (§. CCCCLXXV. 5) 5) illis etiam praeter Abbatissam praeesse *Decanissam, Praepositam*: (§. CCCCLXXV. 4.) 6) longe liberiores esse conditionem canonissarum ac monacharum, adeoque illas *nuptias* contrahere posse, sola *Abbatissa* excepta.

§. DXXI.

Vfus do-  
ctrinae in-  
ter Prote-  
stantes.

Occurrunt etiam inter Protestantes *monasteria feminarum*, vbi educari solent virgines. Occurrunt *canonissarum collegia*. Nullis tamen *vetis* constringuntur feminae. Eadem itaque hic obtinent, quae iam de conuentualibus obseruauimus. (§. DVII. \*) Gaudent

x) IMHOF *notit. Procer. imper.* L. III. c. 29.

y) III. BOEHMER *iur. eccl. Prot.* L. III. tit. I. §. 21.



dent *proprietate facultateque matrimonii in-*  
eundi, si resignare velint. Nec *Abbatissae*  
nuptiarum sollemnia prohibita sunt, z) atque  
haec obtinent, siue sint feminae *conuentsua-*  
*les*, siue *canonissae*.

## TIT. XXXIX.

DE

SACRIS ORDINIBVS EQVESTRI-  
BVS.

## §. DXXII.

**O**Rdines sacros militares cum *canonicis* Connexio.  
conuenire iam innui. (§. CCCC  
LXXVI. \*) Conueniunt vero etiam in mul-  
tis cum institutis *monasticis*, sicuti etiam  
quidam exinde natales ducunt. Sequun-  
tur denique eatenus *seculares canonicos*, quod  
in communi haud viuant. Quia itaque de  
horum omnium statu participant, paucis de  
illis agendum erit.

## §. DXXIII.

Origo horum ordinum arcessenda e Pa- Origo or-  
dinum mi-  
litarium.  
laestina, vbi tres celebriores nati: *Templa-*  
*rii*, *Hospitalarii* seu *S. Iohannis*, & *Teutonici*.  
*Hospitalariorum* institutum ab initio magis  
monasticum, quam militare fuit. Cum ve-  
ro Sec. XII. *Templarii* coaluerint, etiam *Ho-*  
*spitalarii S. Iohannis* militiae operam dede-  
runt. a) Ex his compositus quasi fuit ordo  
fra-

z) Ill. BOEHMER *cit. loc. tit. 3. §. 23.*a) vid. AVB. MIRAEVS *origg. ord. equestr. L. I. c. 2.*

fratrum Teutonicorum, qui etiam ab initio speciem monastici instituti elegerunt, postea vero ad reliquorum exemplum *militiam sacram* sequuti sunt. *b)*

## §. DXXIV.

Fata eorum.

Fata eorum in terra sancta varia fuere. Occupata vero illa anno MCCXCI. a Sultano, tres hi ordines solum nativitatibus relinquere coacti sunt. *Templarii* per totam Europam sese disperferunt & aucti sunt bonis in tantum, ut invidiam regum & aulae Romanae in se concitarent, sicut enim Clemens V. & Philippus pulcher, Rex Galliae, in eorum internecionem conspirarunt, & propositum executioni dederunt. *c)* Fratres ordinis Iohannitici primo in Insulam Cyprum se receperunt, post insulam Rhodiam occuparunt. Tandem illis insula Malta obuenit. Inde audiunt *Maltheser Ritter*. Immo etiam in aliis regnis bona obtinuerunt. *Teutonici* in patriam reuersi ibi plura bona consequuti sunt, quae nunc sub *Baliuarum* & *Commendaturarum* titulo ab illis possidentur.

## §. DXXV.

Plures postea orti.

Descriptio horum ordinum.

Ad horum ordinum imitationem plures postea, maxime in Hispania, prodierunt. *d)* Est vero sacer ordo equestris: *ordo religiosus seu ecclesiasticus, qui ad religionem contra impu-*

*b)* CONF. IO. CASP. VENATOR vom teutschen Marias nischen Ritter-Orden, c. 1.

*c)* vid. THOMASIVS diss. de Templar. ordine sublato.

*d)* vid. ANDR. MENDO de ordin. militar.

*pugnatores armis defendendam voto se ita obstringit, ut singuli sub superiore, ad exemplum religiosorum & militum, regulariter viuant, & stipendia propterea percipiant.*

## §. DXXVI.

Hinc fluunt axiomata: I. Qui in ordine Axiomata. militari sacro viuunt, sunt clerici, seu personae ecclesiasticae. e) II. Militia contra infideles & haereticos, est species cultus diuini. III. Quia milites sunt & monasticae vitae schema quodammodo continuant, subsunt superiori. IV. Possident beneficia per modum Commendarum. V. Viuit quidem quilibet ordo iuxta propria instituta, in multis tamen communibus iuribus vtuntur.

## §. DXXVII.

Ex primo axioma discimus: 1) quare Sunt clerici. plerique ordines regulam *canonicorum regularium* adsumferint: 2) *tria vota* more horum canonicorum & monachorum edant: 3) *Nomine fratrum & titulis ecclesiasticis gaudeant*: (§. CCXCIII. \* & §. CCCXCIII. 4.) 4) *religiosis adiuncti sint*: f) 5) *foro priuilegiato gaudeant*: 6) *capitula habeant*: (§. CCCCLXXXV.) 7) *quidam loco horarum canonicarum* (§. CCCCLXXXI. 3.) *ad recitationem certarum precum obligati sint.* g) (§. DXXIX. 12.)

## §. DXXVIII.

e) BARBOSA *inr. eccl.* Lib. III. c. 7.

f) c. 3. X. *de priuil.*

g) MENDO *cit. loc. Disquis.* 13

## §. DXXVIII.

Militant ve-  
ro armis  
carnalibus.

Ex secundo (§. DXXVI. 2.) intelligis: 1) hos militare pro ecclesia armis *carnalibus*, cum reliquorum clericorum arma *spiritualia* sint: 2) fluere id ipsum ex principio, quod fides armis propaganda sit, & 3) ecclesiam esse rempublicam separatam independentem: (§. V.) 4) latere hic arcanum Pontificis, ut sic propriam *militiam domesticam* habeat.

## §. DXXIX.

Subsunt fu-  
periori.

Ex tertio (§. DXXVI. 3.) sequitur: ut quidem 1) omnes ordines Papae subsint; ita tamen, ut 2) singulis ordinibus praesit *magnus ordinis Magister*: 3) ut hi Magistri adpellationibus inter se distinguantur, & sic, qui Iohanniticum ordinem regit, dicatur *magnus Magister, der Groß-Meister*; qui Teutonicum dirigit, *der Hoch- und Deutsch-Meister*, qui inter Status imperii est relatus, & mox post Salisburgensem Episcopum sedere cupit: 4) ut sub his varii *Sub-officiales* militent, qui inter Praelatos & ecclesiasticos ordines referuntur: b) 5) ut in specie notari debeat, ordinem Iohanniticum sese diffundere in octo nationes, quas *linguas* appellant, sub quibus *Prioratus, Baliuiae, Commendae* occurrunt: i) 6) ut hic potissimum notanda sit lingua Germanica, & ex illa *Prioratus Germaniae,*

b) SCHILTER *institutt. iur. can. L. I. tit. 12. §. 3.*

i) OSTERHAVSSEN im Bericht vom Ritter-Orden zu Malta.

niae, & Baliuia Brandenburgica, propterea quod Prior titulum gerat: *Ordinis S. Iohannis Baptistae Hierosolymitani supremi per Germaniam Magistri*, Iohannitæ Meister, & etiam inter ordines imperii relatus sit; Baliuia vero Brandenburgica superbiat titulo *Magisterii domini*, nostra vernacula, *das Meisterthum*, *das Herren-Meisterthum*, & qui hanc Baliuiam regit, *der Herren-Meister* dici solet: 7) vt ordo Teutonicus etiam certas prouincias vel Praefecturas teneat, quas *Baliuias*, *Baleyen*, dicunt, quibus praesunt *Commendatores prouinciales*, sub se habentes *Commendatores simplices*: 8) vt in ordine Iohannitico capita nationum seu linguarum magni ordinis Magistri *senatum* constituent: ipsi vero Priores singularem prouinciarum rursus *capitulum* ex *Baliuiis capitularibus* conflare soleant: 9) vt in Teutonico ordine commendatores prouinciales *capitulum Magistri* constituent, quilibet vero commendator prouincialis in sua Baliuia *speciale capitulum* colligat: 10) vt hi Praelati per electionem promoueantur; subofficiales vero summi Magistri facta electione ab eo *confirmationem* impetrent: 11) vt ordinis Iohannitici equites, exceptis iis, qui Baliuia Brandenburgicae addicti sunt, ad *vota monachalia* (§. CCCXCVII. 3.) obstricti sint, his vero, sicuti equitibus Hispaniae, caelibatus impositus haud sit: 12) vt Teutonici ordinis equites vel *clerici* sint, vel *milites*: illi

*sacris* operam dent, & ad *canonicas horas* obstricti sint; hi *militiae* vacent, & loco horarum *canonicarum preces* fundant. (§. D XXVII. 7.)

## §. DXXX.

Tenent  
Praebendas.

Ex quarto, (§. DXXVI. 4.) colligimus: 1) has Commendas referri inter *bona ecclesiastica mediata & immediata*: 2) esse reuera *beneficia titulata*, (§. CCXIV. 1. & §. DCCC LVIII. seq.) & saltem ex prisco ecclesiae more nomen retinuisse: 3) propterea has Commendas non conferri per modum *dispensationis*, (§. CMXXXV.) sed, 4) *ordinaria via*, adeoque & *personas qualificatas* desiderare. k)

## §. DXXXI.

Communia  
horum ordinum  
iura.

Denique ex ultimo (§. DXXVI. 5.) notandum: 1) quod in Germania saltem *nobiles* ad hos ordines admittantur: 2) quod regulam Augustini profiteantur, & propterea ad certas *preces* quotidie fundendas obstricti sint: (§. DXXVII. 7.) 3) quod *vota* edant, (§. DXXVII. 2.) quae tamen in Sonneburgicis & Spanis admodum temperata sunt, stricte tamen quoad alios Iohanniticos & Teutonicos obseruantur: 4) quod Commendas, Baliuias, & Prioratus instar *beneficiorum* teneant: (§. DXXX.) 5) quod Baliuia & Prioratus instar Praelaturarum per *viam electionis*, (§. DXXIX. 10.) Commendae vero per

k) COCCIVS *diss. de titul. & Commend. conuenientia* §. 26.

per viam *Collationis* instar Praebendarum conferantur. *l*) (§. DCCCLXVII. seq.)

## TIT. XL.

DE

## MAIORITATE ET OBEDIENTIA.

## §. DXXXII.

**Q**um ecclesia separata respublica sit; *Connexio.*  
non potest non sequi, varios dari ecclesiasticos magistratus, atque inter eos *subordinationem* requiri. (§. V. 6.) Omnis enim respublica constat ex imperio & subiectione. Hinc ordini imperantium *maioritas* tribuitur, quae clericis hic intuitu laicorum absolute vindicatur; (§. VII.) ratione vero clericorum inter se, cum & hic subordinatione necessaria sit, (§. CLXVIII. seq.) maioritas illis adscribitur, qui *alios clericos suo imperio subiectos* habent. Sicuti vero de structura hierarchiae (§. I. seq. §. CL. seq. §. CC. LXIII. seq.) & passim iam actum est; ita nunc de *ordine & subiectione clericorum inter se* pauca adhuc monenda erunt.

## §. DXXXIII.

Est itaque maioritas: *vel proedria, praerogativa & iurisdictio in ecclesias subiectas alios.* *Quid maioritas?*

X 3

que

*l*) conf. de his ordinibus AVB. MIRAEVS *de origine equestr. seu militar. ordinum.* BECMANN *vom Johanniter-Orden.* LVDOV. LIEBHARD *de ord. Iohannitico.* HERMANT *Hist. des ordres milit.* PHIL. BONNANI *catalogo de gli ordini equestri e militari.* ADR. SCHOENEBECK *de tous les ordres milit.*

*que clericos; vel praerogatiua, qua quis ceteris, qui ei pares sunt, dignior habetur, & maiori honore adficiendus est.\* m)*

\* Sic maioritas *subordinationem* vel praerogatiuam clericorum inter se demonstrat, cum alias etiam *imperium* sacrum denotet, ubi omnes laici parent. (§. VII.)

#### §. DXXXIV.

Axiomata.

Inde notanda axiomata: I. Maioritas oritur ex subordinatione iurisdictionis: II. Ex ratione diuersorum ordinum ecclesiasticorum: III. Ex priuilegio seu iure singulari: IV. Ex praestantia ordinatoris; V. Ex tempore: VI. Ex potestate delegata: VII. Ex consuetudine.

#### §. DXXXV.

Confectaria  
primi axio-  
matis.

Ex primo facile adparet, cur ita cohaereat hierarchiae subordinatio: 1) vt caput sit *Pontifex Romanus*: (§. CCLXXXIII.) proximum ab illo locum obtinent 2) *Cardinales*, (§. CCLXXXVIII. seq.) 3) *Legati*, (§. CCCXLVIII. seq.) 4) *Patriarchae*, (§. CCLXXI. seq. & §. CCLXXVII. seq.) 5) *Primates*, (§. CCLXIX.) 6) *Archi-Episcopi & Metropolitae*, (§. CCLXVII.) 7) *Episcopi*, (§. CCXLI. seq.) 8) *Protosotarii* apostolici, (§. CIX.\*\*\*), 9) *Vicarii* seu *Officiales* Episcoporum, (§. CCCXXXIX. seq.) 10) *Capitula* cathedralium ecclesiarum (§. CCCLXXXIX. sequ. & §. CCCCLXXXIII. sequ.) 11) *Praelati* seu *Abbaes*, (§. DIV. seq.) 12) reliqui *Clerici*, inter

m) WIESTNER *institut. iur. can.* h. t.



ter quos vero maioritas aliunde aestimatur.  
(§. DXXXVII. seq.)

### §. DXXXVI.

Ex secundo (§. DXXXIV. 2.) sequitur: *Secundi.*  
1) vt Episcopus omnibus praefendus sit clericis: (§. CCXLI.) 2) vt hunc sequantur Presbyteri. (§. CCXXX. sequ.) hos 3) Diaconi, (§. CCXXIII. seq.) 4) hos Sub-Diaconi, (§. CCXVIII. sequ.) 5) hos Acoluthi, (§. CCVI. sequ.) hos 6) Exorcistae: (§. CCV.) 7) hos Lectores, (§. CXCIV.) hos 8) rursus, Ostiarii, (§. CCIII.) hos denique 9) Abbates. \* (§. DV.)

\* Ita olim, vbi monachi nondum clerici erant; (§. CCCXC.) hodie vero, cum monachi clerici sint, (§. DIII.) & Abbates in dignitate viuant, (§. DIV. sequ.) aliam faciem res induit.

### §. DXXXVII.

Ex tertio (§. DXXXIV. 3.) consequens est: *Tertii.*  
1) vt Abbates mitrati seu infulati, *principali dignitate* fulgentes, *Gesürstete Aebte & exemti* (§. DV. 5. seq.) ceteris praeferantur: 2) vt *Episcopi exemti* (§. CCCLI. 3.) prae aliis *proedriam* obtineant, quia Archi-Episcopis æquiparantur. Quum vero iuxta axioma IV. (§. *Quarti.* DXXXIV. 4.) etiam praestantia & dignitas ordinatoris considerari debeat, sequitur, vt ex illis, qui *eiusdem ordinis* sunt, ille praefendus sit, qui a *Papa ordinatus* fuit. \* n)

X 4

\* Ni.

n) c. 7. X. de maiorit. & obedientia.

\* Nihilominus tamen inter personas eiusdem ordinis, etiam *dignitas* quoad *maioritatem* consideranda est. Sic Presbyter cardinalis, Presbyter canonicus cet. omnino antecedit Presbyterum parochum aut ruralem.

§. DXXXVIII.

- Quinti. Ex quinto, (§. DXXXIV. 5.) per se fluit, quod ex pluribus paribus & eiusdem ordinis is praefertur, qui *prior ordinatus* est. o)
- Sexti. Ex sexto (§. DXXXIV. 6.) constat: 1) Diaconum, *vices Episcopi* gerentem, Presbytero maiorem esse: p) 2) *vices* ipsas æstimandas esse *ex potestate*, & sic Archi-Diaconum superare Archi-Presbyterum, (§. CCCCXXIII.) cum tamen in sacris Archi-Presbyter Archi-Diaconum antecedar. (§. CCCCXXX. 7.) Ex ultimo denique (§. DXXXIV. 7.) discimus, cum consuetudo legis habeat vigorem, (§. CXXXVIII.) ei in proëdriae quaestionibus potissimum standum esse. q)
- Septimi.

§. DXXXIX.

Quid obedientia? Quum vero maioritas ex Subordinatione oriatur, (§. DXXXIV. 1.) facile patet, cum honore etiam *obedientiam* coniunctam esse. Est vero obedientia: *Subiectio, quam inferior superiori vel officii, vel beneficii, vel status ratione, iuxta iuris statuti que normam, vel manu data, vel iuramento promittit, r) vel ex ipsa hierarchie nature ad illam obligatur.*

§. DXL.

- o) c. ult. D. 17. c. 1. X. de maior. & obed.  
 p) c. ult. D. 93.  
 q) WIESTNER cit. loc. nr. 24.  
 r) c. 3. 10. & 13. X. de maior. & obed.

## §. DXL.

Hinc inferunt: 1) omnes in dioecesi *Epi.* <sup>Confesta-</sup>  
*scopo hanc obedientiam* praestare debere, siue <sup>ria.</sup>  
 clerici sint, siue laici cuiuscunque conditio-  
 nis: 2) denegantem hanc obedientiam ab  
 ecclesia eiiciendum esse: 3) quemlibet per  
 alias *cenfuras* ad eam praestandam adigi pos-  
 se: 4) clericos eam praestare in omnibus caus-  
 sis, exceptis *feudalibus*: laicos saltem in *spi-*  
*ritualibus* & ecclesiasticis: 5) dici hanc *obe-*  
*dientiam canonicam.* s)

## §. DXLI.

Subordinationem etiam inter Protestan- <sup>Vfus do-</sup>  
 tes occurrere, iam supra obseruavi. (§. C <sup>ctinae in-</sup>  
 LXXXVIII.) Vidimus etiam, qua ratione qui <sup>ter Prote-</sup>  
 dam primam sedem teneant cum auctoritate, <sup>stantes.</sup>  
 (§. CCLVI. seq.) quae tamen saltem *inspectio-*  
*nem* non iurisdictionem tribuit: (§. CCLXI.  
 seq.) dari Archi. Diaconos, (§. CCCXXV.)  
 Diaconos, Sub. Diaconos, (§. CCXXVII. seq.)  
 aliosque parochos. (§. CCCCLXIV. seq.)  
 Sicuti vero ecclesia omnis imperii expers  
 est, nec doctoribus tale quid competit;  
 (§. XXV. 2.) ita per se inde fluit, talem sub-  
 ordinationem esse, qualem *aequale collegium*  
 permittit, exulare sic omnem subiectionem  
 & canonicam obedientiam; (§. CLXXXV. i.)  
 licet illi, quos ad *minores ordines* nostrates  
 referunt, (§. CCVII.) in rebus ad officium  
 spectantibus, Praepositis suis *strictius obse-*  
*quium* praestare teneantur.

X 5

TIT.

s) vid. LINCK *de iur. Episcop.* c. 10. nr. 8. sequ.

TIT. XLI.  
DE ORDINATIONE.

§. DXLII.

Connexio. **V**idimus varios gradus clericorum & ordines. Nullus vero in ordine esse dicitur, nisi qui per *ordinationem* in illum receptus est. Licet enim officium ecclesiasticum gerat, propterea tamen non est clericus, quum etiam *laicalia* eiusmodi officia sint. Nec sufficit praesentatio, vocatio, aut electio, quippe quae personam tantum designant. Immo nec prima tonsura sufficiens est, quum illa saltem *clericatum*, (§. CXCIII. seq.) non vero specialem *sacram potestatem* conferat, quae demum per ordinationem acquiritur, ad quam proinde crdo nos ducit.

§. DXLIII.

Ordinatio-  
nis descri-  
ptio.

Est autem ordinatio: *solemnis inauguratio personae habilis, ad officium ecclesiasticum electae & rite vocatae, conferens gratiam & potestatem obeundorum munerum ecclesiasticorum.* \* 1)

\* Absolutae necessitatis & *iuris divini* eam esse arbitrantur, & argumenta ab impositione manuum, quae in sacris occurrit, depromunt. Expeditum est, ad euangelium praedicandum missis manus impositas fuisse, *Act.* XIII. 2. sed quem in finem? Non ut otiosos doctores titulares crearent, sed ut hi, quibus manum imponent, spiritu sancto implerentur, *Act.*

VIII.

---

1) CORVINUS *de person. & benefic. eccles.* L. II. tit. 14. nr. 1.

VIII. 17. *sequ.* IX. 12. 17. Hinc non cuius haec gratia obtigerat, ut mediante manuum impositione spiritum sanctum conferre potuerit, cum hanc potestatem ipsi Apostoli *ἀποστόλων τῶ ὄρει* adpellarint. *Act.* VIII. 20. Sicuti vero apud iudaeos in creatione Presbyterorum manuum impositio adhibita fuit; ita eam etiam Episcopi post Apostolorum excessum retinuerunt, licet cum apostolico effectu manus imponere non potuerint. Sic degeneravit in ritum ecclesiasticum. Ex quo vero Episcopi se *Apostolorum successores* iactarunt, simul sibi persuaserunt, quod in omnem apostolicam potestatem successerint, adeoque eodem modo sua manuum impositione Spiritum Sanctum conferrent.

#### §. DXLIV.

Ordinatio vero, quia vel maiores aut fa- Diuisio.  
 cros ordines confert; (§. CCX.) vel minores  
 aut inferiores: (§. CC. seq.) eatenus ea in *ma-*  
*iolem & minorem* diuiditur.\*

\* Eatenus tacite *reiterationem* ordinationis concedunt, quam tamen alias admittere nolunt. (§. DXLIX. 2.)

#### §. DXLV.

De vtraque tenenda axiomata: I. Ordini- Axiomata.  
 natio desiderat habilem ministrum, qui eam  
 administrat; II. Certas in ordinando quali-  
 tates; III. Obseruanda in administratione  
 accurate forma praescripta; IV. Producit  
 varios effectus.

#### §. DXLVI.

Quum itaque ordinatio desideret habi- Ordinarius  
 lem ministrum, (§. DXLV. 1.) inde videmus, ordinatio-  
 1) cur

nis mini-  
ster Episcopi  
pus.

1) cur inferant Pontificii, *Episcopos* solos iure diuino hanc potestatem exercere; (§. CCXLVI. 2. γ) u) 2) nullam adesse ecclesiam veram, vbi deficiunt Episcopi; (§. IV. seq. & §. XX. \*) 3) illum demum ordinationem impertire, qui ipse iam ordinatus est; (§. CCCXL. 2.) 4) vt proinde etiam *depositus Episcopus*, aut qui *renuntiauit*, permissu ordinarii Episcopi eam peragere possit x) cum 5) ordinandus ordinatoris *iurisdictioni* debeat esse subiectus; γ) 6) vt tamen non competens tunc ordinare possit non subditum, si hic a suo Episcopo *litteras dimissoriales* exigit; z) 7) vt *Abbat*es, qui iam Presbyteri gradum consequuti sunt, *minores ordines* conferre queant suis monachis & conuersis. (§. CXCIV. \*) a)

### §. DXLVII.

Qualitates  
ordinando-  
rum.

Quumque ordinatio certas in ordinando *qualitates* desideret, (§. DXLV. 2.) qualitates vero hae olim regulis fuerint comprehensae, (§. CLXXV.) sequitur: 1) vt omnes illi ordinari nequeant, qui his qualitatibus sunt destituti, & propterea *irregulares* sunt: (§. CLXXVI. seq.) 2) nec qui per saltum ascendere volunt: (§. CLXXIV.) 3) vt tamen  
quan-

u) PETAUIVS de potest. consecr. sacerdot. a DEO concess.

x) c. 1. X. de ordinat. ab Episc.

γ) c. 3. de temporib. ordin. in 6.

z) ESPEN. iur. eccl. P. II. tit. 9. c. 3.

a) CIRONIVS Paratitl. ad tit. X. de temp. ordin.

quandoque dispensationi locus sit. (§. CLXXX.)

### §. DXLVIII.

Quumque porro ordinatio facienda sit Forma ordinationis. iuxta *formam* praescriptam; (§. DXLV. 3.) consequens est: 1) vt ordines potissimum maiores conferendi sint inter *missarum solemnia*: 2) a *ieiunantibus*, (§. DCCCIX. 3.) 3) porrectis *instrumentis* ordinem denotantibus cum certa verborum forma: 4) obseruatis *ritibus specialibus*, singulis ordinibus praescriptis, (§. CCIII. seq. §. CCXXI. §. CCXXVI. §. CCXXXVII. & §. CCCXLIII.) 5) in dioecesi: *b*) 6) in ecclesia cathedrali; *c*) 7) debito tempore: *d*) 8) obseruatis interstitiis: (§. DXLVII. 2.) 9) ad titulum: (§. CCIX.) 10) gratis: *e*) 11) peracto prius scrutinio. *f*)

### §. DXLIX.

Quum tandem ordinatio varios *effectus* Effectus. producat, (§. DXLV. 4.) videmus: 1) cur dicatur, quod *vinculum* instar *matrimonialis* inducat; (§. CCCXXXVII.) *g*) 2) cur *reiterari*

*b*) CIRONIVS *cit. loc.*

*c*) Conc. Trident. *Seff.* 23. c. 8. BARBOSA *iur. eccl. Lib. I. c. 33. nr. 193. sequ.*

*d*) CIRONIVS *cit. loc.* CORVINVS *institutt. iur. can. Lib. I. tit. 25. §. 24. sequ.*

*e*) c. 8. C. 1. *qu. 7. add. Tract. meus de Simoniae crimine Sect. 1. c. 3.*

*f*) CORVINVS *cit. loc. §. 27.*

*g*) c. 4. C. 21. *qu. 2. c. 11. C. 7. qu. 1.*

*v*ari nequeat; (§.DXLIV. \*) *b*) propterea quod *characterem indelebilem* imprimat: *i*) 3) cur ordinatio ab *haereticis* illata, obseruata debita forma, valida sit, nisi quis sponte ab haeretico ordinationem impetrasset; *k*) 4) cur illa tribuat potestatem iura ordinis administrandi; *ç*) cur etiam depositi ac suspensi hanc potestatem retineant; 6) cur facta resignatione minister non fiat laicus; (§.CCCLXXXVI.) 7) cur aegre ab officio remoueantur.

## DE ORDINATIONE EX MENTE PROTESTANTIVM.

### §. DL.

Doctrina  
Protestan-  
tium de or-  
dinatione.

Ordinationem iuris diuini haud esse, sed *ritum ecclesiasticum*, vetustissimum tamen, interim vero liberum, nec ad efficaciam sacri ministerii necessarium, moderatiores & prudentiores Protestantium facile largiuntur, qua in re illis iam praeiuit LVTHERVS. *l*) Interim nec defuerunt olim, qui ordinationem more Pontificio describerent. *m*) Praeterea negari nequit, multas reliquias ex hy-  
po-

*b*) CORVINVS *cit. loc. s.* 29.

*i*) c. 97. C. 1. qu. 1.

*k*) c. 4. C. 1. qu. 7.

*l*) vid. SECKENDORFF *hist. Lutheran. L. III. s.* 43.  
*addit. in fin. SPENER Theolog. Bedencken T. IV.*  
*c. 7. art. 4. sect. 25. ZIEGLER de Superintend.*  
*c. 14. §. 13.*

*m*) HVLSEMANNVS *de ministr. ordinat. sacer. d. s. 1.*



pothesi Pontificiorum fluentes, in nostris ecclesiis superesse.

## §. DLI.

Sic iuxta Protestantium hypothesis ordinatio nihil aliud est, quam: *ritus ecclesiasticus, quo mediante solemniter declaratur, quod vocato potestas & functio sacra collata sit. n)*

Descriptio  
ordinationis.

## §. DLII.

Quodsi itaque rem omnem iuxta indolem genuinam seposito partium studio dimensurari velimus, haec inde fluere axiomata: I. Ordinatio nihil aliud est, quam species *institutionis*. II. Nullas desiderat peculiare qualitates in ordinatore, dummodo III. Ordinandi habiles sint. IV. Impertitur saltem illis, qui ad officium obeundum vocati sunt. V. Est ceremonia indifferens.

Axiomata.

## §. DLIII.

Ex primo itaque colligo: 1) ordinationem nihil aliud esse, quam *inuestituram abusuam, o)* (§. DCCCXCII. \*) adeoque 2) merito fieri debere in *ecclesia vacante*. (§. DCCCXCV.) 3) Facta translatione ministri ecclesiae eam *reiterari* posse, sicuti & tunc institutio mediante manuum impositione denuo peragitur. 4) Aliter sentientes saltem vocabulis ludere more Pontificio: cum tamen rem, quam Pontificii sub ordinatione adumbrant, ut plurimum negemus.

Confectaria  
primi axiomatis.

## §. DLIV.

n) Non multum discrepat ab hac descriptione illa, quam tradit HOEFFNER *diff. de ordinatione ministr. eccl.* §. 14.

o) III. BOEHMER *iur. eccl. Prot. L. III. tit. 7. §. 15.*

## §. DLIV.

Secundi. Ex secundo (§. DLII.2.) infero: 1) ordinationis ministrum Episcopum haud esse debere: nec 2) desiderari, vt *ordinator* ipse *ordinatus* sit, quum inuestitura per alias personas conferri possit: 3) rem omnem dependere ex speciali *commissione ecclesiae*, vel *Principis*, si ille iura collegialia ecclesiae exerceat: (§. XC.sequ.) 4) vt etiam tunc peragi possit ab *illo*, qui *renuntiavit*, licet per renuntiationem officii etiam dignitati renuntiasse censeatur: 5) vt nulla *competentia* iurisdictionis ordinatoris in ordinatum desideretur, sicuti etiam nulla iurisdictione nostris clericis competit. (§. CCLXII.)

## §. DLV.

Terti. Ex tertio (§. DLII.3.) recte elicio: 1) in ordinando potissimum respiciendum esse, vt sit iuxta Apostoli monitum *irreprehensibilis*: (§. CLXXIX.\*) 2) vt proinde recte ante ordinationem *scrutinium* adhibeatur: (§. CXC.) 3) vt per *gradus* ad altiora munera adscensus fieri debeat: (§. CXCI.) 4) vt tamen quae de *irregularitate* plerumque adferuntur, attentionem vix mereantur. (§. CXCII.)

## §. DLVI.

Quarti. Ex quarto (§. DLII.4.) constat: 1) ordinationem esse vocationis complementum, adeoque neminem *sine titulo* seu certo *officio* esse ordinandum: nec 2) sufficere titulum *patrimonii*, (§. CCXIV.3.) quem nec adgnouit pri-

primitiua ecclesia: 3) ministerium, quod hic impendunt ordinatores, vtique tale esse, quod *compensationem* laborum admittit. p)

§. DLVII.

Ex quinto denique (DLII.5.) haec consecraria duco, 1) ad nulla certa tempora adstrictam esse ordinationem, licet, quum inuestitura sit, (§.DLIII.1.) tunc recte fiat, vbi *conuenius sacrorum* caussa agitur: 2) recte omis-  
 sisse Protestantes *unctionem*: (§.CCCXLIII.8)  
 3) quo simpliciores sint ritus, eo esse meliores: (§.LXV.) 4) nullum sic necti *vinculum*, quod *matrimonio* aequiparari possit: (§.DXLIX.1.) 5) nec vllum characterem ordinationum sic accipere: 6) recte eos, qui relictis aliis sacris ad nostra transeunt, *rursus ordinari*: 7) ordinationem nequaquam tribuere *iura ordinis*: 8) remotum amittere iura clericalia: (vid.P.II. §.CCCLXXXVII.) 9) eam penitus abrogari posse. q)

Quinti

§. DLVIII.

Plana haec sunt & cum definitione coherentia. Praxin si respicis, in multis recedit, & repudiato principio conclusiones iuris canonici retinent. Sic 1) ordinationes saltem in *principali ecclesia* dioeceseos, immo quandoque duntaxat in illo loco, vbi consistorium est, fieri solent: 2) ius ordinandi potissimum Superintendententi tribuitur: (§.CCLXI.7.) 3) is saltem eam potest peragere,

Consecraria in praxi re-  
 tenta exsententia iuris canonici.

Y

qui

p) Tract. meus de *Simon. crim. Sect. II. c.2. §.31.*

q) vid SPENER *cir. loc.*

qui ipse iam ordinatus est: r) 4) remotum nec ex Principis iussu, vsque dum munus ecclesiasticum recuperarit, ordinationem peragere posse; de reliquo vero s) clericos remotos iura clericalia non amittere: s) 6) ordinationem tribuere iura ordinis, ligandi, soluendi, administrandi sacramenta, t) 7) reinterari eam non posse, si semel debita forma collata.

## TIT. XLII.

## DE VITA ET HONESTATE CLERICORVM.

## §. DLIX.

Connexio.

Quid vitæ honestas?

**C**um clerici omnes, tanquam fors domini, (§. CLIII.) nulla macula notati esse debeant, (§. CLXXIX.1.) merito nunc, quæ ratione irreprehensibiles esse & honestatem colere debeant, enucleandum est. Vitæ honestatem dico: *habitum prædicum animi, vi cuius quis, vitia vitando, virtutem sectatur, & per actus etiam externos decore viuendo, illum ostendit.*

## §. DLX.

Diuisio.

Sic non inepte honestas vitæ in *internam* & *externam* diuiditur. Illa est, vbi quis non  
fo-

r) DEDEKENNVS *consil. Theolog. Vol. I. P. III. membr. 2. Sect. 6. nr. 5.*

s) CARPZOV. *iurispr. consil. L. III. d. 109. nr. 16. d. 117. nr. 3.*

t) L.B. de LYNCKER *de eo, quod inst. est circa sacr. coenam. c. 2. nr. 4.*

solum cupit iuxta virtutem incedere, sed & animi motus irregulares semper reprimit & extinguit, vt *irreprehensibilis* sic: Haec consistit in *decoro externo*. *Viramque honestatem* obseruare debent clerici. u)

## §. DLXI.

Hinc tenenda axiomata: I. Clericū prae- Axiomata.  
bere debent exemplum sua vita, quod alii intueantur & sequantur. II. Obseruare praeterea tenentur in negotiis & officiis decorum externum; & III. Vti habitu decenti.

## §. DLXII.

Ex primo itaque recte infero: 1) clericus Clerici viuunt sancte ac honeste  
debet esse *vere Christianus*: 2) reliquis exemplum praebere *verbo, vita, amore, spiritu, fide, castitate*: x) proinde 3) nullas *concupinas* alere, \*y) sed potius 4) *extra matrimonium* castitatem colere; \*\*z) saltem 5) si sint orientales clerici *in matrimonio* eam obseruare: a) 6) temperantiae in *cibo ac potu* studere, adeoque a *crapula & ebrietate* abstinere: b) 7) *aleae & taxillorum* ludum vitare, immo nequidem huiusmodi ludis interesse: c) 8) ab-

Y 2

stine-

u) vid. DAN. HANNIB. FABROTIVS *de vit. & honest. clericorum*, ZIEGLER *de Episcop.* L. IV.

x) 1. *Tim.* IV. 12.

y) c. 6. D. 32.

z) c. 1. D. 27.

a) c. 13. X. *de vit. & honest. cleric.*

b) c. 14. X. *eod.* D. 35. *per tot.*

c) c. 15. X. *de vit. & honest. cleric.*

stinere: ab *auaritia*: d) 9) a *mimis, ioculatoribus & bistrionibus*: e) 10) a *scurrilitate & rurpiloquio*. f)

\* Ornnis suspecta conuersatio cum mulieribus illis vitanda est. Hinc consortium feminarum, quas clerici domi sub *sororum* aut *agapetarum* nomine alebant, interdictum fuit, quod suspitione non careret. Obseru. Halens. T. VI. *obs.* 26. CHRIST. SIG. ROEHRENSEE tribus diff. *de mulieribus clericorum subintroductis*. Vitare porro debent *suspectam conuersationem* extra domum, ESPENCAEVS *de continentia* L. VI. c. 12. potissimum vero *concupinatum*. Verum haec lex iniuncto caelibatu nimis dura semper visa fuit clericis.

\*\* Olim coniugati fuere clerici. Abstinenciae amor caelibatum introduxit. (§. CCX. \*) Protestantes proinde clericorum coniugia propugnant. (§. CCXVI. \*)

### §. DLXIII.

Nec o-  
mnem ex-  
erceant ne-  
gotiatio-  
nem & of-  
ficia.

Ex secundo (§. DLXI. 2.) inferunt iura canonica: 1) clericos non decere *negotiationes & commercia secularia*, g) maxime 2) *quaestuaris*, b) quorsum etiam Protestantium mores collineant; \* 3) *procuraciones laicorum*, i) a quo more vero Romanenses in multis descuerunt: k) *aduocatorum* vero mu-

d) c. 2. X. *eod.*

e) c. 15. X. *de vit. & honest. cleric.*

f) c. 6. D. 46. c. 19. D. 34.

g) c. 6. X. *ne clerici vel mon. secul. neg.*

b) c. 9. & 10. D. 88. c. 1. & 3. C. 14. qu. 4. c. 6. X. *ne cler. vel mon.*

i) c. 2. X. *ne cleric. vel mon.*

k) vid. L. III. *tit. de postulando.*

munere nec apud Protestantes funguntur; 4) tabellionatum seu munus *notariorum*, l) quod rursus Protestantes, sed ex aliis principibus, arripiunt; 5) gestationem *armorum*; m) 6) omne, quod ad *vindictam sanguinis* tendit, aut inuersionem vel incisionem inducit: n) hinc a) non possunt sequi castra, o) nec β) exercere ius gladii, nec γ) possidere feuda, nec δ) succedere in Heergewetta, nec ε) chirurgiam exercere. p) Verum sicuti quoad clericos maiores iam olim effectu caruerunt constitutiones, militiam prohibentes, ita postquam Episcopis in nostra Germania ius bellum gerendi ex superioritate territoriali cessit, capitula merum imperium adquisuerunt, etiam feudorum capaces facti sunt clerici, & canonici seculares arma portarunt. Prohibitiones itaque saltem *inferiores clericos* tenent, aut qui *vota* emittunt. De reliquo pleraque etiam ad nostros clericos quadrant. 7) Indecentem arbitrabantur *venationem*, q) quae prohibitio etiam nostris dicta est; 8) studium *iuris civilis*,

Y 3

lis,

l) c. 8. X. *cod.*m) c. 2. X. *de vit. & honest. cleric.* ZIEGLER *de Episc. milite.*n) c. 9. X. *ne cler. vel. mon.*o) THOMASSINVS *de V. & N. E. D. P. III. L. I. c. 45. sequ.*p) c. 3. X. *ne cler. vel. monachi.*q) c. 1. X. *ne cler. vel. mon.* ZIEGLER *de Episcop. L. IV. c. 19.*

lis, nisi ut canonicum facilius intelligatur, r) a quo nostri citra prohibitionem abhorrent.

\* Distinguendum tamen est inter negotiationem *personalem* & *realem*. Illa non haec prohibita est, conf. LINCK *de cleric. artif.*

§. DLEXIV.

Vtantur habitu deco-  
ra.

Ex tertio denique (§. DLXI. 3.) sequitur: 1) ut clerici non solum decenti *habitu* uti, s) sed & 2) *formam* praefinitam servare debeant; \* 1) hinc 3) speciatim clero cathedralis ecclesiae seu canonicis quaedam *vestimenta* plane fuerunt interdicta, α) panni rubei & virides, β) manicae, γ) futulares confutitii, δ) frena, sellae, pectoralia, calcaria deaurata & alia superflua, ε) cappae manicatae, ζ) fibulae & corrigiae, auri & argenti ornatum habentes, η) annuli. Verum canonici paulatim iisdem vestimentis, ac *alii laici*, uti sunt, licet, ubi rem diuinam faciunt, peculiaribus vestibus utantur: 4) ut etiam inter Protestantes habitus peculiaris adsit, licet in vestimentis nulla cultus diuini species occurrat: 5) ut etiam quoad *comam* & *barbam* decorum obseruare debeant. u)

\* Olim clerici vestimentis a reliquo populo vix distinguebantur. Nec sec. V. peculiaris vestis clericis fuit. *Monachi* primitus peculiari habitu utebantur; & quidem *cuculla* sua ab *infan-*

r) c. 10. X. *ne cler. vel monachi.*

s) Concil. Trident. *Sess. XIV. de reformat. c. 6.*

t) c. 15. X. *de vit. & honest. clericor.*

u) FABROTIVS *de vit. & honest. cleric. pag. 34.*



*fantium habitu*, quasi & ipsi ad infantiam rediissent, & ad humilitatem sic demonstrandam petebant. vid. SPONIVS *miscell.* p. 309. nr. 12. Ex quo dehinc monachica cum clericali vita coniuncta fuit, & clerici habitum peculiarem adsumebant. *Niger color* iam olim a monachis electus fuit. Post etiam *laicos* in dignitate constitutos in quibusdam imitabantur, v.g. in *collaribus* corrugatis & planis. vid. SIBER *dissert. de collar. cleric. tubul. & planis* §. 23. seq. Varias leges vestiariae semper latae; praxis vero saepius eadem fata habuit, quibus reliquae leges sumtuariae subiectae sunt.

## TIT XLIII.

## DE VISITATIONIBVS.

## §. DLXV.

**V**T adpareat, vtrum clerici tales sint in vita & moribus, quales illos canones esse iubent, (§. CLI. seq.) introductae fuerunt *visitationes*, x) de quarum indole nunc agendum. \* Connexio

\* Nondum introductis prouinciis ecclesiasticis incognitae erant visitationes. Cum vero omnes ecclesiae ita inter se vnitae essent, vt quasi vnum externum coetum per plura loca saltem dispersum constituerent, vna pro altera sollicitudinem gessit, quae tunc *loco visitationis* erat. Postea inter ecclesias vnus prouinciae arctius quoddam vinculum inualuit, & cum Episcopi vnus eiusdemque prouinciae de rebus ecclesiasticis illius prouinciae prospicerent, inualuere synodi prouinciales, quae haec determinabant, quae postea Episcopi ad suas visitationes trahebant. Constitutis vero diocesis & parochialibus ecclesiis (§. CCLVI. seq.) visitatio ex cura pastoralis de-

Y 4

riua-

x) ZIEGLER *de Episc.* L. III. c. 26, §. 1.

riuata & a proprio cuiuslibet, dioeceseos Episcopo suscepta fuit. Sicuti vero cura pastoralis in imperium degenerauit: ita etiam visitationes mox vi imperii susceptae fuerunt. Tempora deinde visitationibus fuere dicta, ne vero interim segniores pastores fierent, extraordinarias visitationes per periodetas instituerunt. (§. CCCXXXVII.) Postea visitationes Archi-Diaconis obuenerunt, qui eas mox sibi iure proprio vindicarunt: (CCCXXIII. 8) quorum tamen factus in concilio Tridentino Sess. XXIX. de reform. c. 3. repressus fuit.

## §. DLXVI.

Visitatio-  
nis descri-  
ptio in ge-  
nere.

Visitatio vero in genere nihil aliud est, quam: *sollers inquisitio eorum, quae in aliqua societate geruntur ex sollicitudine, quam quis vi officii sustinet, descendens.* Haec inquisitio vero vel *cum imperio* vel *sine imperio* exercetur: & rursus vel *immediate*, vel *ex delegatione*. Omnes vero, ubi *certa* sua tempora habent, *ordinariae*; ubi *ex improviso* aut ratione aliqua urgente suscipiuntur, *extraordinariae* dicuntur.

## §. DLXVII.

Descriptio  
visitatio-  
nis ecclesiasti-  
cae anti-  
quae.

Sic itaque visitationes ecclesiasticae olim fuerunt: *inquisitiones in statum ecclesiarum & mores singulorum, vi officii pro re nata ideo susceptae, ut, quae inordinate gerebantur, emendatione congrua in melius formarentur.* Sic nullae olim ordinariae cognitae visitationes, sed tunc saltem, ubi necessitas illas exigebat, institutae fuerunt.

## §. DLXVIII.

## §. DLXVIII.

Ex quo vero cura pastoralis in imperium versa fuit, (§. DLXV. \*) tunc visitationes erant: *inquisitiones sollemnes ecclesiarum in dioecesi sitarum, vi iurisdictionis ecclesiasticae & imperii sacri institutae, ad corrigenda ea, quae emendatione indigerent.*

Quid hodie  
visitatio ec-  
clesiastica?

## §. DLXIX.

Inde fluunt axiomata: I. Visitationem ecclesiasticam instituit, qui imperio sacro munitus est. II. Inquirat in vitam & mores personarum ecclesiasticarum, & III. In res & bona ecclesiastica. IV. Visitator est indemnis seruandus.

Axiomata.

## §. DLXX.

Ex primo sequitur, 1) ut visitandi facultate polleant Cardinales legati: (§. CCCC LV. 4.) 2) Patriarchae, Archi-Episcopi, Capitulum sede vacante, quippe quibus imperium sacrum intra dioecesin competit: (§. CCXLVIII.) 3) Abbates, Priores alique Praelati regulares, quoad monasteria aliaque loca sibi subiecta. (§. DIV.) Quum vero vel *immediatae* vel *delegatae* sint visitationes, Episcopi autem ad minuendam curam iam olim varios cooperarios (§. CLXIX. sequ.) & vicarios varios (§. CCCCVIII.) adsciuerint, sequitur, 4) ut & visitationem aliis committere potuerint, quam vero Archi-Diaconis potissimum demandarunt, quam hi vicario

Qui visita-  
tionem in-  
stituant?

Y 5

iure

y) c. 23. X. de censibus.

iure exercuerunt. Ast quum Archi-Diaconi fimbrias suas quotidie dilatarent, & visitationes proprio iure sibi vindicarent; (§. CCCCXX. \*) hoc concilio Tridentino correctum fuit, ita vt  $\alpha$ ) non aliter sibi ius visitandi arrogarent, quam vti eam haecenus legitime exercuerint;  $\beta$ ) cum consensu Episcopi;  $\gamma$ ) per se;  $\delta$ ) redditis rationibus de suscepta visitatione, & exhibitis actis;  $\epsilon$ ) saluo iure Episcoporum, si illi ecclesias separatim visitare vellent. (§. CCCCLXVII. \*)  $z$ )  $\zeta$ ) Omnes Parochos, suos Parochianos lustrare posse, licet, vbi in vita & moribus talia animaduertunt, quae vi imperii sacri emendanda sunt, ad superiorem rem deferre, obstricti sint.

### §. CLXXI.

Vterior  
declaratio.

Ex eodem axiomate sequitur:  $\zeta$ ) vt ipsi imperantes vi supremae inspectionis, (§. LXXXIV. seq.) ius *dirigendi visitationes* ecclesiasticas sibi vindicare possint: 6) vt reuera Principes generalem visitationem & inspectionem exercuerint:  $a$ ) 7) vt, quum ex *iure sacro* fluat ius visitandi, praescriptione tolli nequeat:  $b$ ) 8) vt tamen ipsum ius visitandi praescriptione adquiri possit, sicuti etiam

$z$ ) ESPEN. *iur. eccl. P. I. tit. 12. c. 1. §. 17. sequ.*

$a$ ) REINHARD *de iur. Princ. circ. sacr. ante reform.*  
c. 2. §. 14.

$b$ ) c. 16. X. *de praescript.*

etiam Archi-Diaconi plerumque ius visitandi parochiam suam praescriptionis vi propugnant. (§. CCCCXXIV. \*) 9) Recte exinde inferimus, quod visitatores, maxime delegati, formam a iure praescriptam exacte obseruare teneantur. c) Denique, 10) quod patroni iure visitandi non gaudeant.

## §. DLXXII.

Ex secundo (§. DLXIX. 2.) consequens est: 1) vt visitationis scopus sit *cura animarum*: 2) vt propterea inquirendum sit in *mores ac vitam* parochorum, quippe quae si deprauata est, destruit omne, quod doctrina aedificat: 3) vt ipsi Episcopi olim Metropolitanorum visitationibus subiecti fuerint: (§. CCLXXVI. 3.) immo Missorum regionum: d) 4) vt tamen hodie ius visitandi intra *quamlibet dioecesim* subsistat, & priuatiue *Episcopo*, exclusa superiori potestate, competat: e) 5) vt etiam singulari ratione inquirendum sit in mores parochianorum: 6) vt docendo, admonendo, emendando, quae sunt necessaria, puniendoque delicta visitator procedere possit: f) 7) vt propterea visitator olim *synodum* quandam coegerit, quam *placitum Episcopi* vocabant: g) 8) vt

Quae personae visitationi subiectae?

Epi-

c) c. 7. & 8. X. de Statu monach.

d) BALVZIVS capitular. T. I. p. 655. sequ.

e) Conc. Trident. Sess. XXXIV. c. 3.

f) IDEM *ibid.* c. 1. X. de censibus.

g) HINC MARVS opp. T. II. p. 31.

Episcopi loca *exempta* non aliter quam auctoritate apostolica, seu tanquam *delegati sedis Romanae* visitare possint.

§. DLXXIII.

Quae res? Ex tertio & quarto denique (§. DLXIX. 3. & 4.) discimus: 1) inquisitionem instituendam esse de *sacramentorum* administratione: 2) de *reditibus* ecclesiasticis: 3) de bonis: 4) de *aedificiis* sacris, ut constaret, vtrum reparatione indigerent, nec ne? adeoque 5) eadem de capellis, monasteriis, scholis aliisque piis locis obseruanda esse: b) (§. DCCCXII. seq.) 6) deberi visitatori *procurrationem*. i) (§. CMXIV. β. & CMXV.)

VISITATIONES INTER PROTESTANTES.

§. DLXXIV.

Visitatio cum imperio pertinet ad ius circa sacra.

Ius visitandi, quatenus illud ex *iure imperii* deriuatur, (§. DLXVIII.) minus recte ad iura Episcopalia refertur, quorsum tamen plerique Iureconsultorum illud collocant: k) sed pars est *summi imperii*, (§. LXXXIV.) quatenus vero ius visitandi *imperio caret*, (§. DLXVII.) ad *curam pastorem* referri poterit. Sic duplex apud nos occurrit visitatio: vna, quae pars est *potestatis supremae* circa sacra,

b) conf. ZIEGLER *de Episc.* L. III. c. 26. conc. Mediolanense IV. ap. HARDVINUM concilior. T. X. pag. 900.

i) vid. infr. L. II. tit. de oner. benefic.

k) FRITSCH *de iure visitationum* c. 3. nr. 1. sequ.

facra, 1) altera, quae fuit ex officio *pastorali*.  
Illa *publica*, haec *privata* dici potest.

§. DLXXV.

Hinc tenenda axiomata: I. Ius visitandi Axiomata.  
cum imperio coniunctum fuit ex suprema  
potestate circa sacra. II. Visitationes, im-  
perio destitutae, cohaerent curae *pastorali*.

§. DLXXVI.

Ex priori discimus: 1) ius hoc compete- Confectaria  
re cuilibet imperanti, (§. LXXXVI. sequ.) ex primo.  
2) illum hoc exercere *mediate* per illos, quos  
huic negotio praeficere congruum ducit,  
quales sunt *consistoria*, suo modo *Superinten-*  
*dentes*, (§. CCLXII. 1.) vel alii deputati:  
3) visitationem regulariter saltem fieri in ec-  
clesiis adprobatis, cum reliquae plerumque  
negligi soleant a republica, etiam quoad cu-  
ram visitationis: (§. XL. sequ.) 4) non prae-  
cise requiri, ut *Theologis* visitationis actus  
committatur, ut plurimi docent, m) nisi  
quatenus visitatio in *doctrinam* instituenda  
sit: 5) haec obtinere, siue *generalis* sit visita-  
tio, per omnes ecclesias facienda; siue *specia-*  
*lis*, ad certum coetum directa; siue *ordina-*  
*ria*, certo statoque tempore peragenda; siue  
*extraordinaria*, aliqua necessitate aut alia  
caussa urgente decreta: 6) solum ius patro-  
natus propterea non sufficere ad visitationes  
indicendas & peragendas: nec 7) magistra-  
tum municipalem qua talem sua auctoritate  
hoc

1) SCHILTER *institut. iur. can.* L. I. tit. 6. §. 2.

m) FRITSCH *cit. l. c. a. nr. 1.*

hoc exercere, nisi vel propter statum anni decretorii, vel pacto aut immemoriali possessione competat: 8) subsistere illam intra fines territorii, licet ecclesiae sint unitae, quia sic iurisdictio non confunditur: n) 9) fieri tam quoad res, quam quoad personas: 10) expediendam esse secundum formam praescriptam: nec 11) tolli aliqua praescriptione: 12) non iniuste a quibusdam Periodeutarum instaurationem optari. (§.CCCCXXXVII.seq.)

## §. DLXXVII.

Confectaria  
secundi.

Ex posteriori colligo: 1) non solum Superintendentibus vi officii, cum simul sint pastores primarii, curam quandam competere, vt tamquam boni pastores *oves suas lustrant*, & in earum qualitates, morbos & vitia inquirant; o) sed & 2) cuilibet pastori vi officii incumbere. vt singulorum vitam excutiat, & in mores inquirat: proinde 3) *visitationes domesticas* non negligendas, sed potius studiose obseruandas esse, quidquid alii ogganniant. p)

TIT.

n) c. 2. X. de religiosis domibus.

o) ZIEGLER de Superint. c.22. §.I. conf. EDM. GIBSON in tract. of visitat. Parochial, and general, vbi varia egregia, circa modum visitationum, monet.

p) Ill. BOEHMER, iur. paroch. Sect. IV. c. 4. add. BALTH. ALTOMIRANVS de visitat. ZIEGLER de iur. visit. eccl. FRITSCH de visit. ecclesiarum.



## TIT. XLIV.

## DE VNIVERSITATIBVS.

## §. DLXXVIII.

**F**acultates vniuersitatum & academia-<sup>Connexio.</sup>  
rum\* olim fuere gradus ad beneficia  
ecclesiastica. Inde etiam Theologiae stu-  
dium plerumque in illis dominatum egit.  
Hinc *continentia* clericalis quoque in iis ob-  
seruata fuit: scholares, vocati *clerici*, gau-  
debant *immunitate* clericali; q) sic ad hierar-  
chiam confirmandam potissimum introdu-  
ctae fuerunt, licet postea aliter res cecide-  
rit, & ipsa hierarchia per academias & vni-  
uersitates oppugnata fuerit. Sic paucis  
de academiis differendum erit.

\* Academiae vox vnde descendat? non adeo  
liquet. Quidam illam deriuant a quodam  
*Ecademo*, qui Athenis docuit. Alii a Cice-  
ronis villa, cui nomen *Academiae*. vid. CON-  
RING in *antiquitat. academicis*. Hoc certum  
est sub Paulo II. hoc nomen inditum fuisse  
societati, quae ad *restaurandas artes* coiit. In  
Germania illae vrbes *academiarum* titulo su-  
perbiunt, *vbi studiorum doctrina iuuentus in-  
buitur*. Vox *vniuersitatis* secundum quos-  
dam iam sub Carolo M. inualuit, quod tunc  
studia in monasteriis abscondita *omnibus* pa-  
tefacta fuerint. LIMNAEVS *iur. publ. L. VIII.*  
*c. 1. nr. 11.* BVLAEVS *hist vniuers. Parisiens.*  
*T. 1. pag. 91. seqn.* Quod tamen alii in du-  
bium vocant. Illis assentiri vix dubito, qui  
inde

q) THOMASSINVS de V. & N. E. D. P. II. Lib. I.  
c. 101. §. 3.

inde vniuersitatum nomen deducunt, quod *omnia studia & disciplinae* ibi doceri solent. Sane huc collineant priuilegia & confirmationes Pontificum.

## §. DLXXIX.

Quid academiae & vniuersitates?

Academiae vero & vniuersitates sunt: *Magistrorum & discipulorum societates, ad probebenda studia inuatae, priuilegiis munitae, ubi etiam dignitatibus consuetis, bene meriti exornantur.* r)

## §. DLXXX.

Axiomata.

Inde deduco axiomata: I. Vniuersitates sunt quaedam separatae respublicae. II. Gaudent certis priuilegiis. III. Ibi bene meriti dignitatibus condecorantur.

## §. DLXXXI.

Forma regiminis vniuersitatum.

Ex primo axioma videmus: 1) vniuersitates ad *normam* aliarum *rerum publicarum* constare ex *Imperantibus & parentibus*: 2) supremum Imperantem originarie *Pontificem* esse; hunc vero 3) curam *Episcopo* dioeceseos sub dignitate *Cancellarii* contulisse. s) 4) *Ordinarium regimen* esse penes *Rectorem* aut *Pro-Rectorem*, t) cui tamen 5) *Professores* quidam adstant, quorum congregatio sub nomine *concilii* venire solet. Immo 6) pro grauitate caussae quandoque *omnes Professores* congregat, quorum conuentus ex ecclesiasticis

r) LIMNAEVS *iur. publ.* L. VIII. c. I. nr. 14.

s) CONRING *antiquit. academ.* pag. 360. LEHMANN *Spener. Chronick* L. II. c. 33.

t) LIMNAEVS *cit.* l. c. 3.

fiasticis institutis plerumque *consistorium* adpellatur. 7) Ipsos Professores distingui in *Facultates*, quarum quaelibet sub regimine *Decani*, quod rursus ex antiquo studiorum statu monastico & ecclesiastico fuit, (§. CCCXXXII. \* §. DIV. 6.) constituta est. u) 8) Dari in quibusdam *collegia*, vbi *alumni* aluntur, quibus speciales docentes praefecti sunt, ex quibus collegiis certa beneficia nata, quæ sub nomine *collegiaturarum* veniunt, \* quod rursus vitae monasticae debetur. Denique 9) Studiosos aequè ac singulos ex docentibus, *subditorum* loco esse in hac republica.

\* Inde adpellatio nata *collegiorum* publicorum & priuatorum.

### §. DLXXXII.

Ex secundo (§. DLXXX. 2.) notandum est: Priuilegia docentium & discipulorum.  
 1) haec priuilegia vel *generalia* esse, vel *specialia*: 2) ad generalia referri a) decantatam authenticam *habita C. ne fil. pro patr.* β) *excusationem* a tutela, γ) *immunitatem* a muneribus personalibus: x) 3) specialia variare pro locorum diuersitate: 4) ea tamen ad tres classes reuocari posse, cum quaedam descendant α) ab Imperatoribus, γ) Pontificibus, Regibus, Principibus & omnibus, qui priuas

u) LIMNAEVS *cit. l. c. 4.*

x) IDEM *ibi l. c. 9.*

γ) conf. DN. EVCHAR. GOTTL. RINCK *d. ff. de Imp. acad. auctor.*

*pruas leges* (§. CXLVI. seq.) dare possunt;  $\beta$ ) *alia ex consuetudine* ortum ducant;  $\gamma$ ) *alia a doctoribus fuerint efficta.* \*

\* Huc pertinent pleraque priuilegia, a Petro Rebuffo *de priuileg. vniuersit.* consarcinata, conf. IO. VOLCK. BECHMANN *de priuileg. Studioforum.*

### §. DLXXXIII.

Collatio dignitatum academiarum.

Ex tertio denique (§. DLXXX. 3.) obseruari debet:  $\tau$ ) *gradus academicos* demum Sec. XIII. in academia Bononiensi, auctore Pontifice, inualuisse:  $z$ ) 2) primum gradum esse *Baccalaureatum*; hunc excipere *Magisteriatum*, tunc sequi *Licentiaturam*; summum gradum in *Doctoratu* consistere: 3) hos gradus conferri certis *sollemnitatibus*:  $a$ ) 4) quosdam promotos dici *bullatos*: 5) omnes gaudere *iuribus* quibusdam *singularibus*.  $b$ ) (§. CXLIX. 3. & DLXXXV. \*)

## TIT. XLV.

DE

### PRIVILEGIIS CLERICORVM.

#### §. DLXXXIV.

**Connexio.** **C**VM ecclesia sit separata respublica, (§. II. sequ.) status personarum ecclesiasticarum proprie talium, puta clericorum, (§. CL. seq.) adeo a statu reliquorum distingui coepit,

$z$ ) CONRING. *cit. l. p.* 134. add. BVLAEVVS. *cit. l. T. II.* diff. 7. pag. 674. *seq.*

$a$ ) LIMNAEVVS *cit. l. c.* 8.

$b$ ) IDEM *ibid.* add. ITER *de gradibus academ.*

coepit, vt aliud genus hominum esse viderentur. Inde etiam illis singularia quaedam iura seu priuilegia fuere concessa, vel intuitu *personae*, vel ratione *causae* aut *rei*, (§. CXLVI. sequ.) de quibus nunc circumspiciendum.

§. DLXXXV.

Priuilegia priuas esse leges, seu iura priuata, iam obseruauimus. (§. CXLVII. 2.) Quum vero haec priuilegia non indiuiduo cuidam, sed *omnibus*, qui *charactere clericati* ornati sunt, competant, hoc loco priuilegia denotant: *Ius singulare ordini clericorum tam quoad personam, quam rem eorum concessum.\**

Quid hic priuilegium?

\* Priuilegia proprie sunt priuae leges, quae non praedicantur de pluribus, sed *de vno*, siue *personae*, siue *causae*, cohaereant. Quae vero certam definitamque causam non habent, sed ad omnes eiusdem conditionis personas extenduntur, *ius potius singulare*, quam priuilegium, constituunt. CVIAC. *Observ.* L. XV. c. 8. abusiue vero & ex vulgi sententia, cuius loquela in rubrica vsus sum, priuilegia dicuntur.

§. DLXXXVI.

Hinc fluunt axiomata: I. Clerici singulari iure vtuntur quoad *personam*. II. Idem ius quodammodo extenditur ad eorum *res*.

Axiomata.

§. DLXXXVII.

Quum itaque iure singulari vtantur, quo ad personam; (§. DLXXXVI. 1.) constat: 1) cur hoc ius etiam in *titulis* sese exserere soleat, ita vt dicantur: *patres, domini, venerabiles,*

iura clericorum singularia, quoad personam.

*biles, sancti, reuerendi: (§. CCXLIII. \*)*  
 2) cur *proëdria* illis prae laicis tribuatur: *c)*  
 (§. CCXLIX. 3.) 3) cur proinde laici illis  
 imperare nequeant, *d)* sed *independentes* sint,  
 (§. V. seq.) nisi 4) feuda ab illis teneant: *e)*  
 5) cur *inuiolabilitate* gaudeant, & sacrosan-  
 cta sit eorum persona: *f)* 6) cur suscipien-  
 di sint, vbi peregrinantur, ad verbum facien-  
 dum & consecrationem peragendam: *g)* 7)  
 cur denique aliae & variae *immunitates* illis  
 indulgeantur: puta *a)* quod *actiones famosae*  
 contra illos facile non recipiantur; *b)*  $\beta$ ) gau-  
 deant *foro priuilegiato* in omnibus actionibus  
 personalibus; *i)* (P. II. §. XXX.)  $\gamma$ ) quod nec pro  
*crimine* in iudicio seculari conueniri possint,  
 nisi in paucis casibus; *k)* (P. II. §. CCLXVII.  
 sequ.)  $\delta$ ) quod censum capitationis non sol-  
 uant; *l)*  $\epsilon$ ) quod a *muneribus* personalibus  
 sint immunes; *m)*  $\zeta$ ) quod intuitu *debito-  
 rum* variis priuilegiis gaudeant, *n)*  $\eta$ ) & ra-  
 tione *anni deseruiti & gratiae* singulari iure

vtan.

---

*c)* c. 5. C. 6. qu. 1.

*d)* c. 10. X. de Constitut.

*e)* c. 30. X. de iureiur.

*f)* c. 29. C. 17. qu. 4. c. 17. 19.  $\mathcal{C}$  26. X. de sentent. excomm.

*g)* c. 38. C. 7. q. 1. BINGHAM Orig. L. V. c. 1. §. 1.

*h)* BINGHAM c. 1. §. 5.

*i)* c. 5. & 12. X. de for. comp. WILDVOGEL de pri-  
 uil. Cleric. process.

*k)* CORVINVS institut. iur. can. L. I. tit. 29. §. 5. & 6.

*l)* BINGHAM c. 1. c. 3. §. 2.

*m)* c. 40. C. 16. q. 1. BINGHAM c. 1. §. 12.

*n)* Ill. BOEHMER diss. de cler. debis.

vrantur; o) b) quod sacramenta poenitentiae etiam *interdicti* tempore petant ac accipiant, p) (P. II. §. CCCLXXI.) vt alia taceam.

## §. DLXXXVIII.

Quum deinde etiam, intuitu rerum, iure <sup>Iura singu-</sup> singulari gaudeant, (§. DLXXXVI. 2.) inde <sup>laria, quoad</sup> notari debet, 1) quod de *propriis* rebus, quas <sup>res.</sup> circa negotiandi causam secum deferunt, nulla *guadagia*, *pedagia* & *vectigalia* soluant: q) 2) quod immunes sint a *metatis*, r) nec non 3) ab *angariis*, *parangariis* aliisque muneribus fordidis: s) 4) quod fundi eorum a tributis & censu sint *immunes*. t)

DE PRIVILEGIIS CLERICORVM  
INTER PROTESTANTES.

## §. DLXXXIX.

Alienum est a nostris principiis, quod ec- <sup>Fons iu-</sup> clesia separatam rempublicam constituat, <sup>rium singu-</sup> (§. XVIII. seq.) adeoque exinde nulla iura <sup>larium cle-</sup> singularia clericorum petenda sunt. (§. D <sup>ricorum in-</sup> LXXXIV. seq.) Gaudent tamen & apud nos <sup>ter Prote-</sup> multis *iuribus singularibus*; sed sicuti Pontificius clerus ea olim *Principum beneficio* con- <sup>stantes.</sup> sequutus

Z 3

a) III. BOEHMER *diff. de anno deferuito*. STRYK *de anno gratiae*.

p) c. II. X. *de poenit. & remiss.*

q) c. 4. *de cens. in 6. c. 4. X. de innoct. eccl.*

r) BINGHAM *origg. L. V. c. 3. §. 7.*

s) IDEM *ibid. §. 10. & 13.*

t) c. 23. *sequ. C. 23. qu. 8.*

sequutus est; ita nec apud nos ex alio fonte deriuari haec iura possunt. Percurramus itaque haec iura per indicem.

§. DXC.

Enarratio  
iurium sin-  
gularium,  
quibus in-  
ter Proce-  
stantes cle-  
rici gau-  
dent.

Apud nos itaque clerici 1) subsunt po-  
testati ciuili, (§. LXXIX. seq.) licet priuile-  
giato foro gaudeant: 2) hinc quidem co-  
ram *regimine prouinciae*, non vero *iudicibus*  
*inferioribus* forum fortiuntur: u) 3), quoad  
*crimina* distinguitur: vtrum poenam cor-  
poris adflictiuam post se trahant, nec ne? &  
sic vel seculare, vel ecclesiasticum iudicium  
agnoscunt? (P. II. §. CCLXIX. & §. CCC.  
XXXV.) x) 4) foro priuilegiato etiam gau-  
det illorum *familia*, immo alicubi *famuli-*  
*zium*, y) & §) *dotales* clericorum: z) 6) cle-  
rici ipsi immunes sunt a *capitatione*, *angariis*,  
*excubiis*, *metatis* ratione ædium parochia-  
lium: a) 7) acquirere possunt *ius ciuitatis*  
municipalis, bona possidere, sed cum oneribus:  
8) alicubi immunes sunt a *collecta*  
*cereuisiaria*: b) 9) gaudent *iure pascendi*, *ada-*  
*quandi* ceterisque iuribus incolis loci com-  
petentibus: c) 10) *Emeritis* pars salarii re-  
linqui solet: d) 11) aliqualis illis concedi-  
tur

u) CARPZOV. *iurispr. consist.* L. IV. d. 308.

x) IDEM *ibid.* L. III. d. 5.

y) WESENBEC *consil.* 50. nr. 22.

z) ZIEGLER *de dote eccles.* c. 12. §. 39.

a) CARPZOV. *cit.* L. I. d. 308.

b) IDEM *ibid.* d. 139. & 146. *sequ.*

c) IDEM *ibid.* d. 124.

d) CARPZOV *iurispr. consist.* L. I. d. 23. & 153.



tur *proëdria*: 12) vtuntur iure singulari, quoad *successionem mobilium*, cum illis succedatur iuxta ius commune, non statutarium, e) (§. CMLVI. seq.) & in Saxonia *Geradam matris* cum sororibus diuidunt: f) 13) gaudent variis iuribus, intuitu *processus*: g) 14) competit etiam illis *annus deseruitus* & *gratiae*: 15) immunes sunt a *tutela* & *cura*: 16) *iniuria* illis illata grauius punitur, maxime si facta, *dum sacra* peragerent: h) 17) vtuntur in *debitis* iure singulari, (§. DLXXXVII.) sed *beneficium competentiae* minus recte illis vindicatur: 18) *bona parochialia* ab oneribus sunt immunia: i). 19) gaudent plerisque priuilegiis etiam *viduae* illorum: k) denique 20) pleraque ex his iuribus singularibus etiam illis, qui ministri verbi non sunt, *pro clericis* tamen *quoad antenus* reputantur, & iure clericorum vtuntur, vindicari solent. (§. CC. sequ. CCIX. CCCCLXXXVI. & DLXXVIII. seq.)

Z 4

TIT.

e) STRVVE *Exercit.* XXXVIII. §. 44.

f) CARPZOV cit. l. L. III, d. 10.

g) IDEM *ibid.* d. 4. & 99. sequ.h) IO. GEORG. SIMON *de iniur. act. Sacerd. concern.*i) PETR. MVLLER *diff. de bonis paroch.*k) ERHARD SPIZ *dissert. de iure viduar. cleric.*  
& *Profess.*

## TIT. XLVI.

DE

## IVRIBVS PAROCHIANORVM.

## §. DXCI.

Comexio.

Vidimus, ecclesiam constare doctoribus & auditoribus, (§. XIX. 6.) laicos esse personas ecclesiasticas *improprie* dictas & plebis loco in republica ecclesiastica, ex mente Romanensium; (§. CLII. sequ.) ostendimus initia parochiarum, (§. CCCLVII. sequ.) iura parochorum, (§. CCCCLVIII. sequ.) priuilegia clericorum; (§. DLXXXIV. sequ.) adeoque nunc de *auditoribus*, plebe ad parochiam certam adstricta, seu *parochianis*, merito quaedam dicenda sunt.

## §. DXCII.

Qui parochiani?

Parochiani proprie sunt: *Inhabitatores sacrae cuiusdam viciniae.* l) Seu, vt plenior euadat descriptio: *Parochiani sunt personae laicae certo parocho & ecclesiae addictae, vt ibi sacra, & quae bucreferuntur, percipiant, & onera quaedam subeant.* m)

## §. DXCIII.

Axiomata.

Inde tenenda axiomata: I. Parochianus fit ex domicilio. II. Est relatio inter Parochum & Parochianos. III. Gaudent peculiari templo aliisque iuribus. IV. Sustinent propterea quaedam onera.

## §. DXCIV.

l) conf. CIRON. tit. X. de parochiis. LINCK. ad tit. X. de paroch. §. 1.

m) III. BOEHMER iur. paroch. Sect. III. c. 2. §. 1.

## §. DXCIV.

Quum itaque parochianus fiat ex domicilio, (§. DXCIII. 1.) sequitur: 1) ut, quae ratione *fori domicilii* in iure occurrunt, etiam quoad constitutionem parochianorum obtineant: 2) ut proinde & *actualis habitatio* & *animus* perpetuo in loco *remanendi* requirantur: n) 3) ut praeterea etiam *eiusdem religionis* esse debeant: o) 4) ut *habitatio temporaria*, qualis in conductore praediorum occurrit, parochianum haud faciat: 5) ut *studiosi & mercatores*, in exteris regionibus commercii causa commorantes, nec non *vagabundi* nullam parochiam habeant: 6) ut ad exemplum duplicis domicilii etiam *duplicem parochiam* habere quis possit, p) licet non aequaliter in utraque habitet: 7) ut ideo & *vxor* sequatur parochiam mariti: 8) ut ad exemplum *fori*, etiam parochia *mutari* possit, mutato domicilio: q) 9) ut tamen *Princeps* nulli parochiae adscribendus sit.

Vnde quis parochianus esse aestimetur?

## §. DXCV.

Quum deinde relatio sit inter Parochum & Parochianos, (§. DXCIII. 2.) consequens est: 1) ut neuter absque altero esse possit: 2) ut tamen ille *Rectoris*, hi *populi & plebis* nomine veniant: (§. V. seq. §. CLVII. 3. §. CLIX.) 3) ut *societas* quaedam certo loco & districtu

Qualis relatio inter Parochum & parochianos?

Z 5

cir-

n) III BOEHMER *iur. paroch. Sect. III. c. 2 § 9. sequ.*

o) conf. *Instr. pacis. art. V. §. 34.*

p) SPERELLVS *decis. for. eccl. dec. 87. nr. 10.*

q) c. ult. X. *de paroch.*

circumscripta inter illos occurrat, r) ita, vt haec circumscriptio 4) contra naturam *societatis aequalis*, (§.XXI.) *coactionem* quandam & ius *bannarium* admittat: 5) vt de *necessitate* parochus sacramenta & alia administret; parochiani vero ea *necessario* ab eo accipiant: 6) (§.CCCCLXII.3) 6) vt tamen haec relatio non vbique, nec semper reciproca sit, quia parochiani quodammodo *subditorum* loco habentur, (§.VII.2.) adeoque ius perfectum erga parochum illis non competat; t) 7) vt propterea parochi dicantur ecclesiastici κατ' ἐξοχήν, (§.CL.) parochiani vero saltem *improprie* hoc nomen gerant: 8) vt sicuti parochus ad certam ecclesiam adstrictus est; (§.CCCCLXII.) ita & parochiani *instar ouium* ad *propria sua stabula* cogantur: u) 9) vt ille ad cultum diuinum peragendum *stato* tempore tenetur; ita & parochiani *sacris interesse* debent: x) vt alia taceam.

### §. DXCVI.

Iura parochianorum.

Quumque porro gaudeant peculiari templo aliisque iuribus, (§.DXCIII.3.) facile intelligimus: 1) vt *templum* de essentia parochiae sit, nec sine eo Parochi & Parochiani intelligi possint: 2) vt tamen *ecclesiae nullum* prae-

r) conf. GONZALEZ ad c. 2. X. de paroch.

s) III. BOEHMER cit. l. Sect. 2. c. 1. §. 12. seqq.

t) SCHVLZ diss. de eo, quod inst. est circa parochias c. 4. §. 1.

u) conf. de ROYE instit. iur. can. L. II. tit. 14. §. 8.

x) CAPZOV iurispr. consist. L. II. d. 251.

praecise desiderent *templum*, quum etiam adfuerint ante natiuitatem parochiarum: (§.CCCCLIV.sequ.) 3) vt propterea parochiae in multis conceptum ecclesiae amiserint, quod nec libertas, nec aequalitas, nec alia de iis amplius praedicari queant, & saltem in eo cum ecclesiis adhuc conueniant, quod sint *societates externae*: 4) vt ecclesiae quaedam parochiales, non patronatae, iure *eligendi parochum* gaudeant: (§.CCCXI.) 5) vt parochiani prae aliis *subsellia* in templis praetendere possint: y) 6) vt alicubi administratores bonorum ecclesiae constituant, vel saltem in illorum constitutione concurrant, licet plerumque ipsi parochi bona parochialia administrant: z) 7) vt ipsis parochianis administratio committi soleat: a) 8) vt regulariter a rationum redditione, vbi illa peragitur, excludendi haut sint, sed ad eam concurrant: b) 9) vt alicubi inter Protestantes quidam ex Parochianis ad *inspectionem* sub *Presbyterorum* seu *Seniorum* adpellatione constituentur. (§.CCXL.)

## §. DXCVII.

Quum tandem etiam *onera* quaedam sustineant, (§.DXCLII.4.) sequitur: 1) vt ex suis bonis varia emolumenta parochis debeant, *fixa* aequae ac *extraordinaria*, quorsum decimae,

Onera.

y) CONF. FRID. PH. LUPPI *de subsell. in templis.*z) BARBOSA *de offic. & potest. paroch.* L. I. c. 13. nr. 38. sequ.a) III. BOEHMER *iur. paroch.* Sect. VI. c. 1. §. 24. sequ.b) SCHILTER *instit. iur. can.* L. II. tit. 6. §. 24.

mae, oblationes, aliaeque praestationes pertinent: (§. DCCCXLII. seq.) c) 2) vt ad has praestationes cogi possint: d) 3) vt suo parochio soluant *iura stolae*: (§. CCCCLXIII. 2.) 4) vt illis in subsidium incumbat *onus reficiendi* templum, & aedificium parochiale: (§. DCCLXXXVIII. 5.) e) 5) vt quandoque etiam in subsidium sumtus ad *constitutionem parochi* suppeditent. f)

§. DXCVIII.

**Epicrisis.** Cum Pontificiis eiusmodi institutis etiam Protestantes conspirant. Non ego is sum, qui ordinem turbare cupit, optarem tamen, vt in tanta libertate euangelica, *iuri bannario* non adeo rigide, quoad *ius prohibendi & cogendi* nostrates insisterent. Hinc 1) inimici esse haud deberent congregationum priuatarum a piis hominibus institutarum, sed 2) eo potius studia dirigere, quo ad genuinum conceptum ecclesiarum, (§. XVIII. sequ.) parochialia instituta reducerentur; nec 3) solos parochos pro personis ecclesiasticis reputare: (§. CLXIV. & DXCV. 7.) nec 4) ad percipienda in *ecclesia parochiali sacra* abscisse homines cogere; nec 5) *brachio seculari*, vt vocant, hac in re vti: nec 6) amare nimis & seuerè praestationes a parochianis, qui cum paupertate conflantur, exigere, g) vt alia nunc fileam. ELE-


c) vid. de his infra L. II. tit. 24.

d) Concil. Trident. Sess. XXV. de reform. c. 12.

e) CARPZOV *cit. loc. Lib. II. d. 341.*

f) SCHILTER *cit. loc. Lib. I. tit. 20. §. 7. sequ.*

g) videatur CARPZOV *cit. loc. L. I. def. 109.*



# ELEMENTORVM IVRIS CANONICI ET PROTESTANTIVM EC- CLESIASTICI

## LIB. II.

DE

REBVS ECCLESIASTICIS, SPIRITVALIBVS,  
TEMPORALIBVS, CORPORALIBVS  
ET INCORPORALIBVS.

## TIT. I.

DE RERVM DIVISIONE  
EX MENTE IVRIS CANONICI.

§. DXCIX.

**P**ersonas ecclesiasticas, quatenus ex Connexio,  
illis peculiaris respublica conflat, cum omnibus imperantibus & subdi-  
tis, vidimus. Cum vero quaelibet respu-  
blica variis rebus & patrimonio quodam  
gaudeat; hinc etiam de rebus ad ecclesiasti-  
cam rempublicam spectantibus differendum  
erit.

erit. Omnia vero hic turbata & obscuris terminis inuoluta sunt, proinde ordo concinnatus expectari nequit, cum traditis iuris canonici insistendum sit.

## §. DC.

Rerum ecclesiasticarum descriptio.

Omittunt canonici iuris doctores rerum ecclesiasticarum definitionem, & potius per exempla rem omnem tradunt: quod si vero omnia, quae de his rebus in eorum scriptis occurrunt, perpendamus, res ecclesiasticae erunt: *omnes res, quas clerus in ecclesiasticarum numerum refert, ita, ut laicis cunctis nullum ius, nisi ex concessione cleri, in eas competat.*

## §. DCI.

Diuisio. Quid spirituales? Has res ecclesiasticas diuidunt in *spirituales & temporales*; alii addunt *mixtas*. Spirituales dicunt, *quae spiritui inserviunt & animae causa sunt institutae, b)* Temporales illis sunt, *quae non tam spiritus, quam corporis gratia, pro ecclesiasticis ministeriis sacrorumque ministrorum usu sunt comparatae. i)* Mixtas denique definiunt, *quod mediam quandam inter res spirituales & temporales naturam obineant. k)*

## §. DCII.

Subdiuisio. Spirituales subdiuidunt in *corporales & incorporales*. Illas dicunt, *quae tangi & humanis sensibus percipi possunt, quarum quaedam essent sacramenta, quaedam sacrae & sanctae, quae-*

b) LANCELOTTVS institut. iur. can. L. II. tit. 9.1.

i) IDEM ibidem.

k) IDEM ibid. tit. 26. §. 1.



quaedam *religiosae*. Has adpellant, *quae neque tangi, neque sensu corporeo percipi possunt*. Harum quaedam essent *virtutes & dona Dei*; aliae vero consistenterent *in iure*.

## §. DCIII.

Haec omnia eo collineant, vt pro lubitu Epicrisis. res quascunque sibi & suae cognitioni referuare, laicos ab earum vsu arcere, patrimoniumque suum augmentare possint. Omnia sunt turbata & contradictione non vna repleta, vt proinde merito perspicua magis tradi debeant.

## DE RERVM DIVISIONE GENVINA.

## §. DCIV.

Res proprie sunt: *Quaecunque in patrimonio esse possunt, nec personis aut actionibus adnumerantur*. Hoc vero iure sub rerum nomine non solum *patrimonium ecclesiasticum* comprehenditur, sed & *negotia ecclesiastica*, quatenus ad iurisprudentiam spectant, huc referuntur. Hinc ab *obiecto* diuisio rerum desumenda est, vt quaedam sint *ecclesiasticae*, quaedam *seculares*.

## §. DCV.

Res ecclesiasticas dico: *quae ad ecclesiam, quatenus illa vniuersitatem constituit, (§. XVIII. sequ.) pertinent*. Adeoque huc pertinent omnes res, quae in patrimonio ecclesiae, pro vniuersitate voce sumta, constitutae. Negotia ecclesiastica adpello: *quaecunque non tam commercium aliquod ciuile, sed salutem*

*animarum potissimum respiciunt.* (§.XXII. seq.)  
 Non sunt quidem res in commercio existentes, nec patrimonium augent, *remote* tamen ad iurisprudentiam spectant, quatenus scilicet *ordo* circa talia negotia observandus est. (§.LXI. seq.)

## §. DCVI.

Sic itaque vides: 1) ad res seu patrimonium referri praedia, domus, fructus decimales, aliaque, quae in iure consistere dicuntur: immo & 2) ea, quae rebus sacris & sanctis adnumerantur. Ad negotia vero ecclesiastica pertinere 3) dona Dei, sacramenta, cultum diuinum in liturgia positum: haec vero eatenus saltem 4) iurisprudentiae obiectum constituere, quatenus *ordo* circa ea observari debet: ordinem vero, 5) iure ecclesiastico introductum, ius facere, extra dubium est. Hinc de his rebus & de ordine, circa eas observando, nunc agendum erit.

## TIT. II.

DE LITURGIA ET OFFICIO SACRO  
EX MENTE IURIS CANONICI.

## §. DCVII.

**Q**uoniam in ecclesia *ordo* necessarius sit, (§.LXI. seq.) talis vero, intuitu rerum & negotiorum ecclesiasticorum, occurrat, & quatenus determinatus est, ius faciat, inter negotia vero ecclesiastica etiam *cultus diuinus* in liturgia positus referendus sit; (§.DCVI.

Confectaria.

Connexio.

(§. DCVI. 3. seq.) quid de illo iura nostra disponant, circumspiciendum est.

§. DCVIII.

Vocatur autem liturgia seu sacrum officium: *Ministerium aliquod sacrum, quatenus illud ob religionem cultu externo peragitur*: \* seu: *Complexus precum statarum aliorumque rituum, in cultu externo peragendo receptorum, & in libris liturgicis praescriptorum.* l)

Quid liturgia & officium sacrum?

\* Proprie λειτουργία denotat quoduis ministerium. CASAVBONVS ad Baron. Ex. XVI §. 41. Postea vero inualuit, ut vniuersus cultus sacer καὶ ἕξις λειτουργία diceretur, & qui his sacris praesentent λειτουργοὶ ministri, idque ex disciplina Graecorum, qui cultum diuinum λειτουργίαν adpellarunt. PFEIFFER antiqu. Graec. L. II. c. 20. Latini dixerunt officium, & in vernacula dicimus: der Gottes, Dienst. Quum deinde omnis cultus sacer in celebratione missae (§. DCLXXII. seq.) consistere coeperit, ubi preces, ritus deuotionisque solemnities praescripta erant; abhinc ipse cultus vniuersus missa dicebatur. conf. DAV. CLARCKSON discours sur les liturgies.

§. DCIX.

Est vero liturgia 1) vel *solemnis*, vel *minus* Diuisio? *solemnis*. Illa consistit in omnibus aut plerisque actibus sacris, puta precibus, hymnis, annunciatione verbi diuini, sacramentorum administratione, missa solemniter, cet. Haec paucioribus absoluitur, puta horis precum, catechesatione. m) 2) Solemnis rursus est

A a

vel

l) conf. IO. FRIEDERICI de liturg. vet. & nou. c. 1.

m) SCHILTER institut. iur. can. L. II, tit. 1. §. 3.

vel *ordinaria*, quae diebus dominicis habetur, vel *extraordinaria*, quae festis diebus celebratur. \* n) 3) vel *publica*, quae in loco ad officium hoc destinato peragitur, quorum templa cuiuscunque generis pertinent; vel *privata*, quae vel in loco privato a singulis, vel in sacro quidem, sed absente populo, peragitur, ad quam clerici potissimum adstringuntur. (§. CCCCLXXXI. \*)

\* Tam a solemnibus quam minus solemnibus, ordinaria & extraordinaria liturgia participant illae, quae in celebratione *nuptiarum* (§. DCC XXVIII.) & *exsequiis* peraguntur. (§. DCCC XXIV.)

### §. DCX.

**Axiomata.** Hinc discimus axiomata: I. In liturgia solemnibus & publicis respiciendum ad observantiam cuiuslibet loci: o) II. In privata res omnis quodammodo ad arbitrium privatum redit. III. Variat liturgia quoad dies pro diversitate decursus singulorum annorum. IV. Observanda potissimum est certis diebus. V. Est plerumque determinata, sed salvo arbitrio & mutatione Episcopi.

### §. DCXI.

Publica dependet potissimum a consuetudine.

Quum itaque in liturgia respiciendum sit ad consuetudinem cuiusvis loci, (§. DCX. I.) sequitur: 1) ut id ipsum eatenus saltem obtineat, quatenus *scriptura* de liturgia nihil determinat, \* 2) ut uniuersum ius litur-

n) SCHILTER *insitut. iur. can.* L. II. tit. I. §. 3.

o) SOCRATES *histor. ecclesiast.* L. V. c. 22.

liturgicum potissimum ex *consuetudine* ecclesiarum ortum duxerit: p) 3) ut utendum sit officio *dioeceseos*, nisi *Romanum* (§. CVII.) praeferatur: q) 4) ut etiam in *conuocationis ritu*, \*\* 5) *lingua*, qua officium & liturgia peragitur, \*\*\* 6) *vestimentis* & alio ornatu, \*\*\*\* loci consuetudo obseruari debeat; 7) ut rituum diuersitas non tollat vnionem, quae alias inter ecclesias intercedit. r)

\* Putarem, scripturam sacram nullam liturgiam, nisi quoad *sacramentorum* administrationem, determinare.

\*\* Vbi ecclesiae publicae & adprobatae sunt, conuocatio fieri solet per pulsum & sonitum campanarum (§. XXXIII.) Has iam seculo V. si tintinnabula respicis, in occidente cognitas fuisse non dubito. Postea vero grauiori aere & grandiori forma conflatae fuerunt. *Nolae* in Campania, inde & nomen illis inditum. HILDEBRAND *de sacris publicis circ. fin.* In oriente ante Sec. IX. cognita non fuerunt haec aenea instrumenta. Inualuit etiam Campanarum consecratio seu benedictio, & mox *baptismus*. LARROQUANVS *aduers. sacr.* L. II. c. 36. IAC. FRID. LVDOVICI *de eo quod iust. est circa campanas.*

A a 2

\*\*\* Lin-

p) Illustr. BOEHMER *iur. eccl. Prot. T. III. differ. praelim. §. 27. sequ.*

q) conf. de Romano officio SARDIVS *hist. concil. Trident. L. VI. pag. 498 sequ.*

r) C. H. D. 12. c. 14. X. *de offic. iud. ordin.* Sane obtinent liturgiae variae in vno regno, in vna prouincia. Id de Gallia probatum dedit MOLEON *dans les voyages Liturgiques de France.*

\*\*\* Lingua cuique genti vulgata olim administrata fuit liturgia, & sic in Occidente *latina* obtinuit. Hanc vero non solum in Italia, cum iam ab vsu recesserat, conseruarunt, verum etiam extra illam in aliis ecclesiis introduxerunt, cuius instituti variae, sed ficulneae, rationes traduntur.

\*\*\*\* Vestimenta peculiaria in liturgia gestanda, ex iudaica potissimum ecclesia introduxerunt. conf. CASP. CALVOER *rit. eccl. P. II. Sect. III. c. 25. sequ.* Omnibus vero ritibus varias *mysticas* significationes tribuere solent, qua in re luxuriatur GVIL. DVRANDVS in *rationali diuin. offic.* Antiquam liturgiam copiose explanauit BINGHAM *orig. T. V. & VI.* Ritus Romanae ecclesiae circa vestimenta sacra, non solum exposuit, sed & figuris aeri incisis exhibuit PHIL. BONANNI in tract. *Gerarchia ecclesiastica.* De caetero, ubi de origine horum vestimentorum, nec non de pontificis potestate loquitur, & se & alios fallit.

### §. DCXII.

Priuata  
quodam  
modo est  
arbitraria.

Quum vero in officio priuato res ad arbitrium priuatum quodam modo redeat, (§. DCX. 2.) consequens est: 1) vt fideles suo modo etiam *domesticam liturgiam* obseruare possint, quatenus illa precibus ac hymnis absoluitur: s) (§. XXXVIII. 1.) 2) vt tamen sacra *beterodoxa*, etiam priuata, tolerari non debeant: (§. LXXXIV. \*\*\*) 3) vt clerici potissimum ad recitandum *priuatum officium* obstricti sint: (§. CCXV. §. CCC LXXXI. 2. sequ. & § DXXVII. 7.) 4) vt tamen  
in

---

s) conf. Nou. XVIII.

illo non respiciatur ad horas, nec ad corporis gestus, 5) vt tamen integrum officium spatio XXIV. horarum recitandum sit: 6) vt praestet *horis* stricte inhaerere: 7) vt & hic vtendum sit officio dioeeseos, nisi Romanum praefertur & receptum sit. (§. DCXI. 3.) 1)

## §. DCXIII.

Quum deinde liturgia quoad dies variet, Variat, quoad dies pro diuersitate decursus annorum, (§. DCX. 3.) notari debet, 1) anni ecclesiastici initium aliter computari, ac ciuilis, & *Decembrem* hic initium constituere: 2) hoc tempus *praeparatorium* esse ad festum natiuitatis dominicae: 3) diuersimode ita celebrari festum anniuersarium Andreae: 4) ipsum tempus aduentus modo plures, modo pauciores dies habere: 5) celeberrimum diem festorum esse *Paschalem*, de quo pendent reliqui dies mobiles festi, quapropter hic potissimum figendus est: 6) Pascham praecedere *ieiunium quadragesimale*: 7) Pascham sequi quadragesima diebus *adscensionem domini*: 8) quinquaginta *Pentecosten*: 9) ceteras dominicas vsque ad aduentum, ab Epiphania vsque ad Septuagesimam, quae *caput ieiunii* est, numeris distingui.

## §. DCXIV.

Quumque porro potissimum obseruanda sit certis diebus, (§. DCX. 4.) consequens est: Quando obtrineat? & quid ab ea alienum esse debeat?

A a 3

1) vt

2) FLEURY *instit. iur. can. P. II. c. 2. §. 4.*

1) vt potiffimum obtineat illis feftis diebus, quos *tota ecclefia* omni tempore obferua- uit; \* u) 2) vt etiam illi dies huc pertineant, qui *certis* faltem *ecclefiis* facri funt. 3) Vt & *fefti & feriat* dies facri funt, illi tamen *diuerfo officio* celebrari foleant, adeoque a) his die- bus ceflare debent operae feruiles & manua- les opificum, x) β) quae alia ratione facrum officium turbare poffunt; y) γ) nundinae, z) δ) comellationes, adeoque & encaenia, (§. DCCXCI. k) quia in talem abufum dege- nerarunt; a) ε) iudicia, b) ζ) ludi. c)

\* Et feftos dies & ritus vniuerfales dari, plerique putant, & ab Apoftolis inftituta deriuant. Ve- rum Apoftolos feftos dies inftituiſſe dici ne- quit. Ritus quosdam commendarunt, non per modum legis iniunxerunt. Et fefta & ritus arbitrarie ab initio obtinuerunt, dege- rarunt tamen in neceffitatem legis, ex quo *iura liturgica* orta. Ex quo enim concilia- negotia eccleſiaſtica determinarunt, varia etiam circa liturgiam adornata fuerunt.

## §. DCXV.

Origo iuris  
liturgici, &  
ius Epifcopi  
circa illud.

Quum denique plerumque determinata fit ſed ſaluo arbitrio & mutatione Epifcopi; (§. DCX. 5.) ſciendum eſt, 1) quosdam ritus ex *Apoſtolica commendatione* inualuiſſe, alios ex

u) c. 6. & 7. de *conſecr.* D. 3.

x) Concil. Aurelianenſ. III. c. 21. c. 1. X. de *feriis*.

y) Concil. Carthag. IV. *can.* 24.

z) c. 1. X. de *feriis*.

a) c. 2. D. 3.

b) c. 1. ſequ. C. 15. q. 4. c. 5. X. de *feriis*.

c) conf. Concil. Baſil. *Seſſ.* XXI.



ex *synagoga* retentos fuisse, *d*) quosdam postea ex *consuetudine* ortum duxisse: *e*) 2) *terminationem* ex *disputatione* super ritibus profluxisse: *f*) 3) eam in conciliis potissimum factam fuisse: *g*) 4) Postea inualluisse *officium Romanum*, (§. DCXI.3.) & ab ecclesiis aliis receptum fuisse: *b*) 5) consistere illud in *missa, concionibus, precibus, musica, ieiunio & abstinentia*, (§. DCCCVI.) *vestimentis variisque gestibus*: *i*) 6) liturgiam in plerisque ad *adiaphora*, (§. DCXI.\*) pertinere, adeoque mutabilem esse: *k*) 7) hanc mutationem sola *Ordinariorum* auctoritate fieri; *l*) adeoque 8) hunc etiam de *ieiuniis & abstinentia* iudicare posse. *m*) (§. DCCCVII. seq.)

DE LITVRGIA  
EX DOCTRINA PROTESTANTIVM.

§. DCXVI.

Pleraque etiam in nostris ecclesiis obtinent, dummodo notes, 1) ea, quae de officio

In quo Protestantes a Pontificiis recedant?

A a 4

Ro-

*d*) SPANHEM. *Opp. Tom. II. pag. 907.*

*e*) SOCRATES *hisor. eccl. L.V. c. 22.*

*f*) CLARCKSON *discours sur les liturgies.*

*g*) CONF. EDMUNDVS MARTENE *de antiqu. eccl. ritib. & de antiqua eccl. discipl. in celebr. diuin. offic.*

*b*) CONF. SAPIVS *hisl. conc. Trid. L. VI. pag. 498. seq.*

*i*) CONF. *Missale Romanum, Pontificale Romanum, Et Ceremoniale Episcoporum.*

*k*) Concil. Trid. *Sess. XXII. c. 25.*

*l*) FLEVRY *cit. loc. P. II. c. 2. §. 6.*

*m*) c. 2. X. *de obseru. Ieiunii.*

Romano, (§. DCXI. 3. §. DCXII. 7. & §. DCXV. 4.) 2) de obligatione legali ad fundendas a clericis certas preces, (§. DCXII. 3. seq.) si canonicos excipias; (§. CCCC LXXXVI. 2.) 3) de ieiunio quadragesimali, & 4) de dierum dominicalium a Pentecoste distinctione per numeros, (§. DCXIII. 6. & 9.) 5) de missa, 6) de Episcopali potestate legalibusque ieiuniis & abstinentiis (§. DCXV. 5. 7. & 8.) occurrunt, in nostris ecclesiis non obtinere. Quum vero & hic sua propria instituta habeant Protestantes, paullo altius res omnis repetenda est.

### §. DCXVII.

Deus qua  
ratione co-  
lendus?

DEVM esse colendum, esse spiritum, concedi postulo, idque ex inuictissimis Theologorum argumentis, Hinc sequitur: 1) eum potissimum *interna animi & spiritus veneratione* esse colendum; 2) verum tamen venerationem intra animi penetralia non subsistere, sed insuper *in congruos actus, gestus, motus externos* erumpere, qui de cultu interno testimonium perhibent, 3) his externis ritibus maxime opus esse, ubi in *externam societatem*, colendi DEVM causa, homines coeunt.

### §. DCXVIII.

Axiomata.

Inde necto axiomata: I, ritus sunt necessarii ad religionem; II, Vt ordo in illis obseruetur, in societate, propter religionem inita, determinatio requiritur. (§. LXI. seq.)

III. Hanc

III. Hanc determinationem a collegio, & suo  
 n) odo a Principe fieri. (§. LXXXIV, sequ. &  
 §. LXXXVIII. seq.)

§. DCXIX.

Ex primo disco: 1) vtut externe DEVS Ratio cul-  
 tus externi. colendus sit, *primario* tamen & per se verum  
 DEI cultum in externis ritibus haud con-  
 sistere: 2) cultum *ceremonialem* parçe adhi-  
 bendum esse, cum Christus legum ceremo-  
 nialium finis fuerit: n) 3) ordinem quidem  
 desiderari in externis coetibus, sed 4) suffi-  
 cere *simpliciore*: o) (§. LIX. seqq.) 5) sicuti  
 vero olim ex variis caussis variū ritus intro-  
 ducti, & ceremoniae multiplicatae fuerunt;  
 p) ita hodiernum potius de ritibus *restrin-*  
*gendis*, quam multiplicandis cogitandum  
 esse.\* 6) Etiam apud Protestantes ritus *uni-*  
*uersales*, (§. DCXIV, \*) & 7) particulares sin-  
 gularum ecclesiarum occurrere; (§. DCXI,  
 2.) 8) cultus diuini potiozem partem in ri-  
 tibus quaerendam haud esse, ne in *supersti-*  
*tionem* abeamus; sed 9) eos ita esse adornan-  
 dos, vt ad *solidam pietatem* homines dedu-  
 cant: q) 10) ritus omnes aequae ac festos  
 dies *indifferentes*, adeoque in sua adiaphoria  
 relinquendos, r) proinde 11) de *adiaphoris*

A a 5

non

n) Rom. X. 4.

o) Luc. XVII. 20. Rom. I. 9. Philipp. III. 3.

p) III. BOEHMER *iur. eccl. Prot. Tom. III. diff.  
 praelim. §. 16. sequ.*

q) CONF. SPANHEM *orat. de Christian. degen.*

r) c. II. D. 12.

non odiose pugnandum esse: 1) 12) sic omnia *bella adiaphoristica*, utpote ecclesiae exitiosa, proscribenda erunt.

\* Cordatiores facile mecum facient, scilicet plurimas ecclesias Protestantium a ceremoniarum iugo liberatas haud esse: multos ex ritibus *superstitionem* redolere, & illam egregie promouere, nisi sedulo doctrina hic proposita inculcetur.

### §. DCXX.

Quatenus tempore reformationis liturgia determinata?

Ex secundo (§. DCXVIII, 2.) notari debet: 1) inter Protestantes determinationem ab initio ita factam esse, ut quosdam ritus ex Papatu reiecerint, alios retinuerint, & propugnauerint: 2) singulas ecclesias liturgiam in certum ordinem reuocasse, vnde *Agendarum*\* & *Ordinationum ecclesiasticarum* origines petendae: \*\* 3) ius liturgicum apud nos deriuandum esse α) ex obseruantia, (§. CXXX. seq.) β) consuetudine, (§. CXXXIV. sequ.) γ) Legibus, (§. LXXXII.)

\* In vulgus nota est adpellatio: *Agenda* vel *Kirchen-Agende*. Forsan ea inde inualuit, quod liturgia *officium* & *ministerium sacrum* vocata fuerit, (§. DCVIII. \*) hinc *Agenda* officium illud ipsum, quod *agendum est*, denotat. IO. ANDR. SCHMID *de Agendis*.

\*\* Harum historiam contexit Reu. Dn. CYPRIANVS in den Bericht von Kirchen-Ordnungen; catalogum earum exhibet. SCHMID *cit. loc.*

### §. DCXXI.

1) vid. SCHILTER *de libert. eccl. germ.* L. VII. c. 8. §. 10. *sequ.*

## §. DCXXI.

Ex tertio denique (§. DCXVIII. 3.) sequitur: 1) ordini clericorum nec olim com-  
petuisse, nec hodie adscribendum esse ius adorandi liturgiam, Penes quem ius adorandi liturgiam. sed 2) totam ecclesiam in ea determinanda concurrisse: 3) nec hodie ecclesiae, ut collegio, hanc facultatem invidendam esse: (§. LXXXIV. & §. LXXXVIII. seq.) 4) plerumque tamen inter Protestantes haec iura collegialia in Principem collata fuisse; (§. XC. seq.) proindeque 5) principes euangelicos liturgica determinare; \* immo 6) ritus huc usque receptos, licet pro oecumenicis reputentur, abrogare & mutare posse: \*\* hinc 7) illi recte ordinant preces publicas, & externa sollemnia circa illas observanda determinant: t) (§. DCLXXI. 2. sq.) 8) indicunt litanias & ieiunia, \*\*\* (§. DCCCVII. seq.) 9) horas precatorias, 10) festos dies & ferias; \*\*\*\* 11) curam gerunt Calendarii: u) 12) ordinant sermones ad populum habendos & catechesationes aliaque liturgiam respicientia, in nuptiis, sepulturis aliisque actibus.

\* Plerumque cum CARPZOVIO P. II. dec. 113. in alia nostrates abire solent, & huius viri doctrinas etiam regustavit SCHILTER institut. iur. can. L. II. tit. 1. §. 8. sed hos non moror, & distictis horum iam ex delibatis (§. LXXVIII. seqq.) satisfieri poterit.

\*\* Rursus in contraria ruunt quidam Protestantium. HILDEBRAND de ritibus sacr. quorum tamen doctrinae non cohaerent. Hoc

lar-

t) conf. III. BOEHMER *diss. de iur. prec. publ.*

u) vid. *infr. Lib. III. tit. de feriis.*

largior, nec *patronis*, nec *magistratui* inferiori, licet iurisdictione quadam ecclesiastica gaudeat, nec *consistoriis* talia licere.

\*\*\* *Litaniae* sunt *deprecationes*, L. 30. C. Theod. *de haeret.* Cum hae in publicis processibus canerentur, inde ipsa *processio* nomen *litaniae* accepit. CASALIVS *de vet. Christ. sacr. rit.* c. 40. Ortae ex publicis calamitatibus, HILDEBRAND *de prec. vet. Christ.* c. 2. §. 13.

\*\*\*\* Etiam circa *Sabbathum* disponere Princeps potest. Legem de Sabbatho *moralem* haut esse, cum praestantissimis Theologis & iureconsultis contendo. vid. IO. FECHT *diff. de moral. Sabb.* I, S, STRYCK *diff. de iur. Sabb.* III. BOEHMER *iur. eccl. ant. diff.* 1. adeoque criminationes, quae contra hanc doctrinam iam prodierunt, & forsitan adhuc prodire possunt, non metuo, cum nec desint argumenta, ab aliis, quantum scio, nondum tacta.

#### §. DCXXII.

Quid Principi a sacris subditorum alieno liceat?

Quod si vero Princeps diuersae religionis sit, tunc quid illi liceat, intuitu dissentientium, ex supra dictis iam constabit. (§. LXXXVI. 4. sequ.) In imperio vero nostro germanico potissimum ad terminum anni decretorii respiciendum est, \*) adeoque nec liturgia, nec feriae dissentientibus obrudi possunt. (§. XLIV. seq. & §. XCVII. \*\*)

### TIT. III.

#### DE SACRAMENTIS

#### EX MENTE IURIS CANONICI.

#### §. DCXXIII.

Connexio.

QVum ad iurisprudentiam ecclesiastica negotia vel propterea pertineant, quatenus

\*) *Instr. Pac. art. V. §. 31.*

tenus ordo in iis obseruatur; (§. DCV.) ad negotia vero ecclesiastica sacramenta referri debeant, (§. DCVI.) immo sollemnis liturgia in illorum administratione consistat; (§. DCIX.) nunc quatenus ad iurisprudentiam *sacramenta* spectent circumspicendum est.

## §. DCXXIV.

Sacramenti vox in sacris non occurrit, Sacramenti descriptio. plerumque tamen describitur, quod sit: *visibile signum, inuisibilis gratiae, vel: inuisibilis gratiae visibilis forma.* y)

## §. DCXXV.

Placet iuri canonico numerus *septenarius*, Numerus. licet iuxta definitionem plura esse possint, adeoque huc refert: I. Baptismum: II. Confirmationem: III. Eucharistiam: IV. Poenitentiam: V. Ordinem sacrum: VI. Matrimonium. VII. Extremam unctionem.

## §. DCXXVI.

Diuidunt ea 1) in *necessaria & voluntaria*; Diuisio. illa a nemine sine salutis aeternae dispendio negligi posse contendunt, & *quatuor priora, cum ultimo* huc referunt; haec pro cuiusvis arbitrio recipi posse aut omitti putant, *quintum scilicet & sextum*: 2) in *characterem imprimentia*, quae iterari nequeant; & *non imprimentia*, quae iterationem admittant. 2)

## §. DCXXVII.

y) CORVINVS *instit. iur. can.* L. II. tit. 2. §. 1. de ROYE *instit. iur. can.* L. II. tit. 2. §. 2.

z) LANCELOTTVS *instit. iur. can.* L. II. tit. 2. §. 4.

## §. DCXXVII.

**Axiomata.** De his notanda axiomata: I. Sacramenta constant elemento & verbo. II. Eorum administratio regulariter requirit personam qualificatam. III. Vim vero sacramentis non dat persona ministrans. IV. Necessaria a Christiano non sunt negligenda.

## §. DCXXVIII.

**Quid sacramentum constituat?** Ex primo eliciunt, 1) sub elemento denotari, quidquid sub visibili natura invisibilem gratiam designat ac continet: 2) verba esse, quae formae visibilis efficaciam expriment, adeoque 3) accedente verbo ad elementum, fieri demum sacramentum: a) 4) ea esse administranda debita forma.

## §. DCXXIX.

**Quis eas administrat?** Ex secundo (§. DCXXVII. 2.) sequitur: 1) singula sacramenta habere suum *proprium ministrum*, vel Presbyterum vel Episcopum: b) (§. CCXXXVI. & §. CCXLVI.) 2) administrationem eorum referri inter iura parochialia (§. DXCV. 5.) & *diocesana*: (§. CCXLVIII. 4.) 3) Baptismum tamen ceu introitum in Christianismum *quemlibet* in necessitatis casu administrare posse. (§. DCXLI. 3. seq.)

## §. DCXXX.

**Non capiunt vim administrante.** Ex tertio (§. DCXXVII. 3.) fluit: 1) Sacramentis efficaciam accedere a spiritu sancto;

a) LANCELOTTVS C. I §. 5.

b) CORVINVS cit, loc, §. II<sup>a</sup>



cto; c) proinde 2) etiam valida esse, licet a *malis* aut *baereticis* fuerint administrata, d) dummodo 3) illis *debita forma e)* & *intentiono* accesserit; f) 4) non iterabilia & tunc *characterem* imprimere, officii tamen executionem non tribuere.

### §. DCXXXI.

Tandem ex quarto (§. DCXXVII. 4.) sequitur: 1) ut in sacramentorum perceptione fideles *praeceptum ecclesiae* adimplere, g) adeoque  $\alpha$ ) ad baptismum infantes aequae  $\beta$ ) ad confirmationem offerre: (§. DCXXXVIII. & DCXLVI.)  $\gamma$ ) iusto tempore poenitentiam agere: (§. DCLXXVII. 2. & 7.)  $\delta$ ) Eucharistiam suscipere (§. DCLVI.) &  $\epsilon$ ) unctiorem extremam expetere debeant: (§. DCCI.) 2) ut qui ea omittunt, viui ab *ecclesiae ingressu* arceantur, & mortui *Christiana careant sepultura*: b) (§. DCCCXXV.  $\theta$ ) 3) ut non iterabilia reiterans grauitor delinquat. i)

Fruitio eorum necessaria.

DE

c) c. 81. & 84. sequ. C. 1. qu. 1.

d) c. 18. D. 19. c. 97. sequ. C. 1. qu. 1.

e) c. 51. C. 1. qu. 1.

f) LANCELOTTVS cit. loc. s. 8.

g) BARBOSA de offic. & potest. paroch. P. II. c. 20.

nr. 12.

h) conf. c. 12. X. de poenit. & remiss.

i) conf. tit. X. de apost. & reiter. baptism.

DE SACRAMENTIS  
EX DOCTRINA PROTESTAN-  
TIVM.

§. DCXXXII.

Criteria sa-  
cramento-  
rum.

Protestantes in tradenda definitione Sa-  
cramenti non adeo solliciti sunt, sed potius  
certa *κρίσησις* ponunt, vnde cognosci possit,  
esse aliquod institutum *sacramentum*. Hinc  
desiderant: 1) vt sit institutum in nouo te-  
stamento: 2) ab ipso saluatore Christo 3) sub  
sensibilibus signis siue elementis, 4) cum  
quibus per verba institutionis res coelestes  
exhibeantur: 5) vt promissio adsit, DEVM  
velle sic bona coelestia conferre, & collata  
obsignare: 6) vt vrentibus adsit gratia di-  
uina, & 7) haec instituta sint duratura vsque  
ad consummationem seculi.

§. DCXXXIII.

Numerus.

Exinde porro inferunt: *duo* saltem dari  
*sacramenta*, puta α) *Baptismum* β) *Euchari-*  
*stiam*, cum in reliqua pontificia sacramenta  
haec requisita non quadrent. Eucharistiam  
*reiterari* posse & deberi, (§. DCLX. 1.) mini-  
me vero baptismum. (§. DCXLII. \*)

§. DCXXXIV.

Aliqualis  
descriptio.

Sic itaque aliquali modo sacramenta de-  
scribi possunt, quod sint: *signa visibilia gra-*  
*tiam inuisibilem significantia, a DEO instituta,*  
*vt per externum elementum bonum inuisibile vt*  
*verbi diuini conferatur & obfignetur.*

§. DCXXXV.

## §. DCXXXV.

Verum haec Theologis relinquenda, & Miscellaneae observationes de sacramentis. potius quae *ordinem* (§. DCII. 4.) concernunt, paucis obseruanda sunt. Proinde sciendum, 1) Sacramenta regulariter administranda sunt a *ministris ecclesiae*: 2) iuxta institutionem diuinam: 3) Reliquos ritus esse arbitrarios: 4) administranda ordinarie a *paroco* parochianis, (§. DXCV. 5.) 5) *membris ecclesiae*: 6) *anhelantibus & desiderantibus*: \* 7) Baptisma iterantes delinquere aequae ac 8) illi, qui in administratione sacramentorum iura-parochialia turbant, reliqua in sequentibus titulis occurrent.

\* Quatenus parentes cogi possint, vt liberos suos baptismo offerant, statim dicitur. (§. DCXXXVIII. 2. seq.) Vt vero ipse quis sacramento fruatur, cogi nequit, licet quoad Eucharistiam CARPZOVIVS *iurispr. consist.* L. II. d. 293, in contrariam inclinet sententiam, (§. DCLX. 1.) Verum cum haec *coactio* ipsis libris symbolicis repugnet, merito repudianda erit.

## TIT. IV.

## DE BAPTISMO.

## §. DCXXXVI.

Quum & Pontificii (§. DCXXV.) & Protestantibus (§. DCXXXIII.) baptismum inter *sacramenta* referant, nunc de illo maxime, cum introitus in christianam ecclesiam sit, agi debet. Non vero pure theologice baptismum considero, sed simul eate-

nus, quatenus ad iurisprudentiam spectat. Sic itaque illum describo, quod fit: *ablutio hominis, sub forma a Christo praescripta, aliisque sollemnibus facta, quibus mediantibus, quis in ecclesiam recipitur, & abhinc certis effectibus ecclesiasticis & civilibus utitur.*

§. DCXXXVII.

Axiomata. Inde deduco axiomata: I. Baptismus est introitus in ecclesiam christianam etiam externam. II. Peragendus est iuxta institutionem Christi. III. Requirit certos ministros. IV. Producit varios effectus spirituales & iuridicos. In plerisque quum Protestantibus cum Pontificiis conueniant, discrepantiam saltem per scholia obseruabo.

§. DCXXXVIII.

Quinam baptizandi? Quum itaque baptismus sit introitus in ecclesiam, (§. DCXXXVII. I.) sequitur: 1) ut baptizandi sint *paruuli*, \* sed iam nati: k) 2) ut parentes christiani, qui Anabaptistarum sacra non amplectuntur, *cogi* possint, ad offerendos infantes baptismo: 3) ut tamen *infidelium* liberi, nisi a parentibus offerantur, ex officio baptizari nequeant: 4) ut infantes sine baptismo decedentes *inter infideles* collocentur; \*\* l) 5) ut *adulti* ante omnia rudimentis fidei solide imbuedi sint, qui, quum olim per catechismum praeparandi erant, *catechumenorum* nomen gesse-

k) c. 115. 129. 130. 138. sequ. de consecr. D. 4.

l) c. 142. de consecr. D. 4.

gesserunt: m) 6) vt adulti, qui loqui possunt, ipsi respondeant; pro paruulis vero, & qui loqui nesciunt, patrini: (§. DCXXXIX. I. sq.)

n) 7) vt intuitu infantum ratione baptismi sit respiciendum ad *religionem parentum*.

\* De paedobaptismo variae concertationes varia aetate fuerunt. Quidam putant, paedobaptismum nec Christum, nec Apostolos praecipisse, sed demum sec. III. contra rationem Christianismi inualuisse. ANT. van DALE *hist. baptismor.* Alii contra ipsum in nascente ecclesia iam obtinuisse contendunt. BINGHAM *cit. loc.* Lib. XI. c. 4. Alii denique putant, non quidem praeceptum fuisse baptismum infantum, nec in prima ecclesia statim frequentatum, ad exemplum tamen circumcisionis recte postea obtinuisse. conf. THOMASIVS *ad Lancellot. not.* 54. Dn. PFAFF *Orig. iur. eccl. pag 83. sequ.* Obtinuit sane alicubi sec. II. sed non sine contradictione, immo adhuc sec. III. quidam dubitarunt, num infantes hoc lauacro abluendi essent. Haec omnia in *Hist. eccles.* quam adorno, vberiori ratione demonstrabo.

\*\* Protestantes hanc duram opinionem non agnoscunt; ille vero, cuius culpa infans sine baptismo decessit, punitur.

### §. DCXXXIX.

Quum vero pro quibusdam personis respondeant *patrini*, (§. DCXXXVIII. 6.) de his sciendum est, 1) eos iam olim in baptis-

De patri-  
nis.

Bb 2

mo

m) PFANNER *de catechum.* BASNAGIVS *diff. de catechum. annal.* T. II. pag. 563. LAROQUANVS *aduers. sacr.* L. III. c. 1. BINGHAM *orig.* L. X. c. 1. *sequ.*

n) c. 74. *de consecr. D. 4.*

mo etiam *adulorum* adhibitos fuisse: \* 2) illos esse quasi *fideiuffores*, adeoque merito habilitatem & idoneitatem in illis desiderari; proindeque ad patrinorum munus non admitti, α) qui *nondum* sunt *baptizati*, nec *confirmati*; \*\* ο) β) *abbates, monachos, moniales*; ρ) γ) *parentes*: \*\*\* ρ) δ) *exclusos a sacro commercio*, quales sunt *excommunicati*, & in statu *poenitentiae* constituti; ε) *haereticos*: \*\*\*\* ρ) 3) ut *numerus*, ubi lege definitus non est, *arbitrarius* sit, ius vero communē *duos* tantum *patrinos* diversi sexus admittat: ς) 4) ut inter patrinos ex susceptione & praesentatione baptizati *cognatio* oriatur: \*\*\*\*\* ε) (§. DCCXXXIX.) ζ) ut nomina patrinorum dyptichis inserantur: η) denique θ) ut nemo ad munus patrini cogi possit.

\* Originem patrinorum ex baptismo infantum repetit GERH van MASTRICHT *de susceptor. pag. 16. seqq.* Sed recte observat illustr. BOEHMER *iur. eccl. Prot. tit. XLII. §. 35.* iam antea in adulorum baptismo sponsores & testes adfuisse. Id ipsum pluribus exsequitur BINGHAM *orig. L. XI. c. 8.*

\*\* Nostrates a munere patrinorum arcent *impubes*, qui nondum sacrae Eucharistiae participes facti sunt.

\*\*\* Hos

ο) c. 102. *de consecr. D. 4.*

ρ) c. 103. *sequ. de consecr. D. 4.*

ρ) c. 3. *eod.*

ρ) BINGHAM *orig. L. XI. c. 8. §. 10.*

ς) c. fin. *de cognat. spirit. in 6.*

ε) cit. c. fin.

η) BINGHAM *cit. loc. §. 13.*

\*\*\* Hos excludunt propter cognationem spiritualem, quam sic contrahi putant. (§. DCC XXXIX.) Sed cum ante introductam hanc cognationem parentes liberos suos baptismo obrulerint, MASTRICHT *cit. loc. pag 60. sq.* BINGHAM *cit. loc. §. 2.* cur apud nos proprios liberos suscipere nequeant, ego non video.

\*\*\* Nec nos excommunicatos admittimus. Immo liberaliores sunt quidam, & etiam improbos & ofores sacramentorum arcendos esse contendunt, quo ipso difficultates non paucae exsurgunt, vt reductio praxeos antiquae, quae saltem exclusos arcebat, omnino exoptanda sit. Arcendos esse haereticos, nostri rursus profitentur, immo his accensent suspectos de haeresi, & errantes in aliquo articulo etiam non capitali, quod vel exemplo Wesembecii constat. MVLLER *Staats Cabinet, P. I. c. 3.* Quidam nequidem dissentientes in religione in imperio adprobata admittere volunt. CARPZOV. *iurispr. consist. L. II. d. 266.* Verum quis prudens his opinionibus calculum addet?

\*\*\*\* Repudiamus cognationem spiritualem, sed *contactum* baptizati a patrinis fieri, in nostris ecclesiis videmus.

### §. DCXL.

Quum deinde baptismus peragendus sit iuxta institutionem Christi, (§. DCXXXVII. 2.) consequens est: 1) vt instar aliorum sacramentorum requirat *verba & elementum*, (§. DCXXVII. I.) 2) vt adhibenda sint *verba a Christo tradita, x)* & 3) *aqua pura*: 4) vt

B b 3

b3.

x) Marth. XXVIII. 19, c. 13, 19. & 82. *de consecr. D. 4. c. 1. X. de baptism.*

baptizandus *immergendus* fit in aquam, vel aqua *adspergendus*: *y*)  $\zeta$ ) vt reliqui ritus ad *accidentalibus* & *adiaphora* pertineant: *z*) quorum pertinent *a*) numerus adspersionis seu immersionis, licet *terna immersio* ritus antiquissimus sit; *a*)  $\beta$ ) *abrenuntiatio* diaboli, qui tamen ritus etiam antiquus est: *b*)  $\gamma$ ) *exorcismi* clericorum & *exufflationes*; *\*c*)  $\delta$ ) *crucis signaculum* tam in fronte, quam in corde; *d*)  $\epsilon$ ) *manus impositio*; *e*)  $\zeta$ ) *orationes* & *sal benedictum*; *\*\*f*)  $\eta$ ) *taetus* narium & aurium *salua*; *g*)  $\theta$ ) *unctio*, quae diuersa ab illa, quae in confirmationem fidei (§. DCXLIII. seq.) facta fuit; *\*\*\*b*)  $\iota$ ) *impositio nominis*;  $\lambda$ ) *alba vestis*; *\*\*\*\*i*)  $\mu$ ) *conuiuia* baptismalia; *k*)  $\nu$ ) *contactus* baptizati, (§. DCXXXIX. *\*\*\*\**) *o*) *locus*: *\*\*\*\*\**  $\omicron$ ) vt verus sit baptismus, licet *verba* a sacerdote imperito *contra Gram-*

*ma-*

- 
- y*) SCHILTER *instit. iur. can.* L. I. tit. 2. §. 14.  
 FLEVRY *instit. iur. can.* P. II. c. 3. §. 2. BINGHAM  
*orig.* Lib. XI, c. 11.
- z*) CONF. CORVINVS *cit. loc.* L. II. tit. 3. §. 6.
- a*) TERTULLIANVS *de corona* c. 3. CAR. COINTIVS  
*annal. eccl. Francicae* Tom. I. anno 496. nr. 52.
- b*) BINGHAM. *cit. loc.* c. 7.
- c*) c. 62. *de consecr.* D. 4.
- d*) c. 63. *eod.*
- e*) c. 65. *eod.*
- f*) c. 64. *sequ. eod.*
- g*) *cit.* c. 64. *sequ.*
- h*) c. 68. *eod.* BASNAGIVS *dissert. de catechum.* §. 21.
- i*) DALLAEVS *de cult. Latin. relig.* L. I. c. 14. *in fin.*
- k*) STVCK *in antiqu. conuiu.* L. I. c. 16.



*maticam fuerint prolata: l) 7) vt tamen aliud dici debeat, si verba mutilata fuerint. m)*

\* Bini Exorcismi requiruntur. BINGHAM *cit. loc. c. 62. & 66. de consecr. D. 4.* Est ritus corruptae iam ecclesiae & sec. IV. demum ortus. BASNAGIVS *diff. de catech. s. 17. sequ.* Olim Exorcismi solis energumenis adplicati. Nescio, cur in hoc ritu propugnando adeo feruidi sint plures Protestantium Theologi. Sane abrogatus est variis in locis. Nullum praesidium ex antiquitate & puriori ecclesia illi accedit.

\*\* *Orationes & preces*, quibus olim ipsa aqua consecrata fuit, BINGHAM. *Orig. Lib. XI. c. 10.* Protestantes retinuerunt; *salis* vero vsus apud illos exfulat.

\*\*\* *Saliuae* vsus apud nos ignoratur, cur vero *unctio* reprobata fuerit, ego non video. Fauet huic ritui purior antiquitas, & conuenientem significatum habet, quam ipsi Christiani *uncti* dicantur, & baptizatos *unctio* admoneat, se nunc factos Christianos & ad regale & spirituale sacerdotium adlectos. Recte proinde substitui *unctio* posset in locum exorcismi.

\*\*\*\* Nudi baptizati stabant in aqua. Egressi vero lauacrum *alba veste* induebantur. Vtrum iam sec. III. vsitata fuerit, vti contendit GODOFR. WEGNER *diff. de alba baptizat. veste*, dubium est. Sec. IV. auctores illius mentionem iniiciunt. BINGHAM *orig. L. XII. c. 4. s. 1. seqq.* Dicitur hodie *Westerhembd*, forsitan a latino vestis.

\*\*\*\*\* Olim *flumina* locum baptismi constituebant. TERTVLLIANVS *de baptismo c. 4. & 6.* Tempore persequutionis in *thermis* & *balneis* baptismum peragebant. Sec. IV. peculiariter *baptisteria* exstructa, & tunc pederentim

B b 4

ad

l) BINGHAM *cit. loc. c. 72. & 86. de consecr. D. 4.*

m) c. 1. X. *de baptisin.*

ad ecclesias baptismales baptismus restrictus fuit. BINGHAM. *Orig.* L. VIII. c. 7. L. XI. c. 6. §. II. *sequ.* CALVOER *rit. eccl.* P. II. *Sect.* I. c. II. Sed ad locum potius adstringebant baptismum, propter *congregationem* fidelium, quam quod loci sanctimoniam respexissent. Adeoque Protestantes merito baptismum in *ecclesia* seu fidelium congregatione peragere deberent.

## §. DCXLI.

Quis baptismum peragere possit?

Quum vero porro baptismus requirat certos ministros, (§. DCXXXVII. 3.) inde administrationem illius 1) ordinarie vindicant *Presbyteris*, & apud nos omnibus *ecclesiae ministris*: \* 2) introductis parochiis ius dandi baptismum ad *iura parochialia* refertur, (§. CCCLXII. 2. *seq.* & §. DXCV. 5.) ita tamen, vt 3) in casu necessitatis *omnis laicus* baptismum peragere queat, etiam *femina*: \*\* n) immo 4) *haeretici, pagani, iudaei, o)* & 5) *pater*, qui baptizandum generauit: p) dummodo 6) debita *materia, forma & intentione* \*\*\* vtantur: q) 7) Vt tamen *seipsum* nemo baptizare possit. r)

\* Olim quilibet fidelium baptismum administravit. Ex quo vero Presbyteris negotiorum ecclesiasticorum directio commissa, ius dandi baptismum *ordinis gratia* etiam illis cessit. Quum vero inter Presbyteros vnus primum locum obtinuerit, ille etiam cum aliis iuribus, *ius dandi baptismum* sibi vindicavit.

n) BINGHAM *cit. loc.* c. 19. *de consecr.* D. 4.

o) CORVINVS *institut. iur. can.* Lib. II. *tit.* 3. §. 19.

p) c. 17. C. 30. *qu. 1.*

q) c. 1. 25. *seq. de conse.* D. 4. Conc. Trid. *Sess.* VII. c. 11.

r) c. 4. X. *de baptism.*

vindicauit, donec tandem ad iura *parochialis* relatum fuerit. Ill. BOEHMER *iur. eccl. antiqu. diff.* 10.

\*\* Negatum id olim fuit feminis. TERTULLIANVS *de baptismo* c. 1. & *de praescript. adu. haeret.* c. 41. Concil. Carthag. IV. c. 100. Iniquam hanc opinionem pronuntiant plerique Protestantium, ast eam non adeo absurdam puto. Sane ius dandi baptismum Christus cum *euangelii praedicatione* coniunxit. Matth. XXVIII. 19. *Μαθητεύσατε βαπτίζοντες*. Sicuti vero praedicatio euangelii *feminis* non permittitur; ita forsitan non inique illis ius dandi baptismum denegatur, quod ipsum ni fallor reformati propugnant.

\*\*\* Eatenus *intentio* admitti potest, vt excludatur actus iocosus. Sed vbi paganus, aut Iudaeus illum administrat, crederesne illum seria intentione agere?

## §. DCXLII.

Quum tandem varios effectus producat <sup>Effectus</sup> baptismus, (§. DCXXXVII. 4.) sciendum est: <sup>baptismi.</sup>

1) hos esse vel *spirituales* & *internos* vel *ciuiles* & *externos*: 2) vt illi in *regeneratione* potissimum consistant, de quibus Theologi agunt: 3) vt etiam huc referenda sit *characteris impressio*, propter quam baptismus reiterari nequeat: \* 1) 4) vt proinde ille, de cuius baptismo dubitatur, *sub conditione* baptizandus sit: 1) 5) ad ciuiles vero & externos effectus referri debet, quod baptizatus

B b 5 fiat

s) c. 108. *de consecr.* D. 4.

t) c. 2. X. *de baptism.*

fiat *membrum ecclesiae*; vnde etiam 6) olim mox ad Eucharistiam admissi fuerunt, licet essent infantes: *u)* 7) quod baptizati *nouum induant statum*. 8) Quod ex baptismo oriatur *cognatio spiritualis*; \*\* ne 9) de spuris effectibus aliquid dicam, *x)* quorsum etiam 10) referri debet communis de *pecunia lustrica* opinio, *y)*

\* Baptismum non esse reiterandum, etiam Protestantes docent, sed ex aliis principiis. Characteris impressionem ignorant, & sic in dubio pure non sub conditione baptismum peragunt.

\*\* Hanc respuunt Protestantes, ceu infra in sponsaliorum & nuptiarum materia dicitur. (§. DCCLVIII. i.)

## TIT. V.

### DE CONFIRMATIONE.

#### §. DXCLIII.

Connexio.

**P**ost baptismum conferenda *confirmatio*, quae *traditio spiritus sancti* dicitur, *z)* quam, quibus illa obtigit, spiritus sancti donis imbuantur, & aduersus vim daemonum aliorumque muniantur, *a)* cuius indoles \* nunc enucleanda est.

\* Olim

*u)* CYPRIANVS *de lapsis*.

*x)* CONF. IAC. FRID. LVDOVICI *de effect. baptism. iurid.*

*y)* CONF. GEORG RADOV *de pecun. lustric.* qui tamen non ubique acu rem tangit.

*z)* c. 7. *de consecr.* D. 5.

*a)* c. 2. & 5, *eod.*

\* Olim erat accessorium baptismi & ritus *baptismatis*. vid. DALAEVS *de confirmat.* contra quem vero calamum strinxit NAT. ALEXANDER *hist. eccl. Tom. III. diff. 20* qui pro *sacramento vero noui foederis* illam venditat. Verum manuum impositio miraculosa *Act. VIII. 15.* sequ. ansam praebuit, vt ritus hic baptismi adderetur, & baptizatis statim post baptismum manuum impositio obtingeret. Haec impositioni manuum iam aeuo TERTVLLIANI accesserat *vnctio*, TERTVLLIANVS *de baptism.* c. 7. & 8. BINGHAM *orig. Lib. XII. c. 3. §. 2. & sec. III.* iam sub necessitate exacta fuit. Ordinarie Episcopus ritum hunc peregit, quandoque etiam Presbyteri. LARROQVANVS *aduers. sacr. L. III. c. 7.* Ex quo vero Episcopi sibi singularia quaedam iura vindicarent, & suam saltem manuum impositionem apostolicae equipararent; absente Episcopo suspensa fuit confirmatio. BINGHAM *orig. L. XII. c. 1. §. 1. & c. 2. §. 3.* & inde pedetentim in ritum separatum degenerauit. IDEM *ibid. c. 2. §. 4.* Nomen confirmationis serius inualuit. Veteres enim vocibus *confignandi* & *ungendi* vsi sunt. SVICER *thes. voc. σφραγίς & χρίσμα.*

#### §. DCXLIV.

Est vero confirmatio: *Sacramentum, quo mediante is, qui iam baptizatus est, per inunctionem, manuum impositionem aliisque solemnibus, spiritualis gratiae robur & augmentum accipit.* b)

Definitio confirmationis.

#### §. DCXLV.

b) CORVINVS *cit. loc. tit. 4. §. 4.* de ROYE *institut. iur. can. L. II, tit. 4. §. 1.*

## §. DCXLV.

Axiomata.

Hinc elicio axiomata: I. Confirmatio est sacramentum aequè necessarium, ac baptismus. II. Administranda est obseruatis substantialibus aliisque solemnibus receptis.

## §. DCXLVI.

Est sacramentum necessarium.

Ex priori axiomate discimus, 1) cur *negligi* non debeat a baptizato: c) 2) cur *adultus*, negligens confirmationem, peccet mortaliter: d) 3) cur propterea adstricta non sit ad certum aliquod tempus, licet in *Pentecoste* potissimum administrari soleat: e) 4) cur etiam vti baptismus *dona gratiosa* conferat; f) adeoque 5) nec *reiterari* possit. g) (§. DC XLII. 3.)

## §. DCXLVII.

Et solenniter administrandum.

Ex posteriori vero notandum: 1) substantiale esse *unctionem* cum oleo chrismatis in fronte sub *signaculo crucis*, vt sic manus impositio apostolica designetur: b) 2) desiderari proinde ministros *qualificatos*, scilicet *Episcopos*, i) (§ CCXLVI. 2. β) & quidem *ieiunos*: k) (§. DCCCIX. 4.) non vero 3) Pres-

e) c. 3. de consecr. D. 5.

d) CORVINVS cit. l. §. 3.

e) IDEM *ibid.* §. 9.

f) c. 1. & 5. de consecr. D. 5.

g) Conc. Trid. Sess. XXIII. de sacr. ord. c. 4.

h) c. vn. X. de sacr. unct.

i) c. 3. & 4. de consecr. D. 5. conc. Trid. cit. loc. & Sess. VII. de confirm. can. 3.

k) c. 7. de consecr. D. 5.

Presbyteros, nisi ex *dispensatione* summi pontificis; l) 4) administrari illam sub solemnibus *formulis*: m) 5) desiderari etiam certas qualitates in confirmando, puta vt *excefferit septennium, ieiunus & confessus sit*: n) 6) occurrere & hic *parrinos*: o) (§. DC XXXIX.) 7) *nouum* confirmandum adsumere *nomen*, quod etiam confirmandus a confirmando poscit, p)

## DE CONFIRMATIONE INTER PROTESTANTES.

### §. DCXLVIII.

Quum vero requisita, quae in sacramen-  
tis Protestantes desiderant, (§. DCXXXII.)  
in confirmatione non occurrant, illam a numero sacramentorum eximunt. Interim ipsum *ritum*, ceu antiquissimum, & si adaptatum hodiernum Romanum sustuleris, non inutilem, in totum vix reprobant. Remotis enim inutilibus traditionibus *pie & utiliter* retineri potest, sicuti etiam in multis ecclesiis obtinet.

Retinenda confirmatio ceu pius ritus.

### §. DCXLIX.

Strictim saltem praxin nostrarum ecclesiarum declarabo: 1) est instar praeparationis illis, qui prima vice ad sacram coenam  
acce-

Qua ratione obtineat.

l) Gloss. ad c. 4. de consecr. D. 5.

m) vid. CASTALDVS in prax. cer. Lib II. Sect. 15. c. 2.

n) c. 7. & 16. de consecr. D. 5.

o) Conc. Trid. Sess. XXIV. de reform. matr. c. 2.

p) CASTALDVS cit. loc.

accedunt: 2) foedus cum Deo in baptismo initum sic confirmatur: 3) peragitur a quolibet pastore 4) ad nullum certum tempus alligatur: 5) ipse ritus variat pro diuersa ecclesiarum consuetudine.

TIT. VI.  
DE EUCHARISTIA  
EX DOCTRINA IVRIS CANONICI  
§. DCL.

Connexio.

Quid Eucharistia?

**A**D sacramenta noui foederis pertinet eucharistia, (§. DCXXV. 3.) ad cuius considerationem ordo nos ducit. Est vero Eucharistia: *participatio corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, quae species in prolatione verborum sacramentalium transubstantiantur, q) in cuius consecratione & fruitione sacrificium nouae legis occurrit. \* r)*

\* Eucharistia veteribus dicta fuit a graeco *ευχαριστίας*, *Matth. XXVI. 27. Luc. XXII. 19.* a causa facil. finali, *gratiarum actione* pro beneficii redemptionis. In Scripturis audit *κυριακόν δεῖπνον* 1. *Cor. XI. 20. κλάσις τῆς ἄρτης*, *Act. II. 42. & 46.* cum in illius fruitione ius communionis potissimum quaererent, inde *συναξίς* seu communio dicta. III. BOEHMER *iur. eccl. antiqu. diff. 3. §. 25. & 28.* Cum Agapis esset coniuncta, & post illas celebraretur *Postcoenium*; III. BOEHMER. *cit. loc. diff. 4. §. II.* sequi quod viam ad futuram Dei fruitionem praebeat *viaticum*; quod preces ardentes hoc sacramentum perficerent, & hae Deo offerri dicerentur

q) c. 33. & 42. *de consecr. D. 2. c. 55. & 69. de consecr. D. 3. c. 6. & X. de celebr. miss.*

r) c. 11. *de consecr. D. 2.*



cerentur ab omnibus fidelibus, *sacrificium*, initio mystico in sensu, postea ex corruptione, in proprio. III. BOEHMER *cit. loc.* §. 34. Tandem cum consecratio, transubstantiatio, preces, hymni, gestus aliaque solemnia accesserint & sollemnis liturgia exinde effecta fuerit, *missa* dici coepit. (§. DCLXXIII. seq.)

### §. DCLI.

Notanda proinde axiomata: I. Deside. *Axiomata.*  
 rat eucharistia symbola, quae consecranda sunt. \* II. Inde efficitur transubstantiatio: \*\*  
 III. in celebratione eucharistiae occurrit sacrificium proprie sic dictum: VI. Fruitio illius indicat ius fraternitatis. V. Peragenda certo tempore cum debita praeparatione. VI. Administrandae forma recepta.

\* Hanc *consecrationem* ex intimiori antiquitate, immo ipsius Christi institutione repetunt. Verum sic simplicem *benedictionem* cum consecratione miscent. Benedictio per preces & gratiarum actiones, unde ipsum eucharistiae nomen descendit, visitata quidem, sed non ad certa verborum solemnia adstricta erat. Reu. Dn. PFAFF *de consecr. vet. eucharist.*

\*\* Iam olim Patres in ea sententia fuerunt, *post consecrationem* panem non amplius commune vinum esse, sed *virtutem diuinam* accessisse, ubi quandoque ita loquuti sunt, ut parum a *transubstantiationis* dogmate (§. DCLIII.) abessent. Variarum quoque vario tempore concertationes desuper fuere ortae, donec tandem Urbanus II. ne *inuestitura* a Principibus denuo exerceatur, sollemni sanctione hoc dogma stabiliret in concil. Rom. III. anno MXCIX, congregato. Ipsum vero *transubstantiationis* nomen, quan-

quantum ego scio, demum sec. XIII. sub Innocentio III. auditum fuit. vid. c. 1. X. de *summa Trinit.* c. 6. X. de *celebr. miss.* add. IAC. BASNAGE *hist. de l'eglise* T. II. c. 13. seqq.

## §. DCLII.

Symbola & consecratio eorum necessaria.

Quum itaque eucharistia *symbola* desideret, quae consecranda sunt, (§. DCLI.) consequens est: 1) ut illa ipsa adhibenda sint, quibus Christus in institutione usus est, *panis* puta & *vinum*:\* 2) ut consecratio symbolorum fiat. per verba institutionis sacramentalia; *hoc est corpus meum; hic est sanguis meus: s)*\*\* 3) ut his verbis stricte inhaerendum, & ne syllaba in illis mutanda sit: t) 4) ut tamen verba cum *intentione* pronuntiaci debeant.\*\*\* (§. DCXLI. 6.)

\* Vinum Christum adhibuisse, ex ipso more paschali, immo ex dictis Christi *Matth.* XXVI. 29. *Marc.* XIV 25. *Luc.* XXII. 18. constat. vid. ANT. BYNAEVS *de mort. Iesu Christi. Lib. I.* c. 8. §. 14.

\*\* Alia mens est quorundam, in Anglicana ecclesia. Sic. THOM. BRETTE in tract. *a collection of the principal liturgies*, putat, non solum desiderari, ut aqua vino admisceatur, sed & ut Symbola Deo offerantur Spiritusque S. inuocetur, quo super Symbola descendat, & denique oratio pro omnibus fidelibus, etiam defunctis, adiiciatur. IO. ERN. GRABIVS *de forma consecr. euchar.* putat: corpus & sanguinem Domini, fieri quidem ex pane & vino, sed non ob verba Christi, verum per orationem ad Deum, ut demissio Spiritus S. symbola sanctificet & transmutet.

\*\*\* Pu-

s) c. 33. 42. & 69. de *consecr.* D. 1.

t) c. 69. de *consecr.* D. 2.

\*\*\* Pugnatur hoc de intentione dogma cum aliis  
principiis iuris canonici. c. 84. C. I. q. 1.

## §. DCLIII.

Quum deinde transubstantiatio inde efficiatur, (§. DCLI. 2.) consequens est: 1) ut ex pane & vino mox fiat *corpus & sanguis Christi: u)* 2) ut proinde *deificatio* sacerdotibus adscribi debeat: *x)* 3) ut sacerdotibus propterea *eminentissima dignitas* tribuenda sit: *y)* 4) ut haec transmutatio varios *effectus*, etiam *ciuiles*, producat, quorsum pertinet: *a)* *adseruatio* in *ciborio* puro & solido, tabernaculo incluso, *z)* ut statim ad aegrotos & infirmos deferri possit; *β)* ut ad ipsos aegrotos cum magna *reuerentia* deferatur; *γ)* *adorationis gratia* exponatur; *δ)* in *processionibus* circumferatur, ubi hostiae diuinus honos exhibendus; *\* a) ε)* ut *bierothecam* furans grauiori poena ac alius sacrilegus adficiendus sit; *b)* ζ) ut *laici* symbola eucharistica tangere nequeant; *c) η)* ut ipsa communio *sub una* specie saltem necessaria reputaretur.\*\*

Quae transubstantiantur.

\* Ad-

- 
- u) c. 6. X. de celebrat. missae. c. 74. de consecr. D. 1.  
x) HARDVINVS concil. T. VI. P. II. pag. 1761.  
y) ANDR. DU SAVSSAY panopl. sacerdot. P. II. L. I. c. 4.  
art. 1. seqq.  
z) c. 93. de consecr. D. 2. Conc. Trid. Sess. XIII. c. 6.  
a) vid. c. 10. X. de celebr. miss.  
b) Constit. Crim. art. 172.  
c) c. 29. de consecr. D. 2.

\* *Adorationem* hostiae consecratae seu *venerabilis, expositionem* illius, *eleuationem, circumge- stationem* demum sec. XIII. inualuisse, ipsi moderatores Pontificii fatentur. FLEVRY *bist. eccl. ad ann. 1197. pag. 580.* Dogma hoc rationi repugnare, ostendit IEAN LA PLACETTE *de l'autorité de sens contre la trans- substant.*

\*\* Abusus quidem sec. III. inualuerat, vt panem eucharisticum nonnulli secum domum por- tarent, ibique pro re nata manducarent; sed exinde nequidem Pontificii peritiores hodie- nam communionem sub vna deducunt. Ne- que tamen ex concilio Claramontano, anno MXCVI. ab Urbano II. congregato, deriuari potest: Sec. quippe XII. ex doctrina de trans- substantiatione metuebant, ne in porrectione calicis guttula vini in terram caderet, & sic iniurii in sanguinem Christi fierent. Sic *ad cau- telam* quandoque laicis calicem subtrahebant, & sic pedetentim in regulam hoc ipsum tran- sivit sec. XIII. & seqq.

#### §. DCLIV.

In Eucharis-  
tia occur-  
rit sacrifi-  
cium.

Quumque porro in eucharistia sacrifi-  
cium occurrat, (§. DCLI. 3.) sequitur: 1) vt  
eam saltem sacerdotes consecrati (§. CC  
XXXIII. seq.) consecrare & administrare  
possint, quales sunt *Presbyteri*: d) 2) vt illi  
ipsi non debeant esse *irregulares*, (§. CLXXVI)  
nec *interdicti*, (P. II. §. CCCXLIX.) nec *su-  
spensi*, (P. II. §. CCCLXXVIII. 1.) nec *excom-  
municati*, (P. II. §. CCCLXV.) nec *Simoniaci*,  
(P. II. §. CCLXXVI.) nec *notorii peccatores*, nec  
degradati: (P. II. §. CCCLXXXVI.) 3) vt ta-  
men,

d) c. 73. de consecr: D. 2.

men, si debita *forma* & intentione hoc fecerint, (§. DCXLI. 6.) verum sit sacramentum, etsi illi peccent: e) 4) ut ipsi Presbyteri eucharistiam ministrare debeant, f) nec nisi *necessitas* subsit, (§. CCXXV. 6.) vicarium adhibere: g) 5) ut hic desiderentur *vestimenta* sacerdotalia: (§. DCXI. \*\*\*\*) b) 6) ut *ignis* necessarius sit, qui per *cereos* denotatur: 7) ut *altaria* desiderentur. i) (§. DCCCI.)

## §. DCLV.

Quumque illius fruitio ius fraternitatis Et ius fraternitatis. indicet, (§. DCLI. 3.) consequitur: 1) ut *eiecti* non admittantur: \* 2) ut nec admittendi sint, qui publice *scelestissime deliquerunt*, k) nec 3) *publicae poenitentiae* subiecti, l) (§. DCLXXVI.) nec 4) a communione ecclesiastica alias alieni, ut *haeretici*: m) 5) ut tamen prohibitis morti vicinis, *si poeniteant*, denegari non debeat \*\* n) eucharistiae fruitio.

\* Minor enim excommunicatio olim incognita fuit, & demum cum confessione auriculari inualuit, quod nec Pontificii quidam diffitentur. ESPEN. *iur. eccl.* P. III. tit. 11. c. 3. §. 20. CHRIST. LVPVS *schol. in can.* T. I. p. 491. (P. II. §. CCC C c 2 LX. seq.)

e) c. 84. C. 1. q. 1.

f) c. 1. D. 25. c. 13. & 21. D. 93. c. 29. de consecr. D. 2.

g) c. 18. D. 93.

b) vid. Du SASSAY *panopl. sacerdot.*

i) WILDVOGEL *diff. de iuribus altarium.*

k) CORVINVS *cit. loc. L. II. tit. 5. §. 10.*

l) c. 23. C. 32. qu. 5.

m) c. 41. sequ. C. 24. qu. 1.

n) c. 64. D. 25. c. 24. D. 86.

LX. seq.) Hinc iudicium ferri potest de *denu-  
gatione eucharistiae*, quae per Presbyteros fit.  
(P. II. §. CCCLXVIII.)

\*\* Admodum solliciti erant exclusi in recupe-  
rando iure fraternitatis, ut sic in communione  
ecclesiae decederent. Huius communionis,  
cum iudicium esset *eucharistia*, eo usque pro-  
gressi sunt, ut illam etiam *mortuis* porrigerent.  
IO. ANDR. SCHMID. *diff. de euchar. mort.*

§. DCLVI.

Quando &  
vbi pera-  
genda?

Quum dehinc percipienda sit certo tem-  
pore cum debita praeparatione, (§. DCLI. §.)  
notari debet, 1) ut *adigi* possint homines ad  
communione & eucharistiae perceptio-  
nem, sub *poena excommunicationis*: o) 2) ut  
proinde ipsa *tempora* determinata fuerint,  
scilicet natalis Domini, Pascha, Pentecostes: p)  
3) ut *Catholicis* adnumerari non debeat, qui  
his temporibus non communicat; q) 4) ut  
tamen haec necessitas postea ad *tempus pa-  
schale* restricta fuerit: r) 5) ut haec laxiora  
spatia saltem *secularibus* statuta sint, cum *mo-  
nachi* & *moniales* singulis mensibus s) com-  
munionem frui teneantur: \* 6) ut ius hoc co-  
gendi se etiam eo extendat, ut in *parochiali  
ecclesia*, saltem in Paschatis festo, eucharistia  
suscipienda sit: \*\* t) 7) ut quidem frequen-  
tior communio laudabilis sit, nihilominus  
vero

o) c. 18. *de consecr. D. 2.*

p) c. 19. *de consecr. D. 2.*

q) c. 21. *eod.*

r) c. 12. X. *de poenit. & remiss.*

s) Clem. 1. *de stat. mon. Conc. Trid. Sess. XXV. c. 10.*

t) c. 11. X. *de poenit. & remiss.*

vero *semel tantum in die* eucharistia sumi debeat: u) 8) vt praeparatio consistat in *confessione peccatorum* & adimpletione poenitentiae: x) 9) vt *ieiunus* sit communicans, (§. DCCCIX. 2.) y) & 10) a *venere* z) & *pollutione* nocturna alienus: a) 11) vt praeparatio etiam legitimam *aetatem* requirat, quae distinguere sacramentum potest, b) & sic infantes non, vt olim, admittantur: (§. DCXLII. 6.) denique 12) vt, qui eucharistiam *euomat*, poenis subiaceat. c)

Qualis praeparatio desideretur?

\* Olim *coactio* omnis ignorata, quum reuera epulum hoc coeleste nullo, nisi esurientes & siti- entes, desideret.

\*\* Introduta vero confessione auriculari ordines monachorum fere omnes priuilegium a papa acceperunt, confessiones audiendi & eucharistiam administrandi, vt proinde sufficiat, si vel *paschalis confessio* coram proprio sacerdote seu paroco fiat. (§. CCXXXVI. \*\*\* add. §. DCCCXVI. e)

### §. DCLVII.

Denique quum administranda sit eucharistia forma recepta, (§. DCLI. 6.) facile reddideris rationem, 1) cur vsus *azymorum* necessarius reputetur: \* d) 2) cur etiam pa-

Quae obseruanda forma?

Cc 3 nis

u) c. 13. de consecr. D. 1. c. 3. X. de celebr. miss.

x) c. 12. X. de poenit. & remiss. conf. tit. sequ.

y) c. 54. de consecr. D. 3.

z) c. 21. de consecr. D. 2.

a) c. 1. & 3. D. 6.

b) 1. Cor. XI. 28. sequ.

c) CORVINVS cit. loc. L. II. tit. 5. §. 17.

d) vid. IO. CIAMINI de perpet. azymorum vsu in eccles. latin. vel saltem Romana.

*nis orbicularis* vsus rerinendus sit: e) 3) cur desideretur *mixtura aquae cum vino*, \*\* ita tamen, vt plus vini sit in calice, quam aquae: f) 4) cur vascula eucharistiae ad minimum *flamma* esse debeant: g) 5) cur consecratio facienda sit super *lintheo consecrato*, quod *corporale* dicitur. (§. CCXLVI. γ) b)

\* Prolixe contra azymorum vsum disputat DAL-  
LAEVS *de cult Latin. religios. Lib. III. c. 1 sequ.*  
Negari quidem nequit, Christum in institu-  
tione azymo vsum fuisse, sed tunc ex lege lu-  
daeorum alius non aderat panis. Postea vero  
in ecclesiis *fermentatus panis*, tanquam com-  
munis, semper obtinuit, nec putarem, quod  
vsus azymorum perpetuus maxime panis or-  
bicularis ante fec. XI. probari possit.

\*\* Etiam Angli quidam hanc mixtionem vt ne-  
cessariam propugnant, & ad liturgias antiquas  
prouocant. (§. DCLII. \*\*) sed spuriiis liturgiis,  
thesin probant. Hinc calamum contra illos  
strinxit SAM. DRAKE *in epist. de aqua non  
necess. calici euchar. miscenda.*

## PRAXIS PROTESTANTIVM IN EVCHARISTIA.

### §. DCLVIII.

Protestan-  
tes varias  
conclusio-  
nes ex re-  
probatis  
principiis  
retinuerunt.

Protestantes quidem eatenus a Pontificiis  
recedunt, quod *consecrationem* symbolorum  
miraculosam, *transsubstantiationem*, *sacrifi-*  
*cium* in eucharistia non adgnoscant, nec com-  
mu-

e) IO. ANDR. SCHMID. *dissert. de oblatiis eucharisticis.*  
f) c. 1. 2. 4. & 7. *de consecr. D. 2. c. 8. & 13. X. de ce-*  
*lebr. miss.*  
g) c. 45. *de consecr. D. 1.*  
b) c. 46. *eod.*



munionem *sub vna specie*, panis puts, probent; sed sicuti in aliis iurisprudentiae capitibus euenit, vt reprobatis principiis conclusiones retentae fuerint; ita & hic eadem fata iurisprudentia ecclesiastica experta est. Haec cum ita sint, ad sua principia praxin communem reuocare non possum, sed potius, quae ex pontificiis principiis conclusiones supersunt, ostendam.

## §. DCLIX.

Sic ex *consecrationis* doctrina 1) id commune videtur esse ecclesiis Augustanae Confessionis addictis, quod *consecratoria* illa verba (§. DCLII. 2.) non solum pronuntiet minister, sed & pani & vino mediante *signo crucis benedicat*: 2) quod in nonnullis ecclesiis mediante *campanula* signum in pronuntiatione horum verborum dari soleat, vt ad ea verba probe attendant praesentes, sicuti etiam alicubi vocatur *das Wandel, Glücklein*. Ex doctrina de *transsubstantiatione* fluere videtur, 3) quod sic dictis laicis *symbola eucharistica* palpanda & tangenda non tradantur, (§. DCLIII. 2) sed ea a manibus ministrorum accipiant. Ex *sacerdotii* doctrina est, quod 4) etiam in defectu pastorum *laicus* eucharistiam administrare non possit, i) (§. DCLIV. 1) & 5) quod *vestes sacerdotales* alicubi cum *cereis*, vbique vero *altaria*, adsint, (§. DCLIV. 5. & 6.)

Quae per  
indicem  
adducuntur.

Cc 4

§. DCLX.

i) L. B. de LYNCKER *de eo quod inst. est circ. sacr. eorum*. c. 2. §. 2.

## §. DCLX.

Uterior  
declaratio.

Dehinc in multis aliis Pontificiis accedimus. Sic 1) usus sacrae coenae etiam apud nos legem *coactiuam* habet, (§. DCLVI. 1.) ut inuitus etiam ad usum cogi possit, & quidem 2) in ecclesia *parochiali*: (§. CDLXV. 5. & §. DCLVI. 1. seq.) k) 3) usus *panis orbicularis* propugnatur: (§. DCLVII. 2.) l) 4) linteam, quod *corporale* Pontificii vocant, (§. DC LVII. 5.) vbique fere adhibetur: 5) praeparatio eadem fere ratione per *confessionem* (§. DCLVI. 8. & §. DCLXXXIV. 1. seq.) exigitur: m) 6) ipsa haec praeparatio ad iura *parochialia* adstringitur: (§. DCLXXXV.) 7) ius excludendi a sacra coena (§. DCLV. 1. seq. & P. II. §. CCCLXXVII. 3.) ministris & parochis nostris plerumque vindicamus: n) 8) ieiunos communicantes (§. DCLVI. 9.) & 9) vascula ad minimum stannea (§. DCLVII. 4) desideramus, & quae sunt alia. In aliis quidem superstitiosis recesserunt Protestantes, nec hostiae adorationem, \* (§. DCLIII.) nec vini cum aqua mixturam, nec alios transubstantiationis, sacrificii & consecrationis effectus (§. DCLII. seq.) adgnoscent: Reformati vero in multis a Lutheranis institutis recedunt.

\* In-

k) CARPZOV *iurispr. consist.* L. II. d. 194. *sequ.*

l) IO. ANDR. SCHMID *de oblat. eucharist.* CHRIST. KORTHOLD *de hostiis.*

m) vid. tit. *sequ. de poenitent.*

n) DEDEKENNVS *consil. Theol.* Vol. I. pag. 586.

\* Inde nec Protestantes ad adorationem hostiae cogi possunt. conf. Instr. Pac. art. V. §. 34. & 48.

## §. DCLXI.

Scio, *arbitraria* pleraque esse, quae ex Epicrisis. pontificiis principiis fluere modo dixi; (§. DCLIX. sequ.) quaedam tamen ita comparata sunt, ut omnino, cum ad *superstitionem* viam egregie pandant, emendationem mereantur, qua in re eximii Theologi & Icti mecum conspirant. Hinc hoc axioma notandum putarem: *Eucharistiae celebratio ad eam simplicitatem est reducenda, quae in ecclesia Apostolica obtinuit.*

## §. DCLXII.

Hoc adsumto, haec fluunt consecratoria: Consecratoria inde deducta.  
 1) omittendam esse *consecrationem*, cum Christus *verba*, quae *consecratoria* audiunt, saltem in *erogatione* adhibuerit: o) 2) temperandos esse *ritus*, quia, quo splendidiore sunt, eo magis ad *superstitionem* alliciunt: 3) communicantibus, iuxta antiquam ecclesiae praxin, *contactum symbolorum* eucharisticorum permittendum esse, ut ipsi manu sua eucharistiam excipiant: p) 4) non arcendos esse sic dictos *laicos* ab eucharistiae administratione, ubi pastores deficiunt: q) 5) *eliminandam confessionem* priuatam & conuenien-

Cc 5 tio-

- o) Ill. BOEHMER *iar. eccl. antiqu.* L. III. tit. 41. §. 9. *in fin.*  
 p) MARTENE *de antiqu. eccl. ritib.* Lib. I. P. I. c. 4. art. 10. §. 8.  
 q) GROTIUS *de admin. sacr. coen. ubi past. non sunt.*

tiorem praeparationem introducendam, vel  
 6) iuxta Lutheri doctrinam *libertati* relin-  
 quendam esse: r) (§. DCLXXXVIII.) vel  
 7) iuri bannario de *certo confessionario* & per-  
 ceptione eucharistiae a Parocho, non ita stri-  
 cte inhaerendum esse, ne duriores Pontifi-  
 ciis simus: (§. DCLVI, \*\* & §. DCLXXXVIII.  
 4.) 8) coactionem, qua mediante ad per-  
 ceptionem eucharistiae quidam compellun-  
 tur, exfulare debere: s) 9) Ius *excludendi* a  
 sacra coena ministris ecclesiae indulgendum  
 haud esse: t) (§. DCLXXXVIII. 6.) deni-  
 que 10) licet multa arbitraria & indifferen-  
 tia credenda sint, magis tamen praestare, si  
 etiam in illis ad *mores pristinos & genuinos* re-  
 deamus.

## TIT. VII.

## DE MISSA.

## §. DCLXIII.

Connexio.

**V**Niuersum cultum diuinum *missae* no-  
 men accepisse iam obseruauimus. (§. DC  
 VIII. \*) Postea ritus sacer circa *corporis &*  
*sanguinis Domini consecrationem* missa dici  
 coepit, ad quem ritum delineandum nunc  
 ducimur. \*

\* *Missae*

r) vid. tr. meus vom Recht der Beicht, Stühle,  
 Sect. I. c. 4. Sect. II. per tot.

s) Catech. maior tit. *de sacram. alt.*

t) TITIVS Probe des geistl. Rechts Lib. III. c. 3. §. 15.  
 seq. add. tr. meus vom Kirchen, Bann, c. 11. §. 99.

\* *Missae* nomen procul dubio inde descendit, quod olim, cum sacra coena celebraretur, illi, qui huic sacro conuiuio interesse non poterant, *dimissi* fuerint. AVG. *Serm.* 237. Ipsa celebratio eucharistiae *missa fidelium* dicta fuit, cuius sollempnia delineauit BINGHAM *orig.* L. XV.; c. 1. seqq. Hodie vero talis dimissio non fit, & sic missa in genere denotat totam *sacrificii diuini celebrationem* secundum formulas & ritus ab ecclesia praescriptos.

## §. DCLXIV.

Est itaque missa: *sacrificium incruentum corporis & sanguinis Domini, quod offertur in altari cum precibus consuetis, lectione euangelii, aliisque sollempnibus.* u) Definitio missae.

## §. DCLXV.

Inde eruenda axiomata: I. *Sacrificium missae* æque varium est, vti olim sacrificia varia fuerunt. II. Constat partibus essentialibus & accidentalibus. III. Desiderat ad normam sacrificii qualificatas personas, praetereaque IV. requirit modum & tempus. Axiomata.

## §. DCLXVI.

Ex primo sequitur: 1) vt varia sit missa, non ratione *sacramenti*, x) sed 2) vel ratione *sollemnitatum*, cum alia cantetur *alta*, alia vero *submissa voce*; y) 3) vel ratione *temporis*, quum alia fiat quotidie, \* z) alia die *feria-* Variæ missae.

n) CORVINVS *instit. iur. can.* L. II. tit. 6. §. 1.

x) c. 11. *de consecr.* D. 2.

y) c. 12. X. *de celebrat. missae.*

z) c. 53. *de consecr.* D. 1.

feriata; vel 4) ratione eorum, *pro quibus offertur*, quum alia pro viuis, a) alia pro mortuis (aa) peragatur; vel 5) ratione eorum, *in quorum honorem offertur*, quum alia sit de Spiritu Sancto, alia de S. S. Trinitate, alia de B. Virgine Maria. b)

\* Fideles olim quotidie eucharistiam celebrabant. Cum deinde simul *preces formulariae* & varii ritus introducerentur, hi, qui aliis sanctiores esse voluerunt, sponte *quotidie missas* cantabant, vnde demum clericis hoc ipsum sub lege necessitatis impositum fuit.

### §. DCLXVII.

Partes essentialia.

Ex secundo (§. DCLXV. 2.) notandum: 1) *essentiales* partes consistere in *consecratione* corporis & sanguinis Christi, (§. DCLII.) & 2) in *oblacione*. *Accidentales* vero partes 3) esse *ceremonias*, quae ex precibus formulariis, ritibus & gestibus constant. c)

### §. DCLXVIII.

Quae personae eam admittant?

Ex tertio (§. DCLXV. 3.) iuncto eo, quod ipsa eucharistia sacrificium sit, (§. DCLIV.) conficitur, 1) vt missam saltem cantare possint Presbyteri (§. CCXXXIII. seq.) d) & 2) non omnes quidem, sed *qualificati* duntaxat: e) (§. DCLIV. 2. sequ.) cum, 3) qui *digitis*

a) c. 72. eod.

(aa) c. 2. & 4. X. de celebr. missae.

b) c. 4. X. eod. c. 11. X. de praebend.

c) CORVINVS cit. loc. tit. 6. §. 5.

d) c. 1. & 2. X. de cleric. non ordin.

e) CORVINVS cit. l. § 7.

*gitis duobus cum medietate palmae* manus ca-  
rent, aut 4) cum *mulieribus* res habent, (§.  
CCX. \*) aliique arceri soleant.

## §. DCLXIX.

Ex quarto denique (§. DCLXV. 4.) di- De tempore  
& modo.  
scimus, 1) *frequentius* quidem administran-  
dam esse missam, ab illis, qui id possunt; f)  
sed cum 2) a *ieiuno* sumenda sit eucharistia,  
(§. DCLVI. 9.) *semel* tantum quemque sa-  
cerdotem *in die* missam celebrare posse, ex-  
cepto die *natiuitatis dominicae*: g) 3) *solle-*  
*mnem* missam celebrari hora tertia seu nona  
ante meridiem: b) 4) sacerdotem celebra-  
re, peracta prius *confessione*: i) 5) *accenso lu-*  
*mine*: k) 6) *nudo capite*: l) 7) *consuetis ve-*  
*simentis*: m) 8) *in sacro altari*: n) 9) duo-  
bus praesentibus sibi que respondentibus: o)  
10) consecrationem fieri in *vasculis aureis*,  
*argen-*

f) c. II. X. *de praeb.* conf. ANONYM. qui creditur  
Abbas DV GVET, *traité sur la priere*, vbi sacer-  
dotem, qui in missae sacrificio verum cultum  
religiosum exhibere cupit, monitis variis, iis-  
que piis instruit, qualem se gerere debeat.

g) c. 53. *de consecr.* D. I. c. 3. & 5. X. *de celebr. missae.*

b) c. 12. *de consecr.* D. I.

i) c. 13. *de consecr.* D. 2.

k) c. fin. X. *de celebr. missae.*

l) c. 57. *de consecr.* D. I.

m) c. 2. *de poen.* in 6.

n) c. I. 2. 12. & 15. *de consecr.* D. I.

o) c. 16. *ead.*

*argenteis, stanneis: p)* 11) *super lineo panno:* (§. DCLVII. 4. 5.) 12) quemlibet dominicis & festis diebus missam in *sua parochia* audire debere. (§. DXCV. 9.) q)

## DE MISSA PROTESTANTIVM.

### §. DCLXX.

Generalis  
obseruatio  
de missa  
Protestan-  
tium.

Quum liturgia sollemnior *missa* iam olim dicta, (§. DCVIII. \*) & haec adpellatio ipsi *eucharistiae celebrationi* indita fuerit; (§. DC LXIII. \*) nec Protestantes nomen hoc respuerunt, sed potius liturgiam & ipsam *eucharistiae sollemniorem celebrationem* missam dixerunt. r) Immo in apologia Aug. Conf. *missam*, seu *eucharistiam*, si totus cultus cum gratiarum actione, fide & precibus coniungeretur, *sacrificium* dici posse, largiti sunt aduersariis. De reliquo vero *pontificiam missam* repudiarunt. \*

\* In sacris enim nullum habet praesidium. *Preces* suas *sacrificia* dixere Christiani, quae etiam in eucharistia adhibitae fuerunt. *Oblationum* quidem fit mentio; sed hae consistebant in *munusculis* fidelium. (§. DCCCLVIII. sequ.) Cum vero pro offerentibus *preces* ad DEVM funderent, *signum communionis* in oblationum acceptatione & precum fusione quaesitum fuit. Hinc pro mortuis *munuscula* oblata, in signum, quod in *communione* ecclesiae decesserint. Mox has oblationes de-

p) c. 45. eod.

q) c. 2. X. de paroch.

r) August. Confess. tit. de missa.



defunctis prodelle putabant, vnde *purgatorio & missae sacrificio* via strata fuit. HILDEBRAND *in offertor. pro defunct.* Accessit *symbolorum eucharisticorum veneratio, multiplicatio rituum, vestimentorum peculiarium, communicatio Presbyterorum solitaria, doctrina de transubstantiatione*, donec tandem missa seu eucharistia in *sacrificium* proprie sic dictum, quod Presbyter solitarie celebraret, transmutata fuit. Rem omnem succincte exposuit IO. FR. BVDDEVS *de orig. missae pontific. quod ei non faueant Clemens Romanus atque Irenaeus.* (§. DCL. \*)

## §. DCLXXI.

Quodsi itaque *liturgiae* partem constituat *missa*, immo ipsa *eucharistiae* celebratio precibus ac hymnis peragi soleat, (§. DCLXX.) ritibus vero externis etiam DEVS colendus sit, (§. DCXVII. 3.) constat: 1) recte disposuisse ius canonicum, ne ante *missae finem* fideles discederent: 2) quum deinde iam olim in missae celebratione preces vsurpatae, & potissimum offerentium nomina recitata fuerint, (§. DCLXX. \*) ipsas *preces modum adquirendi* postea constituisse, & in *monopolium* quoddam cleri transiisse, quod nec nostrae ecclesiae prorsus ignorant: 3) exinde preces in *decorum publicum* conuersas & ius *exigendi preces* inde natum fuisse: 4) Principem, vti de cultu & ceremoniis in genere disponere, (§. XXXVI. 1. §. LXXXIV. seq. & §. DCXXI. 5. seq.) ita decernere posse, pro

1) c. 64. de consecr. D. 1.

2) Ill. BOEHMER *diff. de iur. prec. publ.*

pro quibus personis preces fieri debeant: (§. DCXXI. 7.) §) recte facere Principem abrogando *abusus* in eiusmodi precibus publicis.

## TIT. VIII.

DE  
POENITENTIA ET REMISSIONE.

## §. DCLXXII.

Connexio.

Descriptio  
poenitentiae.

**P**oenitentia est *sacramentum*, (§. DCXXV. 4.) & cum confessione tanquam *praeparatio* praecedit eucharistiam, (§. DCLVI.) & sic, quae de ea iura canonica tradunt, dispiciendum est. Poenitentiam vero dicunt: *Vindictam a se ipso sumtam, pœniens illud, quod quis commississe dolet, \* a)* vel: est *sacramentum, quod concurrente contritione, confessione, satisfactione & absolutione remissionem peccatorum operatur, b)*

\* Sic *poenam* in poenitentia quaerunt. (P. II. §. CCCLV. seq.) Proprie vero poenitentia est *displicentia* eorum, quae a nobis facta sunt. THOMASIVS *ad Lancell. not. 117.* Poenitentia olim erat disciplinae ecclesiasticae species. Eiecti enim non aliter recipiebantur, nisi peracta *satisfactione*. Haec in variis actibus poenarum, seu poenitentiae publicae consistebat, quos actus & poenitentiae gradus descripserunt MORINVS *de Sacramento poenitentiae*, SIRMONDVS *in bist. poenitentiae*,  
AL-

a) c. 4. &amp; 6. de poenit. D. 3.

b) conf. LANCELOTTVS, *institut. iur. can. L. II. tit. 5. §. 1.*

ALBASPINAEVUS *de vet. eccles. ritib.* add. BINGHAM *orig. L. XVIII.* CIRONIVS *tit. de poenitent & remiss.* Postea licet rigor disciplinae euanesceret, tamen creditum fuit, peccata citra *satisfactionem* aliquam non remitti. Hinc etiam delictorum occultorum *confessiones* suadebant, & simul confitentibus *poenam* aliquam iniungebant. Inde etiam nostro idiomate poenitentia non dicitur eine Reue, sed Buisse, quae vox nihil aliud, quam poenam denotat. /

## §. DCLXXIII.

Diuidunt eam in *internam*, quae inter vir- Diuisio.  
tutes refertur, cum nihil aliud sit, quam *agnitio stultitiae nostrae, cum serio proposito, aliter in posterum agendi*; & *externam*,<sup>f</sup> quam dicunt: *signum sensibile, seu imaginem rei sacrae, puta remissionis peccatorum per sensibilem contritionem, confessionem & absolutionem.* c)

## §. DCLXXIV.

Externam subdividunt in *publicam* & *pri-* Subdiuisio-  
*uatam.* Illam imponendam esse censent <sup>nes.</sup>  
*manifestis peccatis*; hanc vero *peccatis occultis*, quae proinde sigillatim sunt recensenda. d) *Publicam* rursus *sollemnem* & *non sollemnem* dicunt. Sollemnis est: *quae per* Quid sollemnis?  
*modum iurisdictionis inuito, ab Episcopo, aut eius vicario, nisi casus sit reseruat, pro magnis criminibus, plerumque semel tantum, certo tempore & certis obseruatis sollemnitatibus, iniungitur.* e) *Non sollemnis* vero est: *quam sa-* Quid non

D d

cerdos

c) CORVINVS *instt. iur. can. L. II. tit. 7. §. 3.*d) c. 1. & 7. X. *de poenitent. & remiss.*

e) c. 61. 63. &amp; 64. D. 52. c. 84. D. 3.

sollemnis? *cerdos propter publica quidem, sed non atrociam, delicta, certis obseruatis sollemnitatibus, decernit. f)* Quid priuata? *Priuata denique est: quam sacerdos propter peccata omnia etiam grauiora, sed occulta iniungit. g)*

## §. DCLXXV.

Axiomata. Tenenda de his poenitentiis axiomata: I. Publica poenitentia priuat iure communionis. II. Priuata saluo iure communionis imponitur & peragitur. III. Omnis poenitentia habet suos gradus. IV. Vt poenitentia sacramentum sit, coniunctim contritio, confessio, satisfactio & absolutio adesse debent.

## §. DCLXXVI.

Modus & effectus poenitentiae publicae.

Quum itaque publica poenitentia priuet iure communionis, (§. DCLXXV. I.) consequens est: 1) vt, cum *causae cognitione* ab illo, qui *iurisdictione* est praeditus, adeoque ab *Episcopo* imponenda sit: b) (§. CCXLVI.\*\* & §. CCXLVII. 3.) 2) vt tamen etiam *Archiepiscopi-Diaconus* in casibus non reseruatis desuper statuere possit: (§. CCCXXIII. seq.) 3) vt haec priuatio non solum ad *communio- nem ecclesiasticam*, sed & ad *ciuilem* sese extendat, adeoque illi, quibus ea iniuncta, a) non possint *communicare*, nisi in articulo

mor-

f) c. 63. D. 50. c. 19. C. 2. q. 1. c. 1. X. de poenit. & remiss.

g) c. 19. C. 2. q. 1. c. 31. C. 23. q. 4. c. 7. X. de poenit. & remiss.

b) vid. CIRON. ad tit. X. de poenit. & remiss.

mortis; i) nec β) *secularem militiam* vel *pompam* exercere; k) nec γ) in curia seculari accusare; l) nec δ) *matrimonio* iungi; m) (§. DCCXXXVI. \* & §. DCCXLV. \*\*) nec ε) ad sacros *ordines* promoueri: n) 4) vt propterea *sollemnis* certo tempore sub certis sollemnitatibus fieri debeat: o) 5) *non sollemnis* vero publice quidem & sollemniter, sed quocumque tempore imponatur, etiam ab illo, qui iurisdictione externa destituitur: p) 6) vt *clericis* iniuncta non fuerit, saltem hi solemnem non subierint: q) 7) vt poenitentia, cum vi iurisdictionis imponatur, *redimi* possit: (§. CCXLVII. 3.) 8) vt denique, peracta poenitentia, *ius communionis* restitatur. r)

## §. DCLXXVII.

Quum deinde poenitentia priuata saluo Ratio poenitentiae priuatae. iure communionis imponi & peragi possit, (§. DCLXXV. 2.) notari debet: 1) eam fideles olim *ultra* subiisse: s) 2) ex doctrina de satisfactione eam in *necessitatem* degenerasse:

D d 2

. rasse:

i) c. 6. seqq. C. 20. qu. 6.

k) c. 3. de poenit. D. 5. c. fin. D. 50.

l) c. 65. de poenit. D. 1.

m) c. 13. C. 33. qu. 2.

n) c. 55. D. 50.

o) c. 63. &amp; 64. D. 50.

p) c. 64. D. 50. c. 42. de consecr. D. 2. c. 1. X. de poenit. &amp; remiss.

q) GIRON. cit. loc.

r) c. 64. D. 50.

s) SIRMONDV. bist poenit. c. 5.

rasse: 3) arbitratos esse doctores, occulta delicta non esse publice punienda: t) 4) inculcasse eos, vt fideles *reatum* conscientiae ex plenitudine fidei *sponte* indicarent, donec tandem 5) Innocentius III. u) necessitatem omnibus christianis iniungeret: 6) *privata poenitentia* saltem *occulta* peccata & crimina expiari: x) 7) ea reuelanda esse proprio sacerdoti vel semel in anno; (§. DC LVI. \*\*) y) adeoque 8) ad *iura parochialia* id ipsum referri (§. CCCCLXII. 4.) 9) in necessitatis vero casu etiam *laicum* confessionem audire, & priuatam poenitentiam imponere. z)

### §. DCLXXVIII.

In poenitentia hodie arbitrariae poenae occurrunt.

Quumque porro poenitentia suos habeat gradus, (§. DLXXV. 3.) sequitur: 1) vt imponenda sit secundum *peccatorum* circumstantias: a) 2) vt ipsa poenitentis *contritio*, *sexus* & *aetas* considerari debeat: b) 3) vt poenitentia quidem *poenis arbitrariis* absoluat; *publica* vero 4) & manifesta *peccata* poenitentiae *certae* & *particulari* iuxta rigorem canonum subiaceant, c) ita tamen,

vt

t) c. 19. C. 2. q. 1. c. 31. C. 23. q. 4.

u) c. 12. X. de poenit. & remiss.

x) c. 7. eod.

y) c. 12. eod.

z) c. 1. de poenit. D. 6.

a) c. 3. X. de poenis. c. 12. C. 15. q. 1.

b) c. 8. X. de poenitent & remiss. c. 2. C. 26. q. 7. c. 84. de poenit. D. 1.

c) CORVINVS institut. iur. can. L. II. tit. 7. §. 12.

vt 5) hodie & in publica poenitentia vel propterea poenae *arbitrariae* obtineant, quod *redemptio* earum admittatur. (§. DCLXXVI. 7.)

## §. DCLXXIX.

Quum denique poenitentia, vt *sacramentum* fit, quatuor coniunctim requirat, (§. DCLXXV. 4.) notari debet: 1) *contritionem*, seu internam afflictionem & peccati commissi detestationem, cum emendationis proposito praecedere: d) 2) eam sequi *confessionem*, seu peccati proprii, per os proprium, reuelationem: e) 3) confessionem vel fieri *publice* coram omnibus, vel *privatim* DEO vel sacerdoti, f) & quidem 4) proprio seu paroco; (§. DCLXXVII. 7.) propterea quod vti in iurisdictione, ita & hic *competentia* quaedam desideretur: (§. DG LXXVI. 1.) 5) ex licentia Episcopi aut proprii parochi confessionem *alii Presbytero*, g) & 6) in necessitatis casu etiam *laico*, (§. DG LXXVII. 9.) fieri posse: 7) faciendam confessionem lingua cordis & carnis b) simul, etiam 8) in *scriptis*, a praesente: i) 9) aperienda esse *peccata mortalia*, venialia vero citra culpam posse taceri: k) 10) illum, cui confessio facta, nil posse prodere sub poena

Requisita  
poenitentiae.

D d 3 de.

d) c. 31. 32. 37. & 88. de poenit. D. 1.

e) c. 60. 86. & 88. de poenit. D. 1.

f) c. 90. ead.

g) c. 12. X. de poenit. & remiss. c. 2. de poenit. in 6

b) c. 4. C. 30. 4. 5.

i) c. 83. de poenit. D. 1.

k) CORVINVS cit. loc. s. 10.

depositionis, l) quae celatio *sigillum confessionis* audit: ll) 11) facta confessione sacerdotem imponere *satisfactionem* iuxta qualitatem delicti: (S. DCLXXVIII.) m) 12) satisfacere peccatorem, dum *poenam* impostam *exsequitur*: n) 13) *satisfactionem* sequi *absolutionem*, & cum ecclesia *reconciliationem*, o) & quidem in DEI *vicem*, verbis plane *praetoriis*: p) denique 14) non omnem sacerdotem de omnibus peccatis absolueri, cum quidam casus Episcopis aut Pontifici sint *reservati*. q)

DE  
POENITENTIA ET REMISSIONE  
EX MENTE PROTESTANTIVM.

§. DCLXXX.

Generalis  
obseruatio  
de doctrina  
Protestan-  
tium.

Ita cohaeret structura poenitentiae sacramenti. *Protestantium praxis* hic ita comparata est, vt conclusiones ex *reprobatis principiis* exhibeat, & sic, si illam ad principia reuocare velis, misere cohaereat. Nam poenitentiam *sacramentis* non adnumeramus; (§. DCXXXII, seq.) repudiamus doctrinam de

l) c. 11. X. de poenit. & remiss.

ll) Maximopere hoc sigillum commendat ANONYMVS dans le traité du secret de la confession.

m) c. 8. C. 12. q. 1. c. 61. de poenit. D. 5.

n) c. 32. de poenit. D. 3.

o) Clem. 2. de sepult. c. 3. seq. de poenit. D. 7.

p) c. 51. de poenit. D. 1.

q) Clement. 1. de priuil. c. 1. D. 20. 1. G. KIENE de cas. sib. Pontif. Episc. & Prael. reseru.



de *satisfactione*; *profitemur*, ad *remissionem* peccatorum *sufficere contritionem & fidem*; & nihilominus *necessitatem confessionis priuatae*, cum *iure quodam bannario*, propugnamus, r) qua in re ab ipsius LVTHERI doctrina, indole christianismi & statu ecclesiae genuino recedimus.

### §. DCLXXXI.

Dabo breuiter nostram praxin. Repu. Ratio confessionis priuatae inter Protestantes.  
diamus 1) *specificam peccatorum* in confessione *enarrationem*: (§. DCLXXIX. 9.) 2) *satisfactionem* pro peccatis per bona opera. (§. DCLXXIX. 11.) De reliquo vero 3) *confessionem* priuatam non solum *retinendam* censemus, sed quod magis est, eam  $\alpha$ ) *e iure diuino* repetimus;  $\beta$ ) omnes, qui *sacra coena* frui cupiunt, ad eam adigimus; (§. DCLX. 5.)  $\gamma$ ) facultatem remittendi peccata in DEI *vicem* ministris ecclesiae vindicamus, (§. DC LXXIX. 13. seq.) &  $\delta$ ) confessionem aequae ut sacramentorum perceptionem, bannario iure quodam circumdamus. (§. DCLX. 6. & §. DCLXXXV. 3. seq.) Haec vero nec cum scriptura cohaerent, nec cum doctrina LV- THERI, nec ex libris symbolicis vndiquaque probari possunt. s)

### §. DCLXXXII.

Sic itaque confessio nobis est: *generalis declaratio peccatorum commissorum, ante per-* Descriptio nostrae confessionis.  
ceptionem.

D d 4

r) vid. WILDVOGEL & KNORR *de poenit. eccl.* NIE- MEYER *de discipl. eccles.*

s) vid. tract. meus vom Recht derer Beicht; Stüh- le Sect. I. c. 4.

*ceptionem eucharistiae necessario facienda, quae peracta, minister ecclesiae in Dei vicem peccata remittit, & si quaedam illi fuere reuelata, taciturnitate perpetua custodit, pro ministerio vero praestito honorarium accipit.*

§. DCLXXXIII.

Axiomata,

Exinde fluunt axiomata: I. Confessio est praeparatio ad eucharistiae perceptionem. II. Facienda personae habili. III. Reuelata in confessione non sunt manifestanda. IV. Soluuntur propterea iura stolæ. (§. CCCLXVI)

§. DCLXXXIV.

Confessio est necessaria.

Quum itaque confessio sit praeparatio ad eucharistiae perceptionem, (§. DCLXXXIII. 1.) ad hanc vero homines cogi possint, (§. DCLX. 1.) consequens est; 1) ut etiam ad *confessionem* christiani adigi possint: t) 2) ut toties saltem peragenda sit, quoties *sacra synaxi* quis frui cupit: u) 3) ut *omitti nequeat*, cum non praeparati hoc epulo vesci haud possint: x) 4) ut tamen quandoque ex *iusta causa & non confessi* ad eucharistiam admittendi sint; y) 5) ut ad confessiones audiendas certa loca, *die Beicht, Stühle*, adsint: 6) ut sicuti a sacra coena minister ecclesiae quem arcere possit, (§. DCLX. 7.) ita & a confessione repellere queat.

§. DCLXXXV.

t) CARPZOV. *iurispr. consist.* L. II. d. 296.

u) tract. meus vom Recht der Beicht; Stühle Sect. II. c. 2. §. 5.

x) vid. *ibid.* §. 3.

y) CARPZOV. *cit. loc.* d. 276.

## §. DCLXXXV.

Quum deinde confessio facienda *personae* Cui facien-  
*habili*, (§. DCLXXXIII. 2.) sequitur: 1) vt ne- da?  
 mo *sibi ipse* confiteri possit: 2) vt potius  
 confessio peragenda sit *coram ministro* eccle-  
 siae ordinato, (§. DLIX. 9.) & quidem 3) *paro-*  
*cho*: (§. DXCV. 5.) a) 4) vt, vbi plures mini-  
 stri in vna parochia existunt, *electio* quidem  
 ab initio quandoque libera sit; *electus* vero  
 5) *repudiari* amplius nequeat, sicuti & 6) ci-  
 tra licentiam parochi aut superioris *omnis*  
*mutatio* confessionarii interdicta sit, (§. DC  
 LXXIX. 5.) b) nisi 7) rationalis & fontica  
 causa eam suadeat. c) Denique 8) vt confes-  
 sionarius *in DEI vicem* peccata remittat. d)

## §. DCLXXXVI.

Quumque porro reuelata in confessione *Sigillum*  
 non sint manifestanda, (§. DCLXXXIII. 3.) *confessio-*  
 consequitur: 1) vt, licet ad confessionem nis.  
 specificam peccatorum nemo cogatur: (§.  
 DCLXXXI. 1.) tamen *denudatio cordis* inti-  
 mior non improbanda, sed cuiusuis arbitrio  
 relinquenda sit: 2) vt natura huius denuda-  
 tionis *taciturnitatem* & suadeat & exigat: \* e)  
 D d § 3) vt

z) CARPZOV. *cit. loc.* d. 293.a) tract. meus vom Recht der Beicht; Stühle  
 Sect. II. c. 1. § 4. *sequ.*b) *ibid.* Sect. II. c. 1.c) *ibid.* §. 13.d) *ibid.* Sect. I. c. 4. §. 17.e) *ibid.* Sect. II. c. 4. §. 7.

3) vt omnis, cui confessio fit, ad *silentium* eiusmodi obligatus sit: f) vt minister ecclesiae nequidem illa, quae *extra confessionem solemnem* pro exoneranda conscientia illi manifestata sunt, propalare possit: g) 5) vt hoc silentium ad *omnia crimina* pertingat, b) licet 6) ille, qui confessus est, diem obierit: i) 7) vt minister nequidem a *magistratu* ad reuelationem adigi possit: k) 8) vt incauta propalatio nullum confitenti grauamen inferre queat: l) 9) vt tamen taciturnitas haec non ad *perpetranda*, sed saltem ad *perpetrata crimina* pertineat: m) 10) vt hoc silentium *sigillum confessionis* merito dici soleat: n) (§. DCLXXIX. 10.) 11) vt violatores sigilli *poenis ordinariis & extraordinariis* merito subiacent. o)

\* En *rationem genuinam* sigilli confessionis. Fit enim peccatorum & criminum confessio specialis, vt sic *conscientiae angoribus* consulatur, non vt *inquisitioni* causa praebetur. Hinc merito illam repudio rationem, propterea obseruandum esse sigillum, quod reuelata ministro ecclesiae non tam penes hominem, quam Deum

---

f) vid. tract. meus vom Recht der Beicht, Stühle Sect. II. c. 4. §. 8.

g) ibid. §. 9.

b) ibid. §. 10. sequ.

i) ibid. §. 13.

k) ibid. §. 14. sequ.

l) ibid. §. 16.

m) ibid. §. 17.

n) ibid. §. 1. sequ.

o) ibid. §. 28. sequ.

Deum ipsum essent recondita. vid. tract. meus vom Recht derer Beicht; Stühle Sect. II. c. 4. s. 4. sequ.

§. DCLXXXVII.

Quum denique propter confessionem *iura stolae* exsolvantur, (§. DCLXXXIII. 4.) notandum est, 1) huc referendum esse *nummum confessionarium*:\* 2) eum, vti alia honoraria, ex *spontanea oblatione* ortum trahere, adeoque in se consideratum vitio carere: (§. CCCCLXVII.) hinc 3) illum nec hodie *iure perfecto* deberi: p) Denique 4) referri illum post obitum pastoris ad *annum gratiae*.

Nummus confessionalis.

\* Sunt, qui nummi confessionarii originem antiquissimam faciunt, quorum somnia profligavi im Recht der Beicht; Stühle Sect. II. c. 3. s. 1. sequ. Alii eum ab Innocentio III. introductum putant, sed procul dubio nulla lege, sed potius consuetudine inuahit. Prima huius nummi vestigia in regulis CHRODOGAN- GI, (vid. §. CCCCLXXI.) reperiri putavit Gener. Dn. IO. GOTTFR. DE MEYERN, in scripto aliquoties laudato, cuius integer titulus est: Fortgesetzte Betrachtung, des von der Dom-Probstei Hildesheim, in denen mit der alldasigen Neustadt, vormalteten Differentien, publicirten Diplomatis &c. worinnen von dem Monacho-canonicismo &c. gehandelt wird. Legi in regulis Chrodogangi: *si quis sacerdoti promissa sua, vel pro CONFES- SIONE, aliquid in eleemosynam dare voluerit, hoc sacerdos a tribuente accipiat, & ex ea quod voluerit faciat; non diffiteor.* Inde tamen nondum adducor, vt hodierni nummi

p) tract. meus vom Recht der Beicht; Stühle Sect. II. c. 3. s. 31.

mi confessionalis initia inde repeterem. Pristina confessio non fuit *legalis*, sed *arbitraria*. Hodierna vero ex *necessitate* est subeunda. Salua vero res est, si dicas: distinguendum esse inter praemium laboris, pro praestita audientia, in *voluntarie* suscepta cordis denudatione, & inter compensationem, pro opere, circa *legalem confessionem* exhibito. Sed haec pace viri Generos. & amici dicta sunt.

§. DCLXXXVIII.

Epicurifis.

Quod si vero rem omnem ex veris & genuinis rationibus dimensurari velimus, multa aliter comparata esse deberent. Nam admissio principio, quod confessio priuata & sellae confessoriae ex *instituto* quodam *humano* profluxerint, immo in densissimo papatu natae fuerint; facile exinde erit coniectu, hoc institutum aut plane *abrogandum*, aut in *melius formandum* esse. Sic itaque 1) *absolutionis formula* precatoria & annuntiativa, non vero *praetoria* instar *sententiae* esse; & 2) omnis *coactio* hic exulare deberet, quod ipse LVTHERVS docuit: q) 3) conuenientior *praeparatio* ad synaxin introducenda foret, quippe quae per confessionem priuatam vix obtineri potest; (§. DCLXII. 5. sq.) r) 4) ius *bannarium* in electione & mutatione confessionarii vel penitus *abrogandum*, vel in iustos limites esset reducendum; (§. DCLXXII. 7.) s) 5) cum confessio homini facienda

q) LVTHER. Tom. VII. *Ienens.* fol. 10.

r) SPENER *evangelische Glaubens- Lehre* pag. 516.

s) III. BOEHMER *inv. paroch. Sect. IV. c. 1. §. 12.*

enda partem poenitentiae vix constituat, admittendam omnino esse adfertionem, quod quis *seipsum absoluere* queat: (§. DCLXXXV. 1) 6) *ius excludendi* a confessione nulli ecclesiae ministro competere: (§. DCLXXXIV. 6) 7) congrua *salaria* (§. XCIII. 7) ministris ecclesiae esse constituenda, nummum vero confessionarium eliminandum, quo facto, forsitan ipsa priuata confessio sua sponte corruet.

### §. DCLXXXIX.

Quum vero poenitentia proprie sit *displ-*  
*centia* eorum, quae a nobis facta sunt, postea  
 vero speciem disciplinae ecclesiasticae con-  
 stituerit, (§. DCLXXII. \*) qua mediante a de-  
 linquentibus ecclesiae laesae *satisfactum* :  
 satisfactionem vero pro peccatis Protestan-  
 tes repudient; (§. DCLXXXI. 2.) consequens  
 est, vt rectius *reiciatur*, quam adprobetur  
 poenitentia. Quum enim Protestantes poe-  
 nitentiam priuatam, & diuisionem publicae,  
 in solemnem & non solemnem (§. DCLXXIV.)  
 reprobent; qua, quaeso, ratione *publicam*  
*quae coram ecclesia peragenda propter publica*  
*peccata*, propugnabunt? Nam & haec fluit  
 ex doctrina de *satisfactione*, & ortum ducit  
 ex confoederata disciplina, qua hodie, vbi  
 ipsa respublica in facinorosos animaduer-  
 tit, carere possumus. (§. XXXVI. 2. seq.) Sed  
 & hic in contraria ruit peruersa praxis (§.  
 DCLXXX.) nouo indicio, quam misere iuris-  
 pru-

Observatio  
 de poeni-  
 tentia.

prudencia cohaereat, *t)* sed infra *u)* plura dicentur. (P. II. §. CCCLVIII.)

## TIT. IX.

## DE INDVLGENTIIS.

## §. DCXC.

Connexio.

**Q**UUM in poenitentia poena adfit, (§. DC LXXII. \*) poena vero arbitraria sit, & remitti possit, (§. DCLXXVIII. §.) haec ipsa vero remissio *indulgentiarum* adpellatione veniat; *x)* de his priusquam reliqua sacramenta tangam, agendum erit. \*

\* Publicae poenitentiae olim certa erant praefinita tempora. Haec vero nonnunquam relaxabantur, id quod mediante *dispensatione* seu *indulgentia* fiebat. Saepe maior exinde in ecclesiam redundabat utilitas. Nunquam vero denotarunt remissionem peccatorum intuitu Dei, sed *nudam poenae remissionem*. Ex quo vero dogma, quod Pontifex & Episcopi ex plenitudine potestatis peccata remittere possint, altas radices egit; inualuit etiam *venialis peccatorum remissio*, ita ut diplomata indulgentiarum sub hasta venderentur. Sic indulgentiae antiquae cum hodiernis non conueniunt. ZIEGLER *de Episc.* L. III. c. 14. ESPEN, *iur. eccl.* P. II. tit. 17. c. 7. §. 3. sequ.

## §. DCXCI.

Quid indulgentiae?

Sunt vero indulgentiae: *moderatio poenitentiae, seu relaxatio poenae, cum peccatorum remissio*.

*t)* conf. C. F. BVDDEVS von der höchsten Gewalt über die Kirche c. 2. §. 11.

*u)* conf. interim HOTTINGER *de poenit.*

*x)* c. fin. C. 2. qu. 3. c. 31. X. *de privileg.*



*remissione, auctoritate pleniori, certo tempore & certis de causis facta.\**

\* Olim indulgentiae erant tantum *relaxationes canonum poenitentialium, seu simplices poenae externae remissiones.* Verum ex quo scholasticorum doctrina *thesaurum meritorum Christi & sanctorum* fabricauit, vid. III. BOEHMERVS *iur. eccl. Tom. IV. in diss. praelim. & infranitorum annorum poenitentias* excogitauit; indulgentia a *dispensatione* separata fuit, & peculiare regulas accepit.

### §. DCXCII:

Exinde notanda axiomata: I. Relaxatio poenae pendet ex summa iurisdictione. II. Fit sub certo modo, & III. Certis ex causis.

Axiomata.

### §. DCXCIII.

Quum itaque relaxatio poenae pendeat ex summa iurisdictione, (§. DCXCII. 1) Pontifici vero Suprematus vniuersalis & independens competat, (§. CCLXXXIV. 1.) consequens est: 1) vt etiam *thesaurus gratiarum coelestium & terrestrium*, adeoque *indulgentiarum* in eius custodia sit. 2) Quum vero & reliqui *Episcopi* in partem sollicitudinis sint vocati, (§. V. 5.) & intuitu suarum ecclesiarum ordinariam potestatem exercent, (§. CCXLIII seq.) sequitur: 2) vt & hi secundum quid & ex *beneficio Pontificis* (§. VI. 2.) huius gratiae dispensatores sint: 3) vt ea-

Quinam indulgentias largiri possunt.

y) c. 2. Extrau. comm. de poenit. & remiss. add. III. BOEHMERVS *iur. eccl. Prot. Tom. IV. diss. praelim.*

yy) c. 14. X. de poenit. & remiss. c. 24. C. 24. qu. 1.

eadem obtineant in aliis Praelatis, qui Episcopalia iura exercent, quales sunt *Abbat*es *insulati*, (§. CXCIV. \*) quippe quibus hoc ipsum speciali *priuilegio* indultum: z) 4) vt aliis omnibus indulgentiarum erogatio interdicitur sit.

## §. DCXCIV.

Qua ratione conceduntur?

Quum deinde relaxatio fiat sub certo modo, (§. DCXCII. 2.) sequitur: 1) vt hunc *Pontifex* determinare, adeoque 2) *verbo, litteris & qualibet scriptura* indulgentiam impertiri possit: a) quum 3) thesaurus hic *communicabilis* sit, & 4) ex cumulo *meritorum Christi & Sanctorum* impertiri soleat: b) 5) pro poenis in hac & futura vita alias sustinendis: c) 6) vt tamen indulgentiae desiderent *Christianos* deuotos atque obsequentes, d) 7) *contritos & confessos*, e) 8) *credentes*, 9) ei, qui concedit, esse *subditos*: f) (§. DG LXXIX. 4.) 10) *implentes* per se, vel per alium, quae indulgentiae impleri mandant, nisi iusto impedimento, quominus id fieret, impediti fuerint: g) 12) vt tamen pro hoc the-

z) vid. c. 12. X. de excess. praelat.

a) c. fin. Extrau. Comm. de poenit. & remiss.

b) PETRVS MARIA PASSERINVS de indulgent. qu. 4.

c) vid. calendaria indulgentiarum apud DN. KAPPIVM in der Sammlung vom Ablass pag. 537.

d) c. 33. C. II. q. 3. c. 7. C. 23. q. 4.

e) c. 1. Extrau. de poenit. & remiss.

f) c. 4. & 15. X. de poenit. & remiss.

g) CORVINVS institut. iur. can. L. II. tit. 8. §. 6.

thesauro coelesti *thesauri mundi* defluere debeant.

## §. DCXCV.

Quum denique indulgentiae elargiri soleant ex certis causis; (§. DCXCII. 3.) vides, cur 1) aliquam *compensationem*, qua mediante redemptio temporum poenarum fiat, desiderent: 2) cur huc referant a) *redemptiones captiuorum*, β) *elemosynas*, γ) *exstructiones templorum*, b) δ) *visitationes ecclesiarum* tempore Iubilaei, i) aliaque plura.

Quibus ex  
causis?

## §. DCXCVI.

Quum vero ex doctrina Protestantium ad peccatorum remissionem sufficiant *contritio & fides*, (§. DCLXXX.) vides, nullum esse apud nos harum indulgentiarum usum. Ast quum olim indulgentia nihil aliud fuerit, quam *simplex poenae externae remissio* (§. DCXCI.\*) Protestantes vero poenitentiam publicam, ceu poenam ecclesiasticam propugnent, (§. DCXCI.) indulgentia nobis est: *remissio poenae externae*. Hanc vero indulgentiam largiri potest Princeps, (§. XCIII. 9.) k)

Vfus inter  
Protestan-  
tes.

## TIT. X.

## DE EXTREMA VNCTIONE.

## §. DCXCVII.

**A**D sacramenta etiam *extrema unctio* refertur, (§. DCXXV. 7.) cuius indoles  
E e nunc

Connexio.

b) c. 1. de poenit. & remiss. in 6. c. 4. X. eod.

i) ESPEN. iur. eccl. P. II. tit. 17. c. 4.

k) C. F. BYDDERVS cit. loc. c. 5. §. 5.

Quid extrema  
unctio?

nunc eruenda erit. Est vero unctio extrema: *Illinitio certarum partium corporis sanctificato oleo per Presbyterum, grauius aegrotanti facta, ut non minus animae, quam corporis sanitatem operetur.\**

\* Hanc ex scriptura *Jacob. V. 14. 15.* repetunt, sed temere. vid. *IO. DALLAEVS de extrema unctione.*

### §. DCXCVIII.

Diuisio.

Eam diuidere solent in *internam*, qua cor; & in *externam*, qua corpus inungitur. Externam dicunt *sacramentum*, internam vero *rem sacramenti*, quum sic *remissionem peccatorum* producat. l)

### §. DCXCIX.

Axiomata.

Tenenda de hac unctioe axiomata: I. Unctio extrema desiderat personas habiles eam administrantes: (§. DCXXIX.) II. Est medicina corporis & animae simul.

### §. DCC.

Quis eam  
admini-  
stret?

Ex priori intelligis, 1) cur oleum ab *Epi. scopo* solo conficiatur: m) (§. CCXLVI. 2. a) 2) cur *Presbyter* seu *sacerdos* eam peragat: n) (§. CCXXXVI. 4.) 3) cur a *parochio* vel eius delegato administranda sit: (§. CCCCLXII. 3. seq.) 4) cur *parochus* aut delegatus eius *solus* sufficiat, licet alius clericus ceu adiuuans simul adhiberi possit: o) 5) cur etiam ipse *Episcopus* eam peragere possit, (§. CCXLI.)

### §. DCCI.

l) CORVINVS c. l. tit. 9. §. 3. & 4.

m) RHEGINO *de discipl. eccl. L. I. c. 118.*

n) c. 3. D. 95. c. 14. X. *de verb. signif.*

o) c. 14. X. *de verb. signif.*

## §. DCCI.

Ex posteriori vides, 1) cur vnctio haec administretur saltem *aegrotis* non vero 2) illis, qui *morte violenta* perire debent, nec 3) *amenibus* aut *impoenitentibus*, (§. DCLV. 5.) 4) cur dicatur *extrema*: 5) cur aegroti inungantur in corporis *partibus sensualibus*, ex quibus origo peccati descendit: p) 6) cur illa *peccati reliquias* abstergat: q) 7) cur *iterari* possit, si aegrotus ab aegritudine resurgat, & postea rursus in morbum cum periculo mortis incidat, \* r) Sed haec vnctio apud nos exfulat.

Quibus ad-  
ministra-  
tur, & quo-  
modo?

\* Dantur etiam aliae vnctiones, vel cuius christiano communes, puta *vnctio post baptismum*, (§. DCXXX. 8) *vnctio in confirmatione*; (§. DC XLVII. 1.) vel particulares, vt *Episcoporum*, (§. CCCXLIII. 8.) *Principum secularium*. Horum vnctio a capite ad brachium translata quidem fuit a Pontifice; CIRONIVS *paratitl. X. de sacra vnct.* Verum hodie in *capite*, vt olim in veteri foedere, peragitur. Scilicet vnctionis vsus est antiquissimus. Effectus erat *inviolabilitas & sanctitas*. Hoc intuitu reges & sacerdotes inuncti fuerunt. Regum vero inunctio praetextum Pontifici praebuit, vt regum constitutiones sibi vindicare annitertur, quem vero fastum perstrinxit illustr. Dominus a LVDEWIG in *tract. Naeniae Pontificis de iure reges appellandi*.

Ee 2

TIT.

p) CORVINVS. c. l. §. 6.

q) c. 2. D. 95.

r) De ROYE *institut. iur. can. L. II. tit. 8. §. 8.*

## TIT. XI.

## DE ORDINE.

## §. DCCII.

**Connexio.** **O**rdinem inter sacramenta referri notum est, (§. DCXXV. 5.) licet ipsi Pontificii in nulla re adeo dissentiant, quam ubi definire volunt, quot & quae ordinationes sacramenta sint. s) (§. CCXLVI. \*\*\*) Nos breuiter communem doctrinam delineabimus.

## §. DCCIII.

**Quid ordo?** Est vero ordo nihil aliud, quam: *res, seu vis inuisibilis, quae officio sacro statim cohaeret, simulac quis mediante ordinatione cooptatus fuit.* \*

\* Non solum doctores, sed ipsa canonica iura saepius ordinationem cum *ordine*, quatenus *sacramentum* constituit, confundunt. vid. Tit. X. de *scrutin. in ordine faciend.* Sed ordinatio est *modus*, seu *actio* quaedam *externa*, per quam officium, vis & potestas sacra confertur: Ordo vero est *res ipsa* seu *vis & potestas* ita collata. Nam sicuti in imperio Romano ordinis notio *potestatem & dignitatem* denotabat: (§. CLVII.) ita etiam clericis eadem ratione ordinis adpellationem tribuerunt.

## §. DCCIV.

**Axiomata.** Hinc fluunt axiomata: I. Ordo tribuit potestatem: II. Ex omnibus ordinibus vnum duntaxat constituitur sacramentum.

## §. DCCV.

---

s) ANDR. RIVETVS in *Cathol. o* . *tract.* 3.  
q. 14. nr. 3. *orthodox*

## §. DCCV.

Ex priori notandum: 1) ordinem non solum conferre *potestatem ordinis* striete sic dictam, puta administrationem sacramentorum aliaque; (§.CCXLVI.1.) verum etiam, 2) quae quodammodo ex *iurisdictione* fluere videntur, puta facultatem excommunicandi, poenitentes absoluendi, aliaque: (§.CCXLVII.2.) 3) praecipuam potestatem consistere in conficiendo *eucharistiae sacramento*, & hanc in sacerdote *plenam esse & perfectam*: (§.DCLIII. 2. & 3. §. DCLIV. 1.) 4) in aliis vero inferiorum ordinum ministris, modo maiorem, modo minorem, quo magis *ad altaris ministerium concurrunt*, vel non: (§.CCXXV.) 5) ordinem imprimere *characterem*, adeoque 6) non posse *iterari ordines*, & quae sunt alia, (§. CLXV. seq. §. CC. seq. §. CCXVII. §. CCXXXV. §. CCXLIV. & DXLIX.)

Confectaria  
primi axio-  
matis.

## §. DCCVI.

Ex posteriori sequitur: 1) vt sacramenti *Secundi.* ordinis plenitudo sit in *vno sacerdotio*: 2) vt tamen alii ordines de hac plenitudine participant, & ordines *per relationem* ad sacerdotium sint; 3) vt proinde singuli ordines separatim sacramentum haud constituent, (§.CC. seq. & § DXLIV.)

## §. DCCVII.

Protestantes negant sacramentum ordinis; *Vfus* inter quousque vero adsumenda iuris canonici, *Protestan-*

nihilominus in suos vsus conuertant, iam enucleauit, (§. CLXXXI. & §. DL. seq.) adeoque actum non agam.

## TIT. XII. DE MATRIMONIO.

### §. DCCVIII.

Connexio. **A**D sacramenta etiam *matrimonium* refertur, (§. DCXXV. 6.) tam propter *diuinam* in Paradiso *institutionem*, quam quod *mysterium vnionis* Christi cum ecclesia, sub imagine coniugalis vnionis, adumbretur, de quo sacramento nunc agendum erit.

### §. DCCIX.

Quid matrimonium? **M**atrimonium vero canonica iura eodem quidem modo, ac Romana definiunt, quod fit: *viri & mulieris coniunctio, indiuiduam vitae consuetudinem cum diuini & humani iuris communicatione continens; sed verba in alium plane sensum detorquent. 1)*

### §. DCCX.

Commoda matrimonii. **H**uic matrimoniali vinculo varia bona seu commoda, virtutes & effectus adscribunt. Inter haec vero bona primum locum assignant 1) *sacramento*, & inde pleraque aestimant, quo ipso tamen verum matrimonii conceptum obscurant, & omnia tenebris inuoluunt. Post sacramentum ponunt 2) *fidem coniugalem*, quae excludit adulterium: de-  
hinc

---

t) THOMASIVS *ad Lancelott.* not. 248.



hinc 3) *prolis generationem*: denique 4) *vt sit fornicationis remedium. u)*

## §. DCCXI.

Protestantes negant quidem, matrimonium esse sacramentum; x) sed multi *typicam significationem* in sensu plane exorbitanti matrimonio adsignant: *qualitatem spiritualem* principaliter illi inesse contendunt, quo ipso reuera idem docent, quod Pontificii. Deinde plerasque *conclusiones* ex principio: quod *matrimonium sit sacramentum*, propullulantes, incaute retinent, & sic ita rem inuolunt, vt rationem eierasse videantur, ceu mox videbimus.

Doctrina  
Protestantium,

## TIT. XIII.

## DE SPONSALIBVS.

## §. DCCXII.

**M**atrimonium praecedunt *sponsalia*, & Connexio. sunt illius initia, quæ proinde nunc enucleari debent. Sunt vero sponsalia: *Quid sponsalia?* *mentio & repromissio futurarum nuptiarum. y)*

## §. DCCXIII.

Diuiduntur: in sponsalia *de praesenti*, & *de futuro*, puta *matrimonio*. \* Illa sunt, quae per *verba praesentis temporis contrahuntur*, & *vinculum matrimoniale inducunt*, adeoque *improprie* sponsalia sunt. z) Haec sunt: *promissio futurarum nuptiarum per verba futuri temporis*, & *sponsalia propria* constituunt.

Diuisio.

E e 4

\* Hanc

u) LANCELOTTVS *instit. iur. can. L. II. tit. 9. §. 3.*

x) THOMASIVS *cit. loc. not. 292.*

y) C. 3. C. 30. q. 5. L. 1. ff. *de sponsal.*

z) CORVINVS *instit. iur. can. L. II. tit. 12. §. 3. & 4.*

ESPEN. *iur. eccl. P. II. tit. 12. c. 1.*

\* Hanc diuisionem iam Romanis cognitam fuisse, probare voluit B. GVNDLING in *Gundlingianis* P. X. c. 1. qui se potissimum fundat in nota illa iuris antiqui distinctione, inter virginem *speratam, pactam, desponsatam*. Contra Romanos eam ignorasse, & illam ortum traxisse ex dissensu patrum, quorum quidam crediderunt, sponsalibus inesse *vinculum matrimoniale*; alii vero recte arbitrati fuerunt, sponsalia a matrimonio differre: scholasticos dehinc, vt discrepantes sententias conciliarent, distinctionem hanc attulisse, contendit illustr. BOEHMER *iur. eccl. Prot. L. IV. tit. 1. §. 4. sequ.* Hoc certum est, *magisterialem* esse hanc diuisionem, nec vllum exstare textum, qui illam exhiberet. Licet enim consensus *praesens & de futuro* quandoque occurrat; sponsalium vero de futuro & de praesenti, nulla mentio iniicitur, quam tamen diuisionem interpretes exinde fabricarunt. Videre scilicet, *consensum* facere matrimonium, hinc putarunt, tunc reuera nuptias adesse, vbi per verba *praesentis temporis* consensus declaratus fuerit. Hunc consensum etiam facto declarari posse, & sic *verum* in his sponsalibus adesse *matrimonium*, licet alia *solemnia ecclesiastica* deficerent. Sed ex sententia concilii Tridentini, hodie nulla occurrunt sponsalia de praesenti, quae *matrimoniale vinculum* inducerent. vid. ESPEN *iur. eccl. P. II. tit. 12. c. 5. nr. 29. sequ.*

#### §. DCCXIV.

Subdiuisio.

Sponsalia de futuro vero vel *nuda* sunt & *simplicia*, cum despondentes nude & simpliciter *promittunt*, quod matrimonium inire vellent; vel *firmata*, cum *arrae* interueniunt, aut *iusiurandum* interponitur. a)

#### §. DCCXV.

---

a) c. 4. X. de sponsal. c. 14. & 15. C. 27. q. 2.

## §. DCCXV.

Quoad sponsalia propria seu de futuro Axiomata.  
 notanda axiomata: I. Sponsalia contrahuntur consensu legitime declarato: II. Sunt quodammodo contractus naturalis: *b)* III. Inducunt iustitiam publicae honestatis.

## §. DCCXVI.

Quum itaque sponsalia contrahantur, Requisita consensus sponsaliti.  
*consensu* legitime declarato; (§. DCCXV. I.) consequens est: 1) ut sufficiat, si de hoc constet, licet *nulli testes* interuenerint: *c)* 2) ut talis consensus varie possit declarari, *ore, scriptis, signis, per se & per alium*; *d)* dummodo 3) *legitima & categorica* declaratio ex verbis aut signis colligi possit; *e)* & 4) *libera voluntas* coactionis expers adsit; \* nec non 5) *dolo* consensus elicitus haud fuerit: *f)* 6) ut *ipsae personae* sponsalia ineuntes consensum declarare debeant; nec 7) *parentes* liberos inuitos despondere aut cogere possint: *g)* (§. DCCXXXIV. 9.) 8) ut tunc, ubi litteris consensus declaratur, necesse sit, ut is, qui eas misit, in *consensu perduret*, vsque dum & ille, ad quem litterae missae, consenserit: *b)* 9) ut per *procuratorem* tunc demum  
 E e § valide

*b)* vid. LAVNOIVS *de reg. in matrimon. potest.*

*c)* c. 1. X. *de clandest. despons.*

*d)* CORVINVS *cit. loc. §. 6. sequ.*

*e)* c. 7. X. *de sponsal.* BROVWER *de iur. connub. L. I. c. 20.*

*f)* BROVWER *cit. loc. c. 19.*

*g)* c. 6. 13. 14. & 21. X. *de sponsal.*

*b)* CORVINVS *cit. loc. §. 9.*

valide contrahantur, si is speciali mandato instructus, nec illud *reuocatum* fuerit: i) 10) ut illi demum valida sponsalia contrahant, qui *consentire possunt*, adeoque 11) *impuberum*, qui septennium excefferunt, permiffa quidem, tamen inter *claudicantia* referenda sint: k) 12) ut ad sponsalia liberorum etiam *parentum consensu* opus fit, licet defectus illius matrimonium contractum non dirimat. l)

\* Per *indirectum* autem *coactio* procedit, puta, ubi caelibatus legibus coercetur, aut saltem cum aliqua persona interdicitur. vid. Illustr. BOEHMER *iur. eccl. Prot. L. IV. tit. 1. §. 125. sequ.* (§. DCCXXXIV. 12.)

### §. DCCXVII.

Contrahuntur vel pure, vel die adiecta, vel sub conditione.

Quumque sponsalia sint quodammodo contractus naturalis; (§. DCCXV. 2.) sequitur: 1) ut contrahi possint vel *pure*, vel *adiecta die*, vel *adposita conditione*: 2) ut pura tunc sint, si certa conditio *expresse*, non *adiecta*, licet *tacitae* & *subintellectae*, ex natura negotii adsint, puta, α) *rebus sic stantibus*; m) β) si *sponsa* adhuc sit *intemerata*; n) γ) si vterque desponsatorum *aptus ad matrimonium*: 3) ut *dies* tunc adiectus fit, cum quis se intra certum temporis spatium nuptias con-

i) c. fin. de procurat. in 6.

k) c. 4. & 5. X. de despons. impub.

l) c. 6. X. de raptor.

m) c. 25. X. de iureiur.

n) c. 2. C. 32. q. 6.

contracturum promittit: o) 4) vt dies vel *differendae*, vel *finiendae*, obligationis gratia ad iici soleat: 5) vt sub *conditione* tunc fuit contracta, cum in aliquem euentum differuntur: 6) vt conditio expressa *suspendat* obligationem sponsalitiã, nisi fuerit remissa: p) 7) vt non remissae conditionis *euentus* sit expectandus: q) 8) vt partes & *expresse* & *tacite* a conditionibus recedere possint: r) 9) vt conditio *turpis* aut *impossibilis* sponsalia *inualida* reddat. s)

## §. DCCXVIII.

Ex eodem principio sequitur: 10) vt contracta sponsalia spem certam & *ius futuri matrimonii* inducant, adeoque 11) *poenitentia* aut *renitentia* vnius *dissolui non possint*: t) 12) vt proinde *cogi* possint partes censura ecclesiastica ad matrimonium consummandum: u) 13) vt tamen *oborto collo* ad copulam trahi vix debeant. x) nisi  $\alpha$ ) *stupro* puellam *dotare* nequeat, aut  $\beta$ ) sponsalia *copula carnali* fuerint confirmata: 14) vt minoribus etiam intuitu sponsalium per *restitutionem in integrum* succurrendum sit:

Operantur  
spem certam  
nuptiarum.

o) c. 22. X. de sponsal.

p) Stryk de dissensu sponsalit. Sect. IV. c. 1. §. 26.

q) c. 3. 5. & 6. X. de condit. apposit.

r) c. 3. & 6. X. eod.

s) ENGEL colleg. iur. can. tit. de condit. adpos. nr. 11.

t) c. 10. X. de sponsal.

u) cit. c. 10. ibique BARBOSA.

x) c. 17. X. de sponsal.

fit:  $\gamma$ ) 15) vt *priora sponsalia posterioribus* sint praeferenda,  $\alpha$ ) nisi  $\alpha$ ) posteriora *concubitu*,  $\alpha$ ) aut  $\beta$ ) *benedictione* sacerdotali fuerint confirmata;  $\beta$ ) aut  $\gamma$ ) posteriora sint *de praesenti*, priora autem *de futuro*:  $\epsilon$ ) 16) vt *bi-na sponsalia* contrahentes non immerito poenam luant.  $\delta$ )

§. DCCXIX.

Quas ob  
causas dif-  
foluantur?

Porro ex hoc principio elicies: 17) sponsalia ad exemplum aliarum promissionum *varie dissolui*; quorsum referes  $\alpha$ ) tacitam conditionem, rebus sic stantibus, (§. DCCXVII.  $\alpha$ ) quae per varios particulares casus se diffundit;  $\beta$ ) ubi altera pars contra *legem desponsationis* venit;  $\epsilon$ )  $\gamma$ ) *mutuum dissensum*,  $\delta$ ) licet sponsalia fuerint iurata;  $\delta$ ) *poenitentiam puberis*, qui impubes sponsalia contraxit; (§. DCCXVI. 11.)  $\epsilon$ ) *metum*, (§. DCCXVI. 4.) qui etiam sponsalia iurata nulla reddit,  $\beta$ ) & ob quem puellae *sequestrari* possunt;  $\iota$ ) (§. DCCXXXIV. 10.) dum-

$\gamma$ ) Ill. BOEHMER *iur. eccl. Prot. L. IV. tit. 1. §. 88 seq.*

$\alpha$ ) c. 22. X. *de sponsal.*

$\alpha$ ) c. 30. *cod.*

$\beta$ ) c. 31. *cod.*

$\epsilon$ ) c. 3. 15. & 31. *cod.*

$\delta$ ) c. 2. X. *de sponsa duor.*

$\epsilon$ ) c. 25. X. *de iureiur.*

$\delta$ ) c. 2. X. *de sponsalibus.*

$\epsilon$ ) c. 8. X. *cod.* & c. 2. X. *de desponsat. impuberum.*

$\beta$ ) c. 2. X. *de eo, qui duxit in matrim.*

$\iota$ ) c. 14. X. *de sponsal.*

dummodo ζ) *metus fuerit iustus*, k) nec η) *facto* quodam *illicito* quis causam dederit, l) nec θ) *metus purgatus* fuerit: m) (§. DCCXXXIV. 14. seq.) dissolui porro, i) ubi *dolo* quis circumuentus fuit, (§. DCCXVI. 5.) ita, ut *respectu circumuenti* sponsalia fuit nulla: n) (§. DCCXXXV. 19.) κ) *lapsus temporis conventionalis*, (§. DCCXVII. 4) ο) & *legalis*, puta triennii, adfit: p) λ) *defectus* implementi aut conditionis existat: (§. DCCXVII. 5. seq.) 18) ut his casibus modo *cum*, modo *absque* causae cognitione a sponsalibus recedatur. q)

## §. DCCXX.

Quum tandem sponsalia inducant iustitiam *publicae honestatis*, (§. DCCXV. 3.) sequitur: 1) ut dissolutis morte sponsalibus sponsa non possit *nubere consanguineis sponsi*, & vice versa: r) 2) ut id ipsum etiam in sponsalibus *impuberum* obtineat: s) 3) ut tamen hoc ipsum de *puris*, non de *conditionatis* sponsalibus intelligi debeat: t) 4) ut hoc im-

Quatenus sponsalia matrimonium cum consanguineis desponsati impediant?

k) c. 15. & 28. *cod.*l) Ill. BOEHMER *ad Cornu* L. II. tit. 13 §. 22. n. u.m) c. 21. & 23. X. *de sponsal.* c. 2. X. *de eo, qui duxit in matrim.*n) STRYK *de dissensu sponsalit.* Sect. II. §. 14.o) c. 12. X. *de sponsal.*p) c. 5. X. *eod.*q) CORVINUS *cit. loc. tit. 12. §. 27.*r) c. 4. & 8. X. *de sponsal.* c. 12. X. *de spons. impuber.*s) CIRONIVS *ad tit. X. de despons. impub.*t) c. vn. *de spons. in 6.*

impedimentum saltem pertingat ad *gradum primum*: u)  $\zeta$ ) vt tamen *dispensatio* hic admitti possit & soleat, dummodo 6) superstes iureiurando se purget, quod nulla *copula carnalis* cum defuncto interuenerit. x)

DE SPONSALIBVS,  
 QVATENVS PROTESTANTES  
 SINGVLAREM DOCTRINAM  
 FOVENT.

§. DCCXXI.

Mens Protestantium circa diuisionem sponsalium de praesenti & de futuro.

Protestantes hic multa tranquilla varia ratione turbare solent. Recepere scilicet diuisionem inter *sponsalia de praesenti, & de futuro*; (§. DCCXIII.) sed *alias definitiones* horum sponsalium dederunt, & nihilominus *conclusiones* ex definitionibus iuris canonici profluentes retinuerunt. \* Nam I. Retinendam censuere eatenus hanc diuisionem, vt sponsalia *pura* essent sponsalia *de praesenti*, & quidem sponsalia *proprie sic dicta*: II. Ad sponsalia de futuro retulerunt  $\alpha$ ) pacta futurorum sponsalium seu *tractatus sponsalios*;  $\beta$ ) Sponsalia *impuerberum*;  $\gamma$ ) Sponsalia *conditionata*; eiusmodi vero sponsalia *impropria* pronuntiant. Ab hac vero Philosophia ius canonicum in totum recedit. Sed hoc non obstante plerique Protestantium conclusiones huius iuris ad sua dogmata

n) conc. Trid. Sess. XXIV. c. 3.

x) CARPZOV *iurisp. consist.* L. II. d. 121.



ta trahunt, cum tamen, vbi definitiones discrepant, eadem iura obtinere vix possint.

\* Vidit scilicet LV THERVS, interpretes iuris canonici verbis, *praesentis* aut *futuri* temporis, duntaxat inhaerere, quorum ineptias merito taxauit. vid. libellus eiusdem von *Ehez Sachen*. Verum Pontificem & antiquos doctores non intellexit. Hinc aliter explicandam, & tunc retinendam esse hanc diuisionem, censuit, videlicet vt *pura* dicerentur *de praesenti*; *conditionata* vero *de futuro*. Haec noua Lutheri definitio, dehinc superaddita fuit definitionibus iuris canonici, ita, vt sponsalia de praesenti iureconsulti aliter quidem definirent; nihilominus tamen conclusiones iuris canonici retinerent. Nam, duce CHEMNITIO in *loc. Theolog. de coniugio*, plerique etiam Theologorum putarunt, verba *de praesenti*, & *pura*, de iure canonico coincidere, quod tamen a vero est alienissimum. Porro CHEMNITIVS *tractatus sponsalitiis* sponsalia *de futuro* dixit; sat incongrue quidem, tamen non sine adseclis. Porro ad sponsalia *de futuro* retulit desponsationes *impuberum* & *conditionatas*; sponsalia vero, inter puberes *pure* celebrata, *de praesenti*, dixit. Abhinc omnes iureconsulti novos plane conceptus de sponsalibus sibi formarunt, & de praesenti *propria*, de futuro vero *impropria* adpellarunt, sed omnia contra mentem iuris canonici.

### §. DCCXXII.

Verum licet nouae substitutae fuerint definitiones, decisiones tamen iuris canonici, ex principio: sponsalia de praesenti esse matrimonium, propullulantes, ad nostra *sponsalia pura*, quae tamen in sensu iuris canonici sunt

Conclusiones peruersae inde deductae.

sunt *sponsalia de futuro*, tractae fuerunt. Inde intulerunt, 1) *delationem iurisiurandi* non obtinere, nisi pro sponsalibus conseruandis, ne praestito eo dissoluatur matrimonium: y) 2) contra sponsalia de praesenti inualidam esse *transactionem*: z) 3) esse haec sponsalia *indissolubilia*, adeoque dissentientes ad ea consummanda *cogi* posse: a) 4) inferre ea *matrimonium*: 5) indistincte transire per *concubitum* in matrimonium: b) 6) in *concur-su sponsalium* posteriora *pura* praeferri prioribus *conditionatis*: c) licet 7) ad priora, *post contracta de praesenti*, accesserit concubitus aut hierologia: d) 8) *in dubio* contracta cense-ri sponsalia *de praesenti*: e) 9) sponsam de praesenti gaudere *priuilegio dotis*: f) 10) *sen-tentiae* super sponsalibus de praesenti latae, postquam in rem iudicatam transierit, re-nunciari non posse: g) 11) exfulare hic omnem *restitutionem in integrum*: h) & quae sunt alia insulsa consecretaria.

## §. DCCXXIII.

- y) CARPZOV *Lib. III. Resp. 57.*  
 z) IDEM *iuvisprud. consistor. Lib. III. d. 44.*  
 a) IDEM *ibid. Lib. II. d. 133. sequ.*  
 b) IDEM *ibid. d. 135.*  
 c) IDEM *ibid. d. 70.*  
 d) HOPP *Comment. ad institut. tit. de nupt.*  
 e) CARPZOV *cit. l. d. 17.*  
 f) HAHN *ad Wesembec. tit. quib. causis pign. vel hypoth. tacit.*  
 g) CARPZOV. *cit. l. L. III. d. 35.*  
 h) LAVTERBACH *ad tit. ff. de minor.*

## §. DCCXXIII.

Derelinquere Protestantes potuissent <sup>Epicrisi.</sup> placita iuris canonici, intuitu sponsalium, & rem omnem potius ex sua natura aestimare. Potissimum hoc facere debuissent in doctrina de *diuisione* inter sponsalia de praesenti & de futuro, cum illis sufficere potuissent simplicissima iuris naturae fundamenta. Interim si iuxta ius canonicum res matrimoniales diiudicare volumus, dextre illud applicandum erit. Hinc in sponsalium materia haec duo potissimum obseruanda forent: I. Ea, quae de sponsalibus *de futuro* in iure canonico occurrunt, illa sponsalibus *de praesenti*, prout in nostro foro definiuntur, tribuenda sunt. II. Euitandae tamen sunt eae conclusiones, quae & sponsalium materiam ex hoc principio inquinarunt, quod *matrimonium sit sacramentum*.

Duae regulae obseruandae.

## §. DCCXXIV.

Ex prima regula discimus: 1) exsulare <sup>Conclusio.</sup> apud nos sponsalia de praesenti, *in sensu iuris* <sup>nes ex regula prima.</sup> canonici: \* 2) sponsalia *conditionata* aequè obligare ac *pura*, vt euentus conditionis exspectari debeat: (§. DCCXVII. 7.) 3) falsum esse adsertum: *purum consensum* in sponsalia esse *matrimonium* coram DEO & hominibus; E contra verum: 4) sponsalia de *futuro*, esse *proprie* dicta sponsalia: nec 5) huc referri posse *tractatus sponsalicios*: 6) sponsalia *impuberum* esse quidem *proprie* dicta sponsalia, sed *imperfecta*: (§. DCCXVI. II.)

Ff

7) pu-

7) pura sponsalia haud esse indissolubilia, sed potius admittere iustas repudii causas: (§. DCCXIX.) proindeque 8) exulare merito *coactionem absolutam*; (§. DCCXVIII. 13.) 9) *priora* licet sint conditionata, *posteriores* puris omnino esse praeferenda; (§. DCCXVIII. 15.) vt alia plura taceam.

\* Ceteris vero paribus huc referre posses sponsalia *concubitu firmata*.

§. DCCXXV.

Ex secunda  
regula.

Ex secunda regula obseruandum: sponsalia haud transire *in matrimonium*, licet illis accesserit *concubitus* aut *hierologia*, nisi  $\alpha$ ) *consensu parentum* fuerint firmata:  $\beta$ ) masculus ea contrahens prudentia *alendi familiariam* gaudeat, &  $\gamma$ ) nulla *priora sponsalia* adsint. Haec enim posterioribus, missis iuris canonici principiis, (§. DCCXVIII. 15.  $\alpha$ ) seq.) eatenus praeferenda sunt, vt *coactio secundum quid* hic adhibeatur.

TIT. XIV.

DE NVPTIIS

IVXTA IVS CANONICVM.

§. DCCXXVI.

Connexio.

QVum sponsalia sint *matrimonii initia-  
mentum*, (§. DCCXII.) de matrimonio vero saltem actum fuerit, qua ratione illud *sacramentis* adnumeretur; (§. DCCVIII. seq.) iam vero multa alia supersint, quae in matrimoniali vinculo contrahendo obseruanda

da veniunt; merito paullo plenior tractatio *de nuptiis* instituenda est.

§. DCCXXVII.

Nuptiarum seu matrimonii \* definitio. Definitio nuptiarum. prout a canonistis ea tradi solet, iam vidimus; (§. DCCIX.) verum, perpensis re. & traditis iuris canonici, nuptiae iuxta illud sunt: *Sacramentum laicis proprium, quo vir & mulier, secundum praecepta ecclesiae, coniunguntur. i)*

\* Synonimice hic sumo verba, non in sensu iuris Romani, iuxta quod nuptiae sunt vocabulum iuris ciuilibus, matrimonium vero iuris gentium.

§. DCCXXVIII.

Sunt vero nuptiae vel *publicae*, quae in Diuisione. praesentia testium, seruatis sollempnitatibus ecclesiasticis; contrahuntur; vel *clandestinae*, quae his requisitis carent. Deinde cum nuptiae christianorum inter *sacramenta* reatae fuerint, (§. DCCVIII.) inualuere diuisiones, vt alia matrimonia sint *legitima & non rata*, qualia inter infideles occurrerent; *k)* alia *rata & non legitima*, inter christianos quidem, sed neglectis sollempnitatibus ecclesiasticis contracta; alia denique *legitima & rata*, vtpote inter fideles, obseruatis sollempnitatibus ecclesiasticis, celebrata. *l)*

F f 2

§. DCCXXIX.

i) conf. c. 2. C. 32. q. 2.

k) conf. c. 7. & 8. X. de diuort.

l) c. 1. & 15. C. 28. q. 1.

## §. DCCXXIX.

Subdiuisio.

Ratum vero & legitimum matrimonium vel *initiarum* dicunt, vbi consensus de praesenti est declaratus; (§. DCCXIII.) *m*) vel *consummatum*, vbi consensui carnalis copula accessit: *n*) quo casu dicitur matrimonium *perfectum*, quia non solum *indissolubilitas*, sed & *sacramentum* in plena sua significatione adest.

## §. DCCXXX.

Axiomata.

Inde elicio axiomata: I. Bonum nuptiarum seu matrimonii palmarium consistit in sacramento. II. Ineuntur nuptiae potissimum ad procreandam sobolem. III. Iniri debent modo legitimo; & IV. Cum legali dispositione obseruanda simul praecepta ecclesiae. V. Rite contractae nuptiae producent varios effectus ciuiles.

## §. DCCXXXI.

Conclusiones quaedam ex doctrina de sacramento matrimonii.

Quum itaque bonum matrimonii palmarium consistat in *sacramento*, (§. DCCXXX. I.) sacramentum vero propterea dicitur, quod vnionem Christi cum ecclesia referat, (§. DCCVIII.) denique tunc demum plenum sacramentum adfit, vbi *copula carnali* consummatum est; (§. DCCXXIX.) sequitur: 1) vt non sint vna caro  
vir

*m*) c. 2. C. 27. qu. 2.

*n*) c. 2. X. de conuers. coning. c. 34. sequ. C. 27. q. 2.

vir & mulier, nisi cohaeserint *copula maritali*: o) 2) vt *impotentia coeundi* perfectionem n̄ atrimonii impediatur: (§. DCCXXXII. 2. sq.) 3) vt matrimonium propterea sit *sacrum* aut *sanctum*, & 4) *negotium ecclesiasticum*, adeoque vnice ex legibus ecclesiasticis aestimandum: p) 5) vt validum sit matrimonium libero- rum sine *consensu parentum* contractum: q) (§. DCCXVI. 12.) 6) vt etiam *serui* legitima & rata contrahant matrimonia; r) 7) vt *polygamia* prohibita sit, & seueris poenis subiaceat: s) 8) vt coniuges *eiusdem religionis* esse debeant: t) 9) vt *indissolubile vinculum* constituat, tt) adeoque 10) annullari nequeat, nisi vbi *impedimenta*, quominus subsistere possit, adducantur: quo casu quilibet agere potest, licet, vbi plures concurrunt, certae personae praeferantur: \* u) vt alia taceam.

\* In hac accusatione, seu impedimentorum allegatione plura singularia admittunt, v. g. quod credendum sit alleganti propriam turpitudinem; aliaque. vid. III. BOEHMER *iur. eccl. Protest. L. IV. tit. 3. §. 36.*

Ff 3

§. DCCXXXII.

o) c. 16. *seq. C. 27. q. 2.*p) GALESIVS *de eccl. in matrim. potest.*q) c. 6. X. *de raptoribus.*r) c. 1. C. 29. q. 2. GVNDLINGIAN P. X. *art. 3.*s) c. 4. C. 12. q. 4. c. 3. & 5. X. *de spons. duor. Constit. crimin. art. 121.*

t) c. 12. 15. &amp; 17. C. 28. q. 1.

tt) c. 7. C. 30. q. 5.

u) vid. tit. X. *qui matrim. accus. poss.*

## §. DCCXXXII.

Qualitates  
eorum, qui  
matrimonia  
inquirunt.

Quum deinde nuptiae potissimum in-  
eantur ad *procreandam sobolem*, consequens  
est: 1) vt *mutuum adiutorium* sit finis secun-  
darius: x) 2) vt nuptias celebrantes de-  
beant esse *matrimonii capaces*, seu in eo sta-  
tu, vt *coire* queant, quem statum ex *annis*  
*pubertatis* metiuntur: \* y) 3) vt etiam pu-  
beres in *conditione cobabitandi* constituti esse  
debeant, adeoque nullum sit matrimonium,  
a) cum *eunucho* contractum, z) vel β) cum  
*impotente* seu ob vitium naturale ad coha-  
bitandum inhabili, vel γ) cum *femina ni-*  
*mis arcta*, a) vel δ) cum *fascino* ligato, &  
ad rem veneream inepto reddito, b) vel  
e) *contagioso morbo* laborante, c) celebra-  
tum; dummodo ζ) inhabilitas sit *perpetua*,  
vt ope medicorum tolli non possit; d)  
η) an-

x) ALBERIC. GENTILIS *de nupt. Lib. V. c. 3.*

y) c. 3. X. *de despons. impuber. c. 8. & 9. X. de sponsal.*

z) vid. Bulla Sixti V. *in bullar. magn. T. II. pag. 587.*

a) tit. X. *de frigid. & malefic.*

b) c. 4. C. 33. q. 1. c. 5. X. *de frigid. & malefic.*

c) tit. X. *de coniug. leprof.*

d) c. 3. X. *de frigid. & malef.*



n) *antecedens* matrimonium; e) *θ*) legitime probata: f) 4) vt tamen in impotentia non *absoluta nullitas*, sed saltem *secundum quid* occurrat: g) 5) vt proinde multo magis cum *sterili* nuptiae subsistant: h) nec non 6) vt *senum* nuptiae sint tolerandae, & sic 7) pariter subsistat matrimonium *iuuenis* cum *vetula*, licet *parum decora & honesta* sit haec coniunctio. i)

\* Vtrum iura canonica etiam *inspectionem corporum* ad explorandam pubertatem approbent, dubium est. Innuere id videtur c. 3. X. *de despons. impub.* Re vero accuratius pensata Pontifex saltem de externo corporis schemate loquitur. vid. GVNDLINGIAN, P. XXIV. *art. 2. §. 16.*

### §. DCCXXXIII.

Quumque porro nuptiae contrahi debeant *legitimo modo*, (§. DCCXXX. 3.) & in sponsalibus consensus legitimus & liber desideretur; (§. DCCXVI.) sequitur: 1) vt multo magis in nuptiis *consensus coniungendorum*, & 2) si parentes habeant, *parentum*

Qualis consensus in contrahendo matrimonio desideretur.

F f 4

ne-

e) c. 25. C. 32. qu. 7. c. 1. X. *de coniug. leprof.*

f) c. 4. X. *de probat.* c. 4. & 5. X. *de frigid. & malef.*

g) c. 4. & 5. X. *de frigid. & malef.*

h) CONF. BASILIUS PONCE *de matrimon.* Lib. VII. c. 55. sequ.

i) HOFFMANN *de matrim. sexagen. cum quinquagen. membr.* 1. c. 1. §. 11.

necessarius sit: *k*) 3) vt tamen hodie talis consensus saltem ex honestate requirendus sit, *l*) nec matrimonium ob huius defectum annullari queat: (§. DCCXXXI. §.) 4) vt consensus *solemniter* in ecclesia sit declarandus: (§. DCCXXXVIII. I.) 5) vt *voluntarius* esse debeat: *m*) adeoque 6) carere *vi, metu, dolo, errore.*

## §. DCCXXXIV.

Exfulare  
debet co-  
ctio.

Vis praesupponit: *impetum maioris rei, qui repelli nequit.* Metus est: *instantis vel futuri periculi causa mentis trepidatio.* Sed licet inter se differant vis & metus, tamen quod *vi atroci* fit, id etiam *metu* fieri dicitur. Hinc recte iura canonica intulerunt: 7) vt vis ab illo adhibita, cui nullum ius cogendi est, sit *iniusta*, & metu gesta, *ipso iure nulla.* *n*) Hinc sequitur: 8) vt *matrimonium coactum*, nullum sit pronuntiandum: *o*) 9) vt nec *parentes* liberos ad matrimonia *cogere* possint, (§. DCCXVI. 7.) *p*) quum potius *10) sequestrum* liberorum contra vim imminentem decerni soleat: (§. DCCXIX. §.) *q*)

11)

- 
- k*) c. 1. sequ. C. 30. q. 5. c. 12. C. 13. q. 2.
  - l*) concil. Trident. Sess. XXIV. c. 1.
  - m*) c. 7. X. de sponsal.
  - n*) GVNDLING de efficiet. metus. c. 4.
  - o*) c. 14. X. de sponsal.
  - p*) c. 6. 13. 14. & 21. X. de sponsal.
  - q*) COCCELIUS diff. de sequestro femin. c. 2.

11) vt proinde nemo *obtorto collo* ad copulam rapiendus sit, r) nisi in casibus supra memoratis: (§. DCCXVIII. 13.  $\alpha$  &  $\beta$ ) 12) vt tamen coactio *directo* ad matrimonium ineundum tendere debeat, cum *indirecta coactio* (§. DCCXVI. \*) arbitrium liberum relinquat: 13) vt metus etiam *a tertio* incussus nullum reddat matrimonium: s) 14) vt tamen is saltem metus momentum faciat, qui est *iustus*: t) 15) vt proinde huc non pertineat metus *reuerentialis*: u) 16) vt nec attendi debeat metus *purgatus*: x) nec 17) vbi factio illicito quis *causam dedit coactioni*. (§. DCCXIX. § seq.)

## §. DCCXXXV.

Quum deinde & *dolo* carere debeat con- Et dolus.  
sensus, (§. DCCXXXIII. 6.) ad dolum vero  
quaeuis *calliditas, fallacia, machinatio, ad circumueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita* referenda sit; y) porro consequitur: 18) vt *dolo* circumuentus non tam consenserit, quam *deceptus* fuerit, adeoque  
19) dolus, ratione *decepti*, matrimonium

F f §

nul.

r) c. 17. X. de sponsal. add. c. 10. &amp; 22. eod.

s) conf. c. 11. X. de despons. impub.

t) c. 6. 15. &amp; 28. X. de sponsal.

u) c. 11. X. de desponsat. impub.

x) c. 2. X. de eo, qui dux. in matrim. c. 28. X. de sponsal. c. 4. X. qui matrim. accus.

y) L. 1. §. 2. ff. de dolo malo.

Quatenus  
officiat er-  
ror?

Furor?

nullum reddat: \* z) (§ DCCXIX. 1) nec mi-  
nus ex necessitate consensus eliciunt, 20) *er-  
rorem* eatenus vitare matrimonium, ut er-  
rans ab eo resilire possit: dummodo 21) er-  
ror contigerit circa *substantialia*, quum *acci-  
dentialia* nullam considerationem merean-  
tur. \*\* a) Tandem recte inde inferunt: 22)  
ut *furor* impediat nuptias futuras; b) & 23)  
ut *nudus concubitus* matrimonium haud  
efficiat. c)

\* Non ratione *decipientis*, quod discrimen non  
fatis perpendit Innocentius III. in c. 26, X,  
*de sponsal.*

\*\* Ita plerumque in erroris materia Iureconsulti  
versantur. Nec omni verisimilitudine desti-  
tuta est eorum adsertio. Omnis enim contra-  
ctus desiderat *consensum*: consensus non ad-  
est, ubi deest cognitio obiectorum, super qui-  
bus contrahimus. Nulla vero pactio citra cer-  
tum obiectum & reciprocam voluntatem va-  
lida est. Sic, ubi erro, non volo id, super quo  
contraho, sed volo aliud: qui aliud vult, cum  
compaciscente non consentit: qui non con-  
sentit, non paciscitur; qui non paciscitur, nul-  
lum ius nec obligationem consequitur, quae  
alias ex conventionione oritur. Haecenus omnia  
sunt plana. Sed nunc quaeritur: quis da-  
mnum fere debeat, ubi erratum est? Non er-  
ranti nihil potest imputari; illi vero, qui er-  
rauit, aliquid imputari potest. Adest sane in  
errore *culpa voluntaria*: omnis culpa *quasi de-  
lictum* constituit: culpa voluntaria tollere con-

z) STRYK *de dissens sponsalit.* Sect. II. § 9. sequ.

a) CORVINUS *instit. iur. can.* L. II. tit. 13. §. 23. sequ.

b) c. 14. X. *de sponsal.*

c) CIRONIUS *ad tit. X. de sponsal.*

consensum non videtur. In omni enim commissione & omissione obligatio adest, ut ille, qui nihil omisit aut commisit, indemnis seruetur. Compendiosiori via hoc ipsum fieri nequit, quam observatione & adimplerione contractus. Hoc ipsum in matrimonii materia eo magis obtinere debet, quod damnum, non erranti per errorem alterius illatum, per *aequivalens* sarciri vix possit. Si rationes subductae errantem ab obligatione liberare possent, etiam id praestare deberent, ubi in accidentalibus erratum fuit. Verum cum hoc doctores non concedant, quo quaeso iure resiliendi facultatem largiuntur, ubi circa substantialia erratum? Utrobique *culpa errantis* adest. Proinde recte statuo: *errorem imputari erranti*, nisi ubi *dolo* alterius contrahentis ad errorem adductus fuerit. Hoc eo lubentius facio, quod distinctio inter substantialia & accidentalia, adeo aequiuoca sit, ut certae decisiones inde formari nequeant. conf. *Gundlingian. P. XXXIII. art. I.*

### §. DCCXXXVI.

Quumque ulterius cum legali dispositione obseruanda sint praecepta ecclesiae, (§. DCCXXX.4.) vides, 1) cur matrimonium in quacunque *cognitione* (§. DCCXXXIX. sq.) contrahi nequeat, nisi 2) accedat superioris *dispensatio*; d) quae vero 3) contra *fidei articulos & statum ecclesiae generalem* largiri non debet: e) 4) cur *iustitia publicae honestatis* (§. DCCXX.) matrimonia impediatur: 5) cur *votum castitatis* nuptiis impedimento sit, ita tamen

Impedi-  
menta quae-  
dam nu-  
ptiarum.

d) CORVINUS *instit. iur. can. L. II. tit. 13. §. 73.*

e) IDEM *ibid. §. 74.*

tamen, vt & hic distinctio inter solemne & minus solemne votum (§. CCCXCVIII.) obtineat, quum illud contractum etiam matrimonium dirimat; hoc contrahendum saltem impediatur: f) 6) cur etiam *ordo* nuptias non solum respuat, verum etiam contractas dissoluat: (§. CCXIII. seq.) g) 7) cur, qui se *adulterio* polluerunt, copulari nequeant; vbi scilicet α) adulterium coniunctum fuit cum *machinatione in mortem prioris* coniugis; \* aut β) adulteri *viuente legitima coniuge* sibi *fidem de matrimonio* dederunt. b)

\* Si coniuges se inuicem occiderint, iniunxerunt superstiti in poenam, vt *caelibatum* viueret, quae poena etiam in aliis caussis, maxime vbi contra leges matrimonii peccatum fuit, iniuncta fuit. Verum haec poena fluxit ex *statu poenitentium* antiquo, nec *continentia perpetua* principaliter & per se in poenam excogitata aut imposita fuit. Quum vero crimina quaedam *perpetua* plecterentur *poenitentia*, per necessarium consequens etiam *caelibatus perpetuus* tunc obtinuit. Ex quo vero post sec. XII. status poenitentiae plane mutatus fuit, etiam haec caelibatus poena amplius obtinere nequit. conf. LVDOVICI *dissert. de caelib. poenae nomine imposito.*

### §. DCCXXXVII.

Ex eodem discimus porro: 8) cur *matrimonia*, quibus alias nullus defectus obstat, con-

Vltior  
impedi-  
mentorum  
deductio.

f) CORVINVS *cit. l. §. 80. & 104. tit. X. qui cler. vel fouent.*

g) IDEM *ibid. §. 81. & cit. tit. X. qui cler.*

b) C. 2. & 4. C. 31. q. 1. c. 1. X. *de conuers. infid. tit. X. de eo, qui dux. in matrim.*

contrahi nequeant *intra tempora clausa*, seu interdicta ab ecclesia, quae alias tempora *feriarum* dicuntur, quorsum referunt *α)* tempora *ieiuniorum & poenitentiarum* dicata, *ι)* *β)* tempus *quadragesimae*, *κ)* *γ)* spatium ab *aduentu domini* vsque ad octauam Epiphaniae: \* *9)* cur nuptiarum solemnitas etiam suspendi debeat, ubi iudex ecclesiasticus, aut parochus *consummationem interdicit*, forsitan quod lis de sponsalibus mota aut aliud impedimentum subsit, donec hoc ipsum cognitum & excussum, *λ)* quale quid *interdictum ecclesiae* in specie dici solet: *10)* cur matrimonium contra illud contractum *poenitentia* mulctetur; de reliquo vero, si nullum impedimentum subsit, valeat: *11)* cur quandoque, donec super impedimento cognitio instituta fuerit, matrimonium lite pendente & *dirimi possit*, & debeat. *μ)*

\* Ex dispositione concil. Trident. duo duntaxat *tempora clausa* sunt: *1)* ab *aduentu domini*, vsque *ad diem Epiphaniae*; *2)* a *feria quarta cinerum* vsque ad *octauam Paschatos* inclusivae. Concil. Trid. *Sess. XXIV. de reform. matrim. c. 10.*

### §. DCCXXXVIII.

Uterius exinde constat, *12)* cur nuptiae, Nuptiae solemnitati ecclesiasticis consummandae.  
ut non solum legitimae, sed etiam *ratae* sint, (§ DCC

*ι)* vid. c. 1. sequ. C. 33. q. 4.

*κ)* c. 8. sequ. C. 33. q. 4. c. 16. *de consecr. D. 5.*

*λ)* c. 1. sequ. X. *de matrim. contracti. contr. interd. eccl.*

*μ)* c. ult. X. *eod.*

(§. DCCXXVIII) solemnitate ecclesiastica seu hierologia mediante sint consummandae: \*n) 13) cur ad praecauenda clandestina atque illegitima matrimonia introducta sit *proclamatio publica*, quae nomine *banni* venit: o)\*\* 14) cur matrimonium, omissis solemnitatibus contractum, dicatur *clandestinum*: p) 15) cur tamen *copulatio clandestina*, a sacerdote facta, *legitimum* faciat matrimonium: q) 16) cur ipsi *Principes* ad haec solemnia obligentur: (§. VII. 2.) 17) cur matrimonia *conscientiae* sint coniugia illegitima, irrita, nulla: r) 18) cur tamen *matrimonium ad morganaticam* ratum sit coniugium.

\* Facit quidem *consensus* nuptias; sed in statu civili *publica* simul *declaratio* desideratur. Hinc etiam primaeui Christiani sese composuerunt ad ritus receptos, quatenus a superstitione alieni erant. Paullatim introducebant *solemnia ecclesiastica*, verum, iis etiam omissis, *legitimum* aderat matrimonium. Ex quo vero solemnia ecclesiastica robur acceperunt per leges, distinctio orta est, inter matrimonium *ratum* & *legitimum*. (§. DCCXXVIII.) Sed *arbitrarium* est, quibus modis consensus matrimonialis declaretur, licet pro *necessitate* hierologiae multi Protestantium non aliter pugnent, ac si illa *iuris diuini* esset. Fateor, *benedictiones* adhibuisse christianos, quae tamen

n) c. 1. & 5. C. 30. qu. 5. c. 2. & 3. X. de desponsat. impub.

o) c. 27. X. de sponsal.

p) c. 2. & 3. X. de clandestin desponsat.

q) c. 2. X. eod.

r) conf. WILLENBERG de matrimon. conscient.



men non praecise a Presbyteris impertitae fuerunt. Tandem vero vsus *benedictionis sacerdotalis* legibus publicis praescriptus & in praxin deductus fuit, citius tamen in occidente, quam in oriente. Ibi enim benedictio iam sec. VIII. cognita; hic sec. IX. demum introducta, vbique tamen mox ita propugnata fuit, vt etiam *seruorum contubernia*, benedictione tali destituta, inter scortationes relata fuerint, vid. Illustr BOEHMER *iur eccl. Prot. L. IV. tit. 3. § 25. sequ.* GVNDLINGIAN. P. X. art 3. Tandem benedictio nubentium inter *parochiales* actus relata. (§. CCCCLXII. 6.) Inde variae liturgiae nuptiales ortae.

\*\* Sunt *citationes edictales*, adeoque & fiunt 1) *trina vice* & quidem 2) per *trina interualla*, ita, vt haec legitimum citationis spatium absoluant: denique 3) *loco competente*. Habent itaque effectum *peremptoriae citationis*, nec post hierologiam admittendus contradictor vllus, nisi qui ob interesse publicum matrimonium impugnare velit. (§. DCCXXXI. 10.) Omissa vero proclamatio matrimonium, hierologia confirmatum, non irritat, licet ommittentes eam *aliis poenis* subiaceant. Quandoque *dispensatio*, quoad proclamationem, conceditur. conf. I. F. BORN *de bannis nuptialibus*.

### §. DCCXXXIX.

Quum vero in cognatione quacunque nuptiae contrahi nequeant, (§. DCCXXXVI. 1.) notari debet, 19) triplicem esse cognationem: *spiritualem, carnalem, legalem*. Est vero spiritualis cognatio: *propinquitas seu coniunctio personarum, ex baptismo*, (§. DCXXXIX. 4.) *confirmatione* (§. DCXLVII. 6.)

Impedimenta ex cognatione.

Quid spiritualis cognatio?

Et con-

*Et confessione auriculari proueniens.\* s)* De hac obseruandum: *α)* cognationem ex baptismo & confirmatione resultantem olim in *compaternitatem, paternitatem & fraternitatem* distinctam fuisse; *τ)* *β)* ex recentiori dispositione saltem contrahi inter *baptizantem, baptizatum, patrem & matrem* illius ex vna, & inter *suscipientem* ex altera parte; nec non *γ)* inter *confirmantem, confirmatum, illum patrem & matrem, ac tenentem: u)* *δ)* neminem *proprios liberos* e baptismo suscipere posse; *κ)* (§ DCXXXIX. \*\*\*) *ε)* cum *poenitentiarum filia* rem habentem incestus reum fieri; *γ)* *ζ)* prohibere hanc cognationem matrimonium contrahendum, & *dirimere contractum. z)*

\* Sola ecclesiae & canonum auctoritate hanc cognationem introductam esse, nec peritiores inter Pontificios diffitentur. vid. FLORENS *Opp. Tom. II, pag. 127. Fratrum* quidem appellatio inter primaeuos Christianos vsitatissima, inusitata vero *Patrum & filiorum* fuit. Mox vero *matris* nomen *ecclesiae* inditum, & *Patris* appellatio deinde Episcopis & Presbyteris adsignata fuit. Haec vero impropria cognatio matrimoniis nullo impedimento fuit. Luxurians demum doctorum ecclesiae

s) c. 1. de cognat. spirit. in 6. c. 8. sequ. C. 30. q. 2.

τ) c. 1. sequ. C. 30. q. 4. c. 1. de cognat. spirit. in 6.

u) Concil. Trident. Sess. XXIV. de reform. matrim. c. 2.

κ) c. 2. & 6. C. 30. q. 1.

γ) c. 8. sequ. C. 30. qu. 2.

z) c. 1. & 6. de cognat. spirit. in 6. c. 1. C. 30. qu. 1.

c. 3. C. 30. qu. 4. c. 17. C. 33. qu. 2.

fiac doctrina talem excogitavit spiritualem cognationem, quae nuptias impediret. conf. B. G. ARNOLDI *cognat. spirit. & fratern. nomin. hist.*

## §. DCCXL.

Carnalem cognationem (§. DCCXXXIX) Quid carnalis? dicunt: *propinquitatem, ex sanguinis propagatione ortam, aut per nuptias effectam*: adeoque illam in *consanguinitatem & adfinitatem* diuidunt. Consanguinitatem vero definiunt, Quid consanguinitas? quod sit: *vinculum personarum, ab eodem stipe descendentium, vel ascendentium, carnali propagatione contractum.* a) Adfinitatem vero Quid adfinitas? ita circumscribunt, quod sit: *personarum necessitudo, ex coitu proueniens.* b) Denique legalis cognatio (§. DCCXXXIX.) est: *personarum proximitas, ex adoptione vel arrogatione orta.* c) Quid cognatio legalis?

## §. DCCXLI.

Circa consanguinitatem vero considerari Quid stipes? debent: a) *stipes*, b) *linea*, c) *gradus*. *Stipes* dicitur: *persona, a qua aliae, de quarum cognatione quaeritur, descendunt.* Quid linea? *Linea* definitur: *collectio personarum, ab eodem stipite descendentium, diuersos continens gradus, & numeros distinguens.* *Gradus* denique describitur: *habitus distantium personarum, propinquitatis distantiam inter personas diuersas discernens.* d) Quid gradus?

G g

## §. DCCXLII.

a) CORVINVS *instit. iur. can.* L. II, tit. 13. §. 46.

b) IDEM *ibid* §. 61.

c) IDEM *ibid.* §. 75.

d) IDEM *ibid.* §. 48 50. & 53.

## §. DCCXLII.

Diuisioli-  
neae cum  
subdiuisio-  
nibus.

Linea diuiditur in *rectam* & *transuersam*.  
Recta est vel *superior*, parentum seu adscen-  
dentium; vel *inferior*, liberorum seu descen-  
dentium. Transuersa est vel *aequalis*,  
quando cognati aequaliter a stipite distant:  
vel *inaequalis*, quando ab eo distant inae-  
qualiter. e)

## §. DCCXLIII.

Regulae  
computa-  
tionum.

Quum itaque in cognatione nuptiae con-  
trahi nequeant, (§. DCCXXXVI. 1.) de co-  
gnatione carnali, per consanguinitatem con-  
tracta, 20) *regulas* quasdam *computationum*  
interpretes iuris canonici faciunt, scilicet,  
α) in linea recta: quot generationes numeran-  
tur, tot numerantur gradus; β) in linea trans-  
uersa aequali: quoto gradu unusquisque distat  
a stipite, eodem distant inter se; \* γ) in linea  
transuersa inaequali: quoto gradu remotior di-  
stat a stipite, eodem distant inter se. f) Prima  
regula est sana, & in ratione fundata; secun-  
da est falsa, absurdior vero tertia.

\* Olim etiam in doctrina de matrimonio ciuili  
obtinuit computatio. vid. c. 1. C. 25. qu. 2. Hunc  
computandi modum Graeci retinuerunt, li-  
cet pedetentim latius gradus prohibitos pro-  
pagarent. Latini vero computandi vias plane  
turbarunt. Noua methodus GREGORIO  
MAGNO adscribitur, licet hodierna compu-  
tandi ratio vix eum auctorem agnoscat. Si  
coniectura adsequi quid possum, GREGO-  
RIVS

e) c. 1. & 2. C. 35. qu. 5.

f) CORVINVS *institut. iur. can.* L. II. tit. 13. §. 55.  
56. & 57.

RIVS ordinem computandi civilem non satis intellexit, & nonnullos sequutus est, qui omisso stipite computationem a fratribus inciperent, quod hi essent *truncus*. Inde consobrinos in gradu secundo locavit, quem etiam, hac admissa computatione, iuxta ius civile obtinent. Prohibitionem verò nuptiarum *ultra consobrinos* non extendit. Forfan vero alii in dubium postea vocabant, verum in *fratribus truncus* esset quaerendus? Conuenientius reputantes, si in *patre* constitueretur. Hoc vero adsumto principio, quaerere coeperunt, qua ratione GREGORIVS consobrinos in *gradum secundum* locare potuerit, qui inspecta civili computandi ratione *quarto* a se *gradu* distarent. Hinc putabant, GREGORIVM diuersam a civili computationem excogitasse, *utrumque latus simul computasse*, & id tantum inquisiuisse: *quousque uterque contrahentium distaret a communi stipite?* Hocposito, rursus & noua ratione in *secundo gradu* sunt consobrini. Haec computandi ratio iam obtinuit *sec. VIII.* & ex spuria quadam, GREGORIO adscripta, epistola propugnata fuit, vbi simul docuerunt, prohibitionem nuptiarum terminari *generatione quarta*: quamuis quidam eam ad *septimum gradum* exclusiue seu *sextum* inclusiue extenderent. Varia vero absurda haec computandi ratio continet. Nam 1) supponit, quod duo fratres *vnam generationem* constituant, & sic vnus saltem ex illis nasceretur gradus, quum tamen sensus communis doceat, fratres *vna generatione* non nasci, sed si inter se considerantur, *duplicem* adesse *generationem*: saltem in fratrum liberis *duas generationes* diuersas deprehendi, cum duo diuersi sint generantes: 2) vbi in linea collateralis gradu inaequali vter-

que a communi stipite distat, iuxta hanc computandi rationem, nescio, *quoto gradu* proximior a stipite distet. Nihilominus iussu DAMIANI anno MLXV. ALEXANDER II. hanc computationem incongruam *legitimaui*, & pro lege ecclesiastica omnibus imposuit. vid. c. 2. C. 35. qu. 5. conf. III. BOEHMER *iur. eccl. Prot. L. IV. tit. 14. §. 2. sequ.* GVNDLINGIAN. P. XXVII. *art. 3.*

### §. DCCXLIV.

Quousque  
in consanguinitate  
nuptiae  
prohibitae?

Sic patres ecclesiae generalem fecerunt regulam, *non esse ducendam consanguineam*: \* g) & tunc 21) sollicitè inquisiuerunt: quousque *consanguinitas* se extendat? Quum vero deprehenderent, successionem porrigi ad gradum septimum, inde putarunt: *septimo gradu* finiri propinquitatem: b) abhinc 22) ad computationem canonicam hoc ipsum adplicarunt, & iuxta illam septimum gradum prohibitum esse docuerunt: i) quum vero inter *adscendentes* & *descendentes* propinquitatis perpetua adsit, inde 23) hic nuptias in *infinitum* prohibuerunt: k) in linea vero transuersa olim ad *septimum*; hodie vero 24) vsque ad *quartum gradum* inclusiue. l)

\* Hanc regulam desumebant ex *Leuit. XVIII. 6.* conf. SELDENVS *de iur. nat. & gent. L. V. c. 2.*

### §. DCCXLV.

g) c. vn. C. 35. qu. 5. c. 18. C. 33. qu. 2. & 3.

b) III. BOEHMER *iur. eccl. Prot. L. IV. tit. 14. §. 22. sequ.*

i) GVNDLINGIAN. P. XXVII. *art. 3. §. 19.*

k) c. 18. C. 35. qu. 1. & 3.

l) c. 8. X. *de consang. & adfin.*

## §. DCCXLV.

Quum vero carnalis cognatio etiam per nuptias oriatur, & adfinitas ex coitu proveniat, \* (§. DCCXL.) sequitur: 25) vt coitus & licitus & illicitus adfinitatem pariat; m) 25) vt adfinitas vel legitima vel illegitima sit: n) 27) vt illegitima quidem, quoad impedimentum matrimonii, non vero quoad alios effectus attendi solet: \*\* o) 28) vt proinde saltem inter uxorem & mariti consanguineos, vt & inter maritum & uxoris consanguineos oriatur, nec 29) extendatur ad adfines personae coniunctae: \*\*\* p) 30) vt coniugum consanguinei inter se, nullo adfinitatis vinculo ligati sint: q) 31) vt gradus eodem modo computentur, quo gradus consanguinitatis, r) adeoque 32) inter adfines adscendentes & descendentes in infinitum nuptiae sint prohibitae: (§. DCC XLIV. 23.) s) sed 33) in linea transuersa vsque ad quartum gradum inclusivae. (§. DCC XLIV. 24.)

Quomodo  
adfinitas  
contrahatur?

\* Si recte rem consideras, adfinitas nihil aliud est, quam consanguinitas *infititia*, seu consanguinitas *per nuptias effecta*.

\*\* Deinde adfinitas quaedam nuptias praecedit: quaedam contractas subsequitur. Illa potest

G g 3

esse

m) c. c. 6. X. de eo, qui cogn. consangu. vxor.

n) c. 24. X. de testibus.

o) c. 6. & 10. X. de eo, qui cogn. consangu. vxor.

p) c. 8. X. de consangu. & adfinit.

q) c. 5. X. eod.

r) c. pen. & ult. X. eod.

s) c. 1. X. eod.

esse vel *legitima* vel *illegitima*: haec semper est *illegitima*, & dicitur *superueniens*. vid. tit. X. de eo, qui cogn. consangu. vxor. Vbi *superueniens* post sponsalium celebrationem exurgit, tunc ea *nuptias impedit*. Sic *matrimonium* in tali adfinitate de facto contractum rursus est *diximendum* c. 7. X. de eo, qui cogn. consangu. vxor. conc. Frid. Sess. XXIV. de reform. matr. c. 4. Vbi vero post contractum iam *matrimonium* adfinitas superuenit, tunc, si coniuges ad continentiam observandam adduci nequeunt, nocens coniux in statum *poenitentiae* coniucitur, ita, vt debitum coniugale exigere non possit, innocenti tamen illud praestare teneatur. c. II. X. de eo, qui cogn. consangu. vxor.

\*\*\* Cum his tamen olim *secundum genus adfinitatis* contrahebatur. Tria enim genera *adfinitatis* constituebant. *Primum* inter vxorem & mariti consanguineos, & vice versa; *secundum* inter vxorem & mariti adfines primi generis, & vice versa; *tertium* inter vxorem & mariti adfines secundi generis, & vice versa. Sed Innocentius III. omnem in *secundo* & *tertio* genere adfinitatis sustulit prohibitionem, ita, vt etiam ius civile L. 15. ff. de Rit. Nupt. corrigeret in c. 8. X. de consanguin. & adfinit.

### §. DCCXLVI.

Quousque legalis cognatio nuptiis impedimento sit.

Quum deinceps etiam legalis cognatio attendi soleat; (§. DCCXL.) notari debet: 34) ius canonicum in hac doctrina ad ius civile prouocare, adeoque in iisdem casibus matrimonia prohibere, ita, vt 35) inter *adscendentes* & *descendentes*, tam durante, quam soluta adoptione, *matrimonium contrahere* pro-



prohibeat, contractum dissolui iubeat: *t*) e contra 36) inter *transuersales*, saltem durante adoptione, nuptias non permittat. *u*) Sic itaque 37) in linea recta prohibitae sunt nuptiae  $\alpha$ ) cum *filia* adoptiua;  $\beta$ ) cum *fili* adoptiui *uxore*;  $\gamma$ ) cum *patris* adoptiui *uxore*;  $\delta$ ) cum *patris* adoptiui *matre*;  $\epsilon$ ) cum *fili* adoptiui *filia*. 38) In linea vero collateralis  $\alpha$ ) cum adoptiuo *fratre* non emancipato;  $\beta$ ) cum *amita* adoptiua;  $\gamma$ ) cum *matertera*;  $\delta$ ) cum *fratris* adoptiui *filia*.

## §. DCCXLVII.

Quum vero tunc saltem in cognatione nuptiae contrahi nequeant, si superioris *dispensatio* non accesserit, haec vero contra *fi*. dei articulos & statum ecclesiae generalem impertiri non debeat, (§. DCCXXXVI. 2. & 3) videmus, 39) dispensationem hoc loco inuere: *relaxationem a legislatore, in casu quodam cognationis ideo factam, ut contra legis rigorem, personae certae coniugium inire possint, saluo ceteroquin legis laxatae vinculo*. Hinc notandum:  $\alpha$ ) nuptias in gradu prohibito contractas esse *iniustas*, & *liberos* inde natos eo usque *illegitimis* accensendos, donec per *dispensationem* lex prohibitiua laxata fuerit;  $\beta$ ) dispensationem hanc regulariter fieri non posse in gradibus *lege diuina* prohibi-

Quatenus circa gradus prohibitos dispensari possit.

*t*) c. 1. C. 30. qu. 3.

*u*) c. vn. X. de cognat. legal. c. 6. C. 3. qu. 3.

tis; x) γ) posse tamen impertiri in *quibusdam gradibus* ibi expressis; y) \* adeoque multo magis δ) in gradibus iure diuino *non expressis*, \*\* & ε) in *spirituali & legali* cognatione; ζ) fieri dispensationem in *casibus singularibus* obuenientibus, non vt in perpetuum in certo gradu matrimonium certa gens inire possit; \*\*\* η) dispensationem Pontificis regulariter saltem *effectus ecclesiasticos* producere, non *ciuiles*, z) nisi θ) dispensauerit in *radice matrimonii* irriti, vbi per indirectum dispensatio ad *effectus seculares* protenditur. a)

\* Legem de prohibitione graduum *nouam legem* fuisse, persuasissimum habeo, quum ante eam Abraham *sororem consanguineam* duxerit, *Gen. XX. 12.* Amram in matrimonio cum *amita* vixerit, *Exod. VI. 20.* Iacob *duas sorores* simul in matrimonio habuerit, *Gen. XXIX. 23. 28.* Verum quum Christiani se saltem Iudaeos reformatos crederent, simul rati sunt, & sibi legem de prohibitis gradibus dictam esse; maxime cum illa, etiam destructa republica Iudaica, obrinere potuerit. Hinc *dispensationem* contra gradus, in lege Mosaica prohibitos, vix admittendam esse: facilius vero concedendam *tolerantiam* matrimonii intra hos gradus bona fide contracti, si causae quaedam iu-

x) Leuit, XVIII. & XX.

y) conf. Conc. Trid. *Seff. XXIV. de matrim. c. 3*  
 SANCHEZ *de matrimon. L. VII c. 52.*

z) SANCHEZ *de matrimon. L. VIII. disp. 7. nr. 1.*

a) IDEM *ibid. nr. 4.*

iustae eam suadeant. Sed in varias sectas & Theologi & Icti hic abire solent.

\*\* Limites graduum prohibitorum noua ceramina producant. Patrum doctrinam vidimus; (§.DCCXLIV. seq.) aliorum doctrinam regustare nolo. Mihi ita mens sedet: Libertatem matrimonii ineundi *sine restrictione* indulgendam esse, quousque DEVS eam *expresse* non restrinxit. Hinc persistendum in *personis* a Mose designatis, *Graduum* vero & calium sub iis comprehensorum nullam rationem habendam esse. Nec me ferit obiectio, quam magni ponderis quidam arbitrantur: sic nepotem posse ducere auiam, auum vero neptem, cum hae personae a Mose enarratae haud fuerint; in quo argumento magnum pondus quaesivit B. BVDEVS Theol. Moral. P.II. c. 3. Sect. VI §. 12. in not. Nam omnino prohibitae sunt hae nuptiae *Leuit. XVIII. 7. 10.* cum *auus* etiam sit *pater*, & *auia* recte dicatur *mater*; quin quod *parentum* nomine omnes *adscendentes* veniant. Deinde *ratio* legis & *respectus*, qui in enarratis personis occurrit, in aliis non enarratis vix deprehenditur. In matrimonio enim, cum auunculo aut patruo celebrato, manet vxor in statu *subiectionis*, in quo antea fuit; at, vbi amita aut matertera dicitur, status subiectionis adest, cum tamen his personis *reuerentia* debeat. Sic a *paritate gradus* ad *idenditatem rationis* non procedit consequentia. (§. DCCLVI. 2.)

\*\*\* Dispensationes enim accfiones ingentes ad thesauros ecclesiae faciunt, quem in *finem* varia *tribunalia* adsunt, vbi dispensationum diplomata expediuntur. Ipsi vero cordatiores

Pontificii acriter in hanc indulgentiam & avaritiam inuehuntur. vid. CLAUD. ESPENCAEVS *Comment. ad Tit. c. 1. p. 478.*

§. DCCXLVIII.

Quatenus nuptiae legitimas liberos efficiant.

Quum denique rite contractae nuptiae varios *eff. etus civiles* producant: (§. DCCXXX.  $\zeta$ .) consequens est: 1) vt *liberi*, ex eo nati, sint *legitimi*, b) licet  $\alpha$ ) matrimonium fuerit, contractum inter eas personas, quae *iungi non potuerunt*, & postea matrimonium *annullatum*, dummodo ab initio *bona fide* & *solemniter* initum, quale matrimonium *putatiuum* dici solet; c) deinde  $\beta$ ) licet in gradu prohibito contractum, dummodo postea *dispensatio* superioris accesserit; (§. DCCXLVII.  $\alpha$ ) aut  $\gamma$ ) matrimonium ab initio *clandestinum*, postea vero a iudicio ecclesiastico *ratihabitus*, aut per partes *publicarum* fuerit: d) 2) vt etiam legitimi sint, qui per subsequens matrimonium *legitimantur*, puta, *spurii* cuiuscunque generis: e) licet 3) tempore natiuitatis nullae nuptiae inter parentes subsistere potuerint: \* 4) vt haec *legitimatio* etiam in *mortis articulo* fieri queat: f)  $\zeta$ ) vt liberi sequantur statum parentum,

b) c. 3. 5. 7. & 12. X. *qui filii sint legit.*

c) HERTIVS *de matrim. putatiuo.*

d) c. 1. & 9. X. *qui fil. sint legit.* c. 2. X. *de clandest. despons.*

e) c. 1. X. *qui fil. sint legit.*

f) COCCIVS *dissert. de matrim. moment.*

rentum, ita tamen, vt libertas *ex matre* aestimari debeat: g) 6) vt *disparagia* rata quidem & *indissolubilia* sint coniugia, non tamen omnes effectus *legitimi tori* producere possint: b) 7) vt coniuges simul habitent, & sibi inuicem *debitum conjugale* praestent: i) licet 8) haec debiti praestatio quandoque exigi nequeat: k) 9) vt *dos* valeat; l) & 10) vxor in *forum mariti* transeat. Porro inde sequitur: 11) vt *leges civiles* etiam nuptiis *impedimenta* ponere possint: m) 12) vt matrimonia *infidelium* saltem iuxta *leges provinciales* diiudicentur: (P II. § CCLXXXIX. 7.) vt tamen, 13) vbi fidem christianam receperint, licet in *gradibus* iure ecclesiastico *prohibitis* nuptias contraxerint, *legitimum* eorum sit matrimonium: n) vt denique 14) quaestio *legitimorum natalium*, vt pote ex validitate legitimi matrimonii dependens, in foro ecclesiastico discutienda sit. o)

\* Huc referunt 1) ex *adulterio* susceptos, 2) in *gradu prohibito* editos, 3) ex *Iudaeo & Christiana* aut vice versa procreatos, (P. II. §. CC XXXVIII. 9.) 4) ex coitu *seruili* dissentiente do-

g) c. vn. X. de nat. ex libero ventr.

b) conf. c. fin. X. de coniug. seru. c. 37. X. de praebend. THOMASII Iurist. Händel P. II. art. 3. P. III. art. 3.

i) c. 18. C. 33. qu. 5. c. 3. C. 30. qu. 1.

k) CORVINVS instit. iur. can. L. II. tit. 15. §. 6.

l) IDEM *ibid.* §. 11.

m) LAVNOIS de reg. in matrim. praest. P. I. CLEMENS MONILIANVS in compend. theol. instit. c. 63.

n) c. fin. X. qui fil. sint legit.

o) c. 5. & 7. X. eod.

domino peracto, 5) ex *inaequali* coniugio, 6) ex coitu cum *monacho* aut *moniali*, aut 7) cohabitatione cum *clericis* natos. Multi legitimationem his casibus exfulare contendunt, sed contraria opinio iuris canonici principiis magis congruit, licet largiri debeamus, non vndiquaque *omnes civiles effectus* his legitimationibus semper competere. (§. DCC XXXVIII. 6. & 7.) vid. III. BOEHMER iur. eccl. Protest. L. IV. tit. 17. §. 17. vsque 26. Huc etiam pertinet legitimatio *per rescriptum*, quae hodie illis limitibus, quibus iuxta ius Romanum continebatur, inclusa haur est. Sane *Pontifex* hanc facultatem sibi *plena manu* & illimitate vindicat c. 13. X. *qui fil. sint legit.* Sed quoad effectus *civiles legitimationi per subsequens matrimonium* per omnia non respondet.

## DE NVPTIIS IVXTA PROTESTANTIVM DOG- MATA.

### §. DCCXLIX.

Definitio  
nuptiarum  
ex mente  
Protestan-  
tium.

Protestantes in definitione nuptiarum a Pontificiis quidem dissentiunt; sed in conclusionibus nihilominus saepe cum illis faciunt, & sic ex principio: matrimonium esse *sacramentum*; variae reliquiae apud nos superfunt.\* Definiunt vero nuptias: *societatem maris & feminae indissolubilem, & diuinitus institutam, ad generationem prolis, & mutuam vitae adiutorium ineundam.* Conclusiones vero non solum ob iuris canonici dogmata retenta, sed & alia singularia adsumta, definitioni non vbiq; respondent.

Per

Per indicem saltem, quae in hac materia vulgo tradi solent, percurram.

\* Reliquias sacramenti in causis matrimonialibus quodammodo detexit I. S. STRYCK in *diff. de reliqu. sacram. in causis matrimonial.* Contra hunc calumum strinxit III. MICHAEL HEINRICH GRIBNER in *diff. de his, quae ex iur Prot. matrimon. ad reliqu. sacram. perperam referuntur.* Sed, quod pace viri Illustris dixerim, in hoc opusculo illam *ἀρετήν*, quam reliqua eius scripta spirant, non deprehendo, & facili negotio STRYCKIUS defendi, & *spicilegium reliquiarum* ab illo omissarum fieri potest. Quamdiu enim *de causa* quaestionum matrimonialium, uti plerumque fit, *ex iure canonico vnice depromimus*, reuera conclusiones varias, ex principio: *matrimonium esse sacramentum*, fluentes, fouemus & propugnamus.

§. DCCL.

Sic 1) protestantes nimium tribuunt *copulae carnali*: (§. DCCXXII. 5. & §. DCCXXXI. 1.) 2) cum pontificiis *sacrum & sanctum* dicunt matrimonium, & 3) *negotium ecclesiasticum* ex illo conficiunt: 4) valida pronuntiant coniugia consummata, citra *consensum parentum* contracta: 5) inter *seruos* legitimum matrimonium admittunt: 6) *polygamiam* reprobant: \* 7) matrimonia inter *diuersas* religiones christianas contracta illicita putant: p) 8) *indissolubile* vinculum in

Nonnulla  
confectaria  
ex princi-  
pio de sa-  
cramento  
matrimo-  
nii.

p) vid. scriptum: *Yang des edlen Lebens durch frembde Glaubens; Ehen*, cuius vero auctorem ex merito depexum dedit B. THOMASIVS in responsione illi opposita.

in matrimonio defendunt. \*\* (vid. §. DCCXXXI, 3. vsque 9.)

\* Quantis animi motibus hoc de *prohibita polygamia* dogma ventilari solet, docet controversia, quae cum doctissimo Iuriconsulto Gedanensi, Domino WILLENBERGIO & Theologis Gedanensibus non solum, sed & aliis vndique locorum intercessit, vbi aduersarii etiam tribunal Petricouientē excitarunt, quo scripta WILLENBERGII per carnificem rogo committerentur. Refragari polygamiam *regulis virtutis*, & non satis conuenire *praeceptis honestatis*, facile largior: eam vero cum *iustitia* pugnare, nondum sum persuasus, neque scrupulum exemerunt, quae WILLENBERGII aduersarii proposuerunt, quum eorum argumenta vel praecepta *iusti & honesti* inter se confundant, vel *id, quod est in principio*, adhuc perant.

\*\* Indissolubilitatem quidem ex ipso sacro codice probare volunt, prouocantes ad *Matth. XIX. 3. sequ. Marc. X. 2. sequ. & alia loca*: quae vero materia titulo iëquenti enucleanda est. (§. DCCLXVI. sq.)

### §. DCCLI.

Singularis  
doctrina de  
habilitate  
personarum.

Habilitatem personarum matrimonia inuentium definitio quidem (§. DCCXLIX.) exigit; sed nihilominus 1) nuptias *eunuchorum* q) contra pontificiorum doctrinam (§. DCCXXXII. α) admittunt, sed 2) rursus cum pontificiis, *vbi furor vel contagiosus morbus* constante matrimonio oriur,

q) vid. HIERON. DELPHINVS *de coniug. eunuch.*  
THOMASII Iur. Händel P. II. art. 8.



tur, faciunt: (§. DCCXXXII. ε) r) & hinc 3) matrimonia *senum*, & 4) *iuuenis cum vetula* (§. DCCXXXII. ζ. & 6.) propugnant.

## §. DCCLII.

Desponsatos deinde 5) *oborto collo* ad hierologiam rapiendos esse, vbi pura sunt sponsalia, contendunt: (§. DCCXXII. 3. & §. DCCXXIV. 11.) 6) caelibatum per se in *poenam* imponunt, ob auctoritatem Lutheri, 7) qua in re pontificii magis prouidi sunt, vt. pote talem poenam pro consequente necessario poenitentiae perpetuae reputantes, (§. DCCXXXVI. \*) quam tamen nostrates non adgnosunt: 7) *tempora clausa* (§. DCCXXXVII. 8.) nimis religiose, & quandoque superstitiose, obseruant, quae tamen, vt *res indifferens*, retineri possunt: 8) Matrimonia, contra *interdicta ecclesiae*, (§. DCCXXXVII. 9.) mediante hierologia consummata, valida pronuntiant, (§. DCCXXXVII. 10.) quae tamen nulla dicenda forent: 9) multi pro *necessitate hierologiae* pugnant, (§. DCCXXXVIII. 12.) immo eam iuris diuini esse arguunt, (§. DCCXXXVIII. \*) quae tamen ritus indifferens est: 10) omne matrimonium, vbi *benedictio* sacerdotalis deficit, *clandestinum* dicunt, (§. DCCXXXVIII. 14.) non perpendentes, quid *Principi* circa hunc ritum

In coactione ad matrimonium.

In iniungendo caelibatu.

In temporibus clausis.

Propugn. matrim. contr. interd. eccl. contract.

Hierologiam absol. necess. dic.

li-

r) THOMASIVS *cit. loc.* P. III. art. 16.

ε) LUTHERVS *Tom. VI. Vitemberg. fol. 261.*

ζ) III. BOEHMER *istr. eccl. Prot. L. IV, tit. 4. §. 3.*

liceat: 11) *clandestinis copulationibus* (§. DCCXXXVIII. 15.) plus iusto fauent: 12) ipsos *Principes* huic sollempnitati ecclesiasticae subiiciunt; (§. DCCXXXVIII. 16.) quum tamen *ratio status* potius, quam *necessitas* eam exigat: 13) matrimonium ad *morganaticam* (§. DCCXXXVIII. 18.) saepius *legitimum coniugium* arbitrantur, quod tamen parum a *conculinatu* distat: 14) *proclamationes* (§. DCCXXXVIII. 13.) necessarias putant, & tamen *hierologiam* illis omiſſis non irritari, cum pontificiis contendunt. (§. DCCXXXVIII. \*\*) u)

### §. DCCLIII.

Doctrina  
Protestan-  
tium de co-  
gnatione  
ratione  
confanguin-  
nitatis.

In cognatione vero (§. DCCXXXIX. seq.) recte 1) tantum *carnalem*; quodammodo saltem *legalem*, matrimonio obſtare, docent: licet 2) olim etiam pro *ſpirituale* quidam pugnaverint: x) ſed 3) quoad *graduum computationem*, quum olim Theologi quidam y) pro iuris canonici rationibus ſteterint, (§. DCCXLI. ſequ.) in fora Protestantium *canonica computatio* penetrauit: z) aſt ratione  
*pro-*

u) GONZALEZ TELLEZ *ad c. 3. X. de clandest. deſponſat.*

x) LAVTERBACH *Colleg. theor. pract. tit. de R. N. §. 52.*

y) CHEMNITIVS *loc. theol. P. III. tit. de coniug. p.*

537. GERHARD *loc. theol. tit. de coniug. §. 255.*

TARNOVIVS *de coniug. Lib. I. c. 52.*

z) CARPZOV *iurispr. conſiſt. L. II. d. 75.* SCHILTER *inſtitut. iur. can. L. II. tit. 10. §. 28.*

*prohibitionis graduum* (§. DCCXLIV. 4) inter adscendentes & descendentes matrimonia *in totum*; in collateralis vero linea §) saltem ad *tertium gradum*, prohibere nuptias solent: immo alicubi *tertium gradum lineae aequalis* permittunt, & saltem in *inaequali linea* illum prohibent. a)

## §. DCCLIV.

Ratione cognationis in *adfinitate* (§. DCC XLV.) eadem quidem obtinere solent, quae <sup>Cognatio</sup> <sup>ratione ad-</sup> <sup>finitatis.</sup> in *consanguinitate*; sed obseruari nihilominus debet, 1) *tantam* his non esse *prohibitionem*, ac inter consanguineos cum a) *ratione poenae*, β) *dispensationis*, γ) *prohibitionis*, saepius diuersitas occurrat: b) 2) *secundum genus* (§. DCCXLV. \*\*\*) tunc attendi, quoties *respectus parentelae* subest; licet in iure diuino nulla prohibitio de hoc secundo adfinitatis genere occurrat: c) 3) ob adfinitatem nuptias *antecedentem* (§. DCC XLV. \*\*) respici: vtrum gradus *dispensationem* admittat, necne? Priori casu ea mediante nuptias permittunt, non posteriori: 4) in adfinitate, *ante nuptias contracta*, nuptiis tamen nihilominus *sequitis*, (§. DCC XLV. \*\*) tunc demum ex quorundam sententia

a) CARPZOV *cit.* l. II. d. 79. HAVEMANN *Gamol.* L. II. *cit.* §. *pos.* 13. n. 2.

b) CARPZOV *cit.* l. d. 94.

c) SPENER *theol. Bedencken Vol. vlt. P. II. Sect. 8. c. 4. p. 170. sequ.*

tentia subsistere matrimonium, si gradus *dispensabilis*; d) ex aliorum vero sententia *indistincte* valere: e) ζ) in adfinitate *matrimonium* contractum *superueniente* (§. DCC XLV. \*\*) nuptias *non dirimi*, & sic etism debiti coniugalis praestationem continuari. f)

## §. DCCLV.

Cognatio  
legalis.

Cognatio *legalis* (§. DCCXLVI.) rarior in nostris est foris, & si occurrit, impedimentum *ciuile* duntaxat adfert, adeoque tam in recta, quam transuersali linea, mediante *dispensatione* Principis, (§. DCCLVI.) facile tollitur: g) vt vero *legalis* dici queat *cognatio*, requiritur *adoptio perfecta*, qualis non est, α) vbi quis priuatim puerum aut puellam *alendi causa* suscepit; aut β) *imperfecta adoptio* adest, qualis in *vnione prolium* occurrit, quales compriuigni *citra dispensationem* matrimonium inire possunt. b)

## §. DCCLVI.

De dispensatione in gradibus prohibitis.

Quoad dispensationem (§. DCCXLVII.)  
1) *Principes* protestantes recte censent, se in gradibus *iure diuino* prohibitis dispensare haud posse: (§. DCCXLVII. \*) vbi vero  
2) gradus in *iure diuino* *expressè* non continetur,

d) STRYK *de dissensu sponsalis*. Sect. V. §. 20.

e) CARPZOV *cit. loc. def.* 99.

f) IDEM p. IV. *Constit.* 23. *def.* 3.

g) STRYK *ad Brunnem. ius. eccles.* L. II. c. 16. §. 19.

b) CARPZOV *iurispr. consist.* L. II. d. 105.

netur, (§. DCCXLVII. \*\*) iuste *dispensant*; adeoque 3) multo magis laxant *leges mere ecclesiasticas* aut *ciuiles*, ita vt 4) dispensatione facta, minister ecclesiae *hierologiam* desponsatis *denegare* nequeat: i) §) *Pontificis Romani dispensationes* matrimonium intuitu protestantium ratum quidem facere, sed *non legitimum*.

## §. DCCLVII.

*Disparagia* quod concernit, (§. DCC XLVIII. 6.) ea nec vndiquaque inter prote. <sup>De disparagiis.</sup> stantes effectum *legitimorum conjugiorum* sortiuntur, nisi vxor ad *gradum nobilitatis* euehatur; quod vel *praxis capitulorum* ostendit. Denique sicuti *Pontifex*, quoad effectus ecclesiasticos, legitimare *per rescriptum* potest; (§. DCCXLVIII. \*) ita etiam *Principes*, quoad quosdam *ciuiles effectus*, *legitimationem* concedunt; quin quod protestantium *Principum legitimitio* etiam *ecclesiasticos effectus* producere soleat. Omnis vero per rescriptum legitimitio illi, quae fit per subsequens matrimonium, per omnia non respondet. (§. DCCXLVIII. \* in fin.)

## §. DCCLVIII.

Tota materia meo iudicio breuiori & distinctiori ratione tradi posset, dummodo

H h 2

ob-

\*) conf. de hac materia I E GERHARD *de dispensat.* G. ASTRUC *de dispensat.* S. G. HOFFMEISTER *de iur. dispens.* A GOETSCHKE *de dispens. in matrim. contr. ius diu.* THOMASIVS *cit. loc. P. II. art. 8.* III. BOEMMER *de iur. dispens. in caus. sacr. & prof.*

obseruemus: I. Matrimonium *negotiiu civi-  
libus* esse adnumerandum: k) II. *Magistra-  
rum* requisita & criteria *legitimi matrimonii*  
determinare posse. III. *Causas* & contro-  
uertas matrimoniales iuxta praecepta *phi-  
losofiae moralis* & *iurisprudenciae naturalis*  
potissimum esse decidendas; ita tamen, vt  
IV. etiam *reuelatio*, quatenus illa non con-  
tinet rationes iudaicae reipublicae proprias,  
merito in subsidium vocari possit.

## TIT. XV.

DE DIVORTIIS  
EX SENTENTIA IVRIS CANO-  
NICI.

## §. DCCLIX.

Connexio.

**V**idimus modum *contrahendi nuptias*, &  
causas, propter quas rursus *annullari*  
possint, licet vel mera ecclesiastica impedi-  
menta subsint. (§. DCCXXXIX. §.) Vis  
itaque *caussis nullitatis*, videamus, qua ratio-  
ne ob *iustam causam superuenientem* per *di-  
uortium* separatio locum habeat.

## §. DCCLX.

Definitio.

Diuortium vero dicitur: *separatio ma-  
trimonii rite contracti, a iudice competente, le-  
gitime facta.*

## §. DCCLXI.

Diuisio.

Duplex esse diuortium docent, Canoni-  
stae: I. Quoad *torum*, vbi mutua coniugum

co-

---

k) CONF. LAVNOIVS *de reg. in matrim. potest.*

cohabitatio, vel ad tempus, vel nulla temporis habitatione, interdicitur, l) quale quid regulariter decernunt: II. Quoad *vinculum*, quum matrimonium quoad substantiam in perpetuum rescinditur. \* m)

\* Nata est haec diuisio ex doctrina AVGVSTI-

NI<sup>†</sup> Olim diuortio facto saltem *consilium* dabant patres, ne, viuente vxore dimissa, alia duceretur. Ipse AVGVSTINVS adgnouit, *iure fori* haec matrimonia permissa esse, sed reputari adulterina *iure coeli*. *Homil. L. 50.*

*Hom. 49.* Ita ex hypothese de *sacramento* matrimonii intulit. Cum vero videret sibi ob stare verba Christi *Matth. V. 32. XIX. 9.*

*sophistice* ea interpretatus est & denique inter diuortium totale & quoad *torum* distinxit.

Vniuersus denique orbis Augustinianus fa-

ctus est, & nouum pondus huic doctrinae ad-

didit concil. Trid. *Sess. XXIV. cau. 7. remota vinculum*

*somea anathemate: sed hoc non fuit additum doct. Thomae: ad*

§. DCCLXII.

Inde fluunt axiomata: I. Separatio con-

iugum potest saltem fieri a iudice competente: II. Ex iustis causis: III. Dissolutio totalis vinculi refragatur indissolubilitati matrimonii.

### §. DCCLXIII.

Quum itaque separatio coniugum fieri

debeat a *iudice competente*, (§. DCCLXII. 1.)

matrimonium vero inter *sacramenta* referatur, (§. DCCVIII.) sequitur: 1) vt compe-

tens iudex hic sit *ecclesiasticus*, licet 2) *quae-*

*stiones* ciuiles, ratione alimentationis & se-

Diuortium  
decernit  
iudex eccle-  
siasticus.

Hh 3

pa-

l) c. 2. C. 32. qu. 1.

m) c. 5. C. 33. qu. 2.

parationis bonorum *incidant*: \* 3) vt sine *auctoritate iudiciali & sententia* coniuges diuortium facere nequeant, n) & 4) *diuertentes* per actionem ad matrimonium colendum *compelli* possint: o) 5) vt tamen propter *saevitiam* diuertens coniux, praestita demum *cautione* de securitate, restituatur: p) aut 6) si cautio vix sufficiat, interim in *sequestrum* sumatur. q)

\* In Francia vero vel propter has incidentes causas, diuortia iudicibus secularibus vindicant. HERICOVRT *des loix eccles. dans leurs ordre natur. pag. 427.* Sed hic vestigia iuris antiqui deprehendo, cum olim *iudices seculares* in omnibus matrimonialibus causis ius dixerint. vid. LAVNOIVS *de reg. in matrim. potest.* Licet quandoque ex *conscientia*, id est, approbatione sacerdotali, diuortia decreuerint. HINC MARVS *Opp. Tom. I. p. 589.* Mirum, quod protestantes legniores fuerint Gallis in reducenda auctoritate civilium iudiciorum.

#### §. DCCLXIV.

Causae separationis iustae.

Quum deinde separatio fieri debeat ex *iustis causis*, (§. DCCLXII, 2.) separatio vero regulariter, quoad *torum*, decerni solet; (§. DCCLXI, 1.) consequens est: 1) vt *conjugale vinculum* subsistat, licet coniuges se iuncti fuerint: r) 2) vt ipsa haec *seivntio* saltem locum habeat ob *graves causas*, quorum

n) c. 7. X. de diuort.

o) c. 8. X. de restit. spol.

p) cit. c. 8. *vers. recepta.*

q) cit. c. 8. c. 1. C. 33. qu. 2. COCCIVS *de sequestr. femin.*

r) c. 4. & 5. C. 32. qu. 7.



sum referunt *α) adulterium alterutrius conjugum; β) furorem vehementem; γ) haeresim; δ) saeuitiam qualificatam u) ε) Sodomitiae crimen: x) 3) notari debet propter adulterium se iunctionem exfulare, si α) ab utroque commissum, γ) aut β) maritus uxorem prostituuerit; z) aut γ) vxor per errorem ab alio cognita, a) aut δ) per vim compressa fuerit; b) aut ε) maritum mortuum credens alii nupserit; c) aut ζ) adulterium remissione sublatum.*

*Horum dogma pugnat cum dicto Pauli. Cor. 1. 12-13.*

## §. DCCLXV.

Quum denique dissolutio vinculi totalis refragetur indissolubilitati matrimonii, (§. DCCLXII. 3.) consequens est: 1) vt *annulatio* matrimonii (§. DCCXXVIII. 3. & §. DCCXXXII. seq.) ad diuortiorum materiam referri nequeat: 2) vt vinculi matrimonialis dissolutio fieri non possit, nisi vnico casu, puta, si *infidelis* christianam religionem amplectatur, & infidelis altera ei cohabitare nolit: d) 3) vt, matrimonio, quoad *vinculum*, soluto, coniuges libere ad secunda vota transire possint. e)

H h 4

DE

s) c. 1. &amp; 5. C. 33. qu. 7.

z) c. 2. X. de diuort. c. fin. X. de conuers. coniug.

u) c. 1. &amp; 2. X. de diuort. c. 3. X. de restit. spoliat.

x) c. 2. C. 32. qu. 7.

y) c. 4. seq. X. de diuort.

z) c. 6. X. de eo, qui cogn. consang. vxor.

a) c. 6. C. 34. qu. 2.

b) c. 4. C. 22. qu. 5.

c) c. 1. C. 34. qu. 1. §. 2.

d) c. 1. &amp; 7. X. h. t.

e) c. 21. C. 27. qu. 2.

DE DIVORTIIS  
EX DOCTRINA PROTESTAN-  
TIVM.

§. DCCLXVI.

Generalis  
obseruatio  
de doctrina  
protestan-  
tium circa  
diuortia.

Protestantes in eo quidem recte contra pontificios sentiunt, quod matrimonium *vinculi ipsius dissolutionem* admittat; sed *in causis* diuortiorum admittendis, mirifice variant, & vbi ad principia quaedam rem reuocare volunt, saepius pro certo id adsumunt, quod tamen petit id, quod est in principio. Nam I. quidam censum caularum augment: II. Alii in causa adulterii & malitiosa desertione, quod praesumptum hic occurrat adulterium, subsistunt: III. Alii media via incedere volunt; aliasque etiam, non tamen omnes, a primis admittas causas adprobare volunt.\* Dicam, quid ego sentiam, & ad principia, ad quae ipsi dissentientes prouocant, rem omnem reuocabo.

\* Ad primam classem referunt MILTONVM de diuortis, BRVCKNERVM in decisionibus matrimonialib. Dn. IO. FRID. KAYSERV, quem ceu fautorem & amicum honoris causa nomino, in diss. de iur. Princ. euang. circ. diuortia sub Praesidio Illustris BOEHMERI habita. Ad secundam pertinent protestantium plerique, qui hanc materiam scriptis illustrarunt, quorum catalogum dare superfluum duco. Tertiam occupare possunt SAM. STRYK de diuort. propter infid. vit. struct. III. BOEHMER iur. eccl. Prot. Lib. IV. tit 19 §. 27. sqq. Nescio, an etiam huc pertineat diss. sub Praesid. Excell.

GO.

GODOFR. LVDOV. MENCKENII, auctore CAR. FRID. MICHAELIS, habita, in qua sanam de iure Principis euangelici circo. diuortia doctrinam proponere intendit, quum reuera cum secundae classis auctoribus conspiraret, & ex instituto contra KAYSERVM dispureret. Ea, quae in thesi I. §. 14. 17. & 20. 25. sequi, thesi II. §. 6. & thesi III. tradit, non vni dubio subiacerent videntur. Haec enim non capio: dari leges vniuersales citra criterium & principium cognoscendi: *σκληροκαρδία* adueniente Christo penitus cessare debere, quum tamen omnis status civilis eam supponat, nec in republica Platonis, sed in faece Romuli viuamus: matrimonium esse sanctum, cum tamen, per preces sanctificari, illud scriptura nos doceat: Paullum malitiosam desertionem pro causa diuortii recte admisisse; cum tamen adulterium exceptio regulae a Christo traditae esse debeat; ne dicam, me apud Paullum nihil tale legisse. Taceo plura proferre, utpote ad separatam tractationem pertinentia. Hoc saltem moneo, me pro certo reputare, consult. Dn. MENCKENIVM hoc opusculum auctorem non adnotcere, sed patrem potius salutare Respondentem, huncque ad palatum WERNSDORFFII cogitationes adornasse.

## §. DCCLXVII.

Concedo, I. matrimonium ex primaeva <sup>Status con-</sup> institutione <sup>trouerfiac.</sup> *indissolubile* inferre vinculum: f)

II. Ipsum Christum ad *institutionem primaeuam* prouocasse, olimque incognita fuisse diuortia, docuisse: g) III. Iudaeos diuortia

Hh 5

re-

f) Gen. II. 24.

g) Matth. XIX 3. sequ. Marc. X. 2. sequ.

recepisse, & DEVM illa ob *σκληροκαρδίαν* tolerando permisisse: IV. Concedere possum, Christum regulam proposuisse, diuortia esse prohibita, eique *exceptionem* adiunxisse: b) V. Apostolos *indissolubilia* reputasse matrimonia: i) denique VI. Primitiuam ecclesiam hoc ipsum sua *praxi confirmasse*; inde tamen nondum conficitur, adulterium vnicam esse diuortiorum causam.

### §. DCCLXVIII.

Quid diuortium?

Dico vero diuortium: *matrimonii legitime contracti dissolutionem, propterea factam, quod in legem primitiuae institutionis peccatum fuerit, vel illa institutio, propter impedimentum extrinsecus, amplius obseruari non possit.*

### §. DCCLXIX.

Axiomata.

Exinde struo axiomata: I. Institutio primaeua, in suo *complexu sumpta*, vbi iuxta illam societas coniugalis non custoditur, aut custodiri nequit, vera est diuortiorum norma. Iam vero haec institutio respicit a) *unitatem carnis*; k) β) *mutuum adiutorium*; l) γ) *procreationem sobolis*: m) II. Vtrum in institutionis legem peccatum fuerit, causae cognitione opus est: III. Dissolutione facta, nouae nuptiae conceduntur. (§. DCCLXV. 3.)

### §. DCCLXX.

b) *Matth. V. 31. 32.*

i) *1. Cor. VII. 4.*

k) *Gen. II. 24.*

l) *Gen. II. 18.*

m) *Gen. I. 28.*

## §. DCCLXX.

Quum itaque institutio primaeva in suo complexu sumi debeat; (§. DCCLXIX. I.) sequitur, vt tunc *πορνεία* committatur, vbi contra hunc complexum, a coniugibus aliquid suscipitur, adeoque *diuortio* locus concedendus sit.\*

Generalis obseruatio ob *πορνείαν* diuortium fieri.

- \* Quid sit *λόγος* *πορνείας*, *Matth. V. 32.* de eo sibi non constant interpretes. SELDENVS prolixus est, vt demonstret, nihil aliud innuere vocem, quam *impudicitiam*. In *Vxor. ebraic. L.III. c. 23.* BVXTORFFIVS vero de *sp. ns. & diuort. P. III. pag. 122.* rem *nuditatis* seu *actus impudicitiae* sic denotari contendit. Plerumque per *πορνείαν* *scortationem*, aut *adulterium* intelligunt. Verum qualiscunque demum sensus sit huius vocis, in sermone tamen Christi nec *scortationem*, nec *adulterium* denotare poterit. Non prius, quod maritata cum alio concumbens *iura tori* maritalis violat, & sic *adulterium* committat; non posterius, quod illud apud Iudaeos *capitale*, & sic, eo perpetrato, *nullo libello repudii* opus fuerit. vid. *Leuit. XX. 10.*

## §. DCCLXXI.

Quum vero primaeva institutio respiciat *Qualis occurrat* *vnitatem carnis*, (§. DCCLXIX. a) sequitur:

- 1) vt *adulterium verum*, vtpote manifeste hanc vnitatem scindens, caussa sit diuortii; a) In adulterio vero.
- 2) vt *adulterium praesumptum*, vbi violenta & vrgentissima praesumptio de perpetrato facinore adest, aequae ad decernendum diuortium sufficiat. n) b) In praesumpto.

## §. DCCLXXII.

n) III. BOEHMER *cit. l. L. IV. tit. 19. §. 27.* sequi.

## §. DCCLXXII.

- o) Malitiosa desertione. Quum deinde haec institutio etiam *mutuum adiutorium* respiciat, (§. DCCLXIX. β) sequitur: 3) vt *malitiosa desertio* cum illo subsistere nequeat: 4) vt *insidiae vitae structae* etiam illud tollant: o) 5) vt *mores intolerabiles*, vnde totalis animorum alienatio oritur, & 6) *inimicitiae irreconciliabiles*, postquam concordia iam frustra tentata fuit, omne adiutorium tollant: 7) vt *insignis infamia*, ex propria vitae turpitudine contracta, illud etiam impediatur: p) 8) vt *perpetua relegatio*, vel *inclusio in ergastulum* illi in totum refragetur.
- d) Insid. vitae struct.  
e) Morib. intolerab.  
f) Inimic. capit.  
g) Insign. infam.  
h) Perpet. releg. & carc.

## §. DCCLXXIII.

- i) Praefr. debit. coniug. deneg. Quum denique primaeva institutio *sobolis procreationem* intendat, (§. DCCLXIX. γ) consequens est: vt huic instituto refragetur 9) praefracta *debiti coniugalis denegatio*. 10) Vt ei non minus aduersetur *procurata sterilitas*, & 11) metu puerperii aut alia de causa per medicamenta *abortus procuratio*: q) vt denique 12) *morbis fonticis & contagiosis* intentionem hanc prorsus impediatur. Propter has itaque causas diuortia decerni posse, nullus dubito. (§. DCCXXXII. 3.)
- k) Procur. sterilit.  
l) Abortus.  
m) Morb. fontic. & contagios.

## §. DCCLXXIV.

- o) STRYK diff. de diuort. ob insid. vit. struct.  
p) III. BOEHMER cit. loc. §. 43.  
q) conf. L. B. de LYNCKER dec. 71. BRUNNEMANN. iur. eccl. L. II. c. 33.

## §. DCCLXXIV.

Quum vero porro, vtrum in institutionis legem peccatum fuerit, causssae cognitione opus sit; (§. DCCLXIX. 2.) sequitur: 1) vt etiam in nostris ecclesiis coniuges *privata auctoritate* diuertere nequeant, sed 2) vbi hoc fecerint, *spolium* committant, (P.II. §. CXV.) adeoque 3) ad matrimonium colendum compelli possint: (§. DCCLXII. 3. seq.) iudex vero competens 4) etiam apud nos est *ecclesiasticus* seu consistorium. (§. DCCLXII. 1. & 2.)

Fit diuortium auctoritate iudiciali.

Drückerei fecit. matrim: ap: 18. num: 23.

## §. DCCLXXV.

Denique quum facta diuortio *nouae nuptiae* concedantur; (§. DCCLXIX. 3.) *caelibatus* vero iniunctio in poenam inconcinna fit; (§. DCCLII. 6.) sequitur 1) vt & *nocenti* aequae ac *innocenti* nouae nuptiae concedi debeant: 2) vt facta diuortio coniugium auctoritate iudicis *redintegrari* possit: 3) vt tunc etiam repetendae sint *solemnitates* consuetae: 4) (§. DCCXXXVIII. 12.) 4) vt separatio, quoad torum, (§. DCCLX. 1.) *impropre* diuortium dicatur: 5) vt illa saltem *ad tempus* decernenda sit, ne alias ad grauiora mala viam pandat: 6) vt tunc, vbi separata pars reuerti nolit, *diuortium* decerni possit.

Nouae tunc conceduntur nuptiae.

De separatione quoad torum. *Haec facta portio statuta Coniugi etiam nocenti est de iudicanda. Mandat ad S. A. T. Est enim tantum suspensio vinculi matrimonialis, auctoritate publica facta sol-  
TIT. vis effectibus civilibus*

r) vid. Ill. WERNHER dissert. de potest. Princ de fert. malit. nouas nupt. conced.

2) BROWER de iur. connub. L. II. c. 18. nr. 12.

## TIT. XVI.

## DE SECUNDIS NVPTIIS.

## §. DCCLXXVI.

Connexio.

**Q**UUM facto diuortio nouae nuptiae concedi soleant, (§. DCCLXV. 3. & §. DCCLXXV.) de *secundis nuptiis* eo magis agi debet, quod in illis varia singularia occurrant, & iura secundarum nuptiarum per plures iuris canonici doctrinas conclusiones suas diffundant. *t)*

## §. DCCLXXVII.

Quid secundae nuptiae.

Sunt vero secundae nuptiae: *omnes post obitum prioris coniugis, aut dissolutionem vinculi matrimonialis, repetitae, & si sint tertiae vel quartae vel pluries repetitae. u)*

## §. DCCLXXVIII.

Axiomata.

Tenenda de illis axiomata: I. Nuptiae secundae sunt quidem permissae, sed referendae inter odiosa. \* II. Possunt quocunque tempore, & saepius celebrari.

\* Odium hoc *secundarum nuptiarum* iam apud gentiles ex rationibus quibusdam *politicis* obtinuit, apud Christianos vero ex *studio continentiae*, quod patres admodum sectati sunt, (§. CCX. \* & §. CCCXCVIII.) inualuit. Absolute non erant vetitae, sed per *tolerantiam permissae*. Interim melius esse arbitrari sunt, si ab ulteriori coniugio fideles abstinerent. vid. Dn. RICHTER *cit. diff* c. 1.

## §. DCCLXXIX.

*t)* vid Dn. ALB. CHRIST. RICHTER *d ff. de secund. nupt. sub praelid. III. BOEHMERI habita.*

*u)* c. II. *sequ. C. 31. qu. 1.*



## §. DCCLXXIX.

Ex primo vides, cur 1) secundo nubentes a clero fuerint remoti; (§. CLXXIX. 8.) x) 2) cur iis non sit *benedicendum*; y) 3) cur *Presbyter* iis non possit interesse; z) 4) cur aliae etiam *poenae* & *odia* ex constitutionibus Imperatorum christianorum inualuerint. a)

Conclusio-  
nes primi  
axiomatis.

## §. DCCLXXX.

Ex secundo discimus: 1) olim quidem fe-  
minis intra *tempus luctus* sub infamiae poena  
prohibitas secundas nuptias, hanc vero nunc  
sublatam fuisse: 2) eas proinde quocunque  
tempore post *obitum coniugis* permissas esse:  
b) & 3) saepius reiterari posse: c) dummodo  
4) de morte prioris *coniugis* constet. d)

Secundi.

VSVS DOCTRINAE INTER PRO-  
TESTANTES.

## §. DCCLXXXI.

Quum vero, quae hic tradit ius canoni-  
cum, in plerisque iniqua sint, nec cohaere-  
ant, vitio verti nequit protestantibus, quod  
passim recesserint. Sic 1) *dyamos* (§. DCC  
LXXIX.) a ministerio, ad quod etiam *uxora-*

Quousque  
protestantes  
hic vel rece-  
dant, vel  
idem do-  
ceant.

tos

x) c. 1. X. de *bigam. non ordin.*

y) c. 1. & 3. X. h. t.

z) c. 8. C. 31. qu. 1.

a) vid. P. MULLER de *od. sec. nupt.* C. ZIEGLER de  
*sec. nupt.*

b) c. 4. & 5. X. h. t.

c) c. 11. & ult. C. 31. qu. 1.

d) c. 19. X. de *sponsal.*

ros admittunt, (§. CCXVI.) non arcent. 2) Non denegant secundo nubentibus *benedictionem sacerdotalem*, quum sit ceremonia indifferens, & sic saltem consensus conjugalis declaretur. (§. DCCXXXVIII. \*) Sic 3) *ministri ecclesiae* his nuptiis interesse possunt. Alias vero *poenas*, 4) seu *rationibus ciuilibus* in odium secundarum nuptiarum sancitas, in totum non reprobant. De reliquo vero ratione *luctus* (§. DCCLXXX I.) merito 5) *annum luctus* obseruare solent, licet 6) *poenas ciuiles*, intra annum luctus nubentibus statuae, a praxi nostra exorbitent. e) Permittunt 7) saepius *repetita coniugia*; dummodo 8) aut *mors* coniugis probata, f) aut instituto contra absentem *processu desertionis* dissolutio vinculi facta fuerit.

## TIT. XVII.

### DE REBUS SACRIS, SANCTIS ET RELIGIOSIS.

#### §. DCCLXXXII.

Connexio.

**V**idimus supra varias rerum diuisiones, & etiam illam, vbi spirituales in *corporales* & *incorporales* diuiduntur. Corporales vero vel in *sacramentorum* censum, vel ad *sacras, sanctas & religiosas* referri debeant, (§. DCII.) Quum vero de *sacramentis* iam factis

e) GE. BEYER *de concub. intr. temp. luct.*

f) Excell. AVG. LEYSER *diff. de morte abs. proband.*

tis actum fuerit, (§. DCXXIII, seqq.) nunc reliquae res spirituales, quae corporales dicuntur, examinandae sunt.

## §. DCCLXXXIII.

Res sacras & sanctas dicunt: quae principaliter ad cultum divinum sunt comparatae, ut ecclesiae, altaria, sanctorum reliquiae, vasa, vestes, g) Quid res sacrae & sanctae?

## §. DCCLXXXIV.

Res religiosas appellant: quae piis usibus sunt destinatae, ut religiosae domus cuiuscunque generis, sepulturae. h) Quae ex nostris principiis hic moneri possent, iam occupata sunt. (§. DCIV, seqq.) Sic in his rebus enucleandis sequar ordinem iuris canonici. Quid religiosae?

## TIT. XVIII.

## DE ECCLESIIS AEDIFICANDIS ET CONSECRANDIS.

## §. DCCLXXXV.

**A**d res sacras & sanctas quum ecclesias referant, (§. DCCLXXXIII.) quae de his ius nostrum tradit, paucis explicanda sunt. Ecclesiae vero voce non intelligit coetum fidelium, (§. VIII.) sed locum, in quem fideles sacerdotum causa conveniunt: seu, aedes quasdam ad divina officia celebranda constructas, DEO solemniter dicatas, & peculiari sanctitate munitas. i) Connexio.

li Quid ecclesia?

g) CORVINVS instit. iur. can. L. II. tit. 19. §. 2.

h) IDEM ibid. s. 3.

i) conf. c. 2. de consecr. D. 1.

tes habuerunt; ita & Christiani eos imitati sunt.\* (§ CCCCLVIII.\*)

\* Magna gentilium sollicitudo, in loco eligendo, qui ad sacra idoneus esset. Hunc separabant & secabant quasi a reliquis, ut sua religione constaret. Ideo locus talis *templi* adpellationem accepit a *τέμενος*, quod *τέμνειν* fit *secare, scindere*, & sic templum *locus a reliquis, religione separatus*. Verum primaevi Christiani nulla eiusmodi loca aut templa habuerunt, quippe quae tempore Constantini demum constructa, aut paganis erepta, & rebus christianis accommodata fuerunt. III. BOEHMER *diff. de potest. civil. in templa.*

### §. DCCLXXXVI.

**Axiomata.**

De his itaque ecclesiis notanda axiomata: I. Ecclesiarum exstructio requirit iustam causam. II. Auctoritatem superioris. III. Ecclesiae aedificatae sunt consecrandae. IV. Tunc gaudent singulari immunitate.

### §. DCCLXXXVII.

Causae ad ecclesiarum exstructio- nem suffi- cientes.

Quum itaque ecclesiarum exstructio requirat *iustam causam*, (§. DCCLXXXVI. I.) notari debet, 1) tunc demum causas praescriptas fuisse, ubi in *abusus* tractum fuit institutum exstruendi templa: \* 2) ad iustam causam referri *necessitatem*, puta, α) ubi *natio* quaedam ad fidem christianam adducta; β) *coetum* omnem non amplius una capit *ecclesia*; γ) si ad aedem ob *itineris difficultatem* & longinquitatem cuncti commode confluere non possunt: k) 3) iustam etiam causam esse, ubi *monasterium*, vel *alia noua congrega-*

tio

k) c. 3. X. de eccl. aedif. c. 50. 51. & 53. C. 16. qu. 1.

io instituitur: \*\* 4) vbi deuotio peculiaris ex voto, (§.CCCCXCVIII.) vel certarum reliquiarum (§.DCCII.) custodia exstructionem suadet: \*\*\* 5) respiciendum tamen esse, ne in alterius ecclesiae *praeiudicium* 1) aut 6) in omni loco, sed *congruo* demum fiat. \*\*\* m)

\* Quidam enim 1) *quaestus* & *lucris* causa ecclesias exstruebant, vt ex oblationibus ditescerent: 2) volebant sic impedire *haereticorum* conuentus; & 3) ne sine sufficiente *dote*, aut 4) inanis *gloriae* causa, aut 5) ob *aemulationem* exstructio susciperetur praecauere.

\*\* Monachi, quamdiu in desertis viuerent, (§.CCCCLXXXVIII.) nullas habuere ecclesias. Ex quo vero in vrbes migrarent, (§.CCCCLXXXIX.) parochialibus interfuere ecclesiis. Sed BENEDICTVS (§.CCCCXCI.) ita monasteria instruenda esse censuit, vt rem diuinam ibi facere possent monachi. Antea *oratoria* quidem habuerunt, sed, ad sacra ordinaria peragenda, ad *ecclesias parochiales* confluebant. Vbi vero illis *capellae* monasteriis contiguae obuenerent, tunc ibi sua sacra sine populi congregatione ordinaria habuerunt. Pederentim vero illis *ecclesiae parochiales* concessae, & tandem exstructiones *maiorum ecclesiarum* permittae fuerunt. Tunc adsumserunt adpellationem *ecclesiarum conuentualium*, quae vero in eo a parochialibus differabant, quod certum populum non haberent, nec actus parochiales ibi exercere possent. (§.CCCGLXI, seq.) Postea vero quibusdam ordinibus indultum fuit, vt confessiones laicorum audire possent. (§.DCLVI, \*\*)

II 2

\*\*\* In-

1) c. 43. & 44. C. 16. qu. 1. c. 1. X. de op. nou. numm. c. 2. X. de eccles. aedif.

m) c. 13. de consecr. D. 1.

\*\*\* Inde ortae sic dictae *capellae*. Nam *cap*, denotauit *tegumentum capitis*; mox omne *tegumentum corporis*: tandem tracta vox fuit ad omnia *inuolucra*, & hinc etiam reliquiarum conditoria *cappae*, & in diminutiuo *capellae* dicta fuerunt. Magnates enim iter facientes, maxime in peregrinationibus religiosis, *reliquias* sanctorum secum ferebant, adseruatas in conditorio, quod *cappam* & *capellam* dixerunt. Domum reuersi, *oratoria* exstruxerunt, in quibus eae in posterum adseruarentur, quae inde *capellae* dictae. Sic rura capellarum fluunt ex *aratoriis*, quae ad usum *domesticae deuotionis* erant exstructa. Mox etiam sacerdotem illis praeficiebant, unde natales *iuris patronatus capellarum regiarum*, & *Procerum* deriuari debent. Illustr. BOEHMER *Lib. III. tit. 37. §. 2. sq.* (§. DCCCLXXIV. \*)

\*\*\* Ipsa etiam *structura* ad leges est adstricta, quum vel *crucis*, vel *navis* formam referre soleant: *Altaria* orientem versus sint constituta, & quae sunt alia. De structura ecclesiarum conferri meretur BINGHAM *orig. L. VIII. c. 3. seqq.*

### §. DCCLXXXVIII.

Cuius auctoritate extruenda, & quomodo auctoritas interponatur?

Quum praeterea ecclesiarum exstructio desideret auctoritatem superioris, (§. DCC LXXXVI. 2.) sciendum est: 1) superiorem hic esse *Episcopum loci*: \* n) 2) interpositionem auctoritatis fieri per *rescriptum solemne* praevia causae cognitione: o) ubi indagari solet, α) qua *intentione* aedificatio suscipiatur? (§. DCCLXXXVII. \*) β) vtrum alicui inde *praeiudici-*

n) c. 44. C. 16. qu. 1. c. 10. C. 18. qu. 2. c. 9. de consecr. D. 1.

o) c. 5. & fin. X. de eccles. aedif. c. 48. & 53. C. 16 qu. 1.

*iudicium fiat, & ille ius contradicendi habeat? (§. DCCLXXXVII. 5.)*  $\gamma$ ) *utrum dote necessaria ecclesiae prospectum sit? p) d) utrum locus congruus? (§. DCCLXXXVII. 6.)* Qua de causa etiam locum accedit, crucem figit, atrium designat, lapidem angularem benedicit: q) 3) eadem auctoritate opus esse in *refectione*, sed diuerso modo, quum hic specialis consensus haud exigatur, sed saltem *cura refectionis* ad Episcopum pertineat: r) 4) refectionem hanc sicuti omnem incumbere *domino*, nisi reditus fabricae adsignati sufficient: extra ordinem tamen  $\zeta$ ) *aliis* quandoque hoc incumbere, puta patronis (§. DCCCLXXXI. 3.  $\beta$ ) parochianis: s) (§. DXCVII. 4.) 6) *necessitatem reficiendi cessare*  $\alpha$ ) in templis infidelium & *haereticorum*, t) (§. DCCLXXXVII. \* 2.) aut  $\beta$ ) si *superfluae* sint *ecclesiae*; u) \*\* aut  $\gamma$ ) *casus inopiae* adfit, quo casu *unio* (§. CMXLIV.) decerni potest: x) 7) de reliquo ad refectionem ecclesiarum ubi necessitas adest, *coactionem* adhiberi pos-

p) vid. ZIEGLER *de dote eccles.*

q) c. 9. *de consecr.* D. 1. PONTIF. ROMAN. *tit. de bened. prim. lapid.*

r) Concil. Trid. *Seff. XXI. de reform.* c. 7.

s) conf. IDEM *ibid.*

t) c. 7. X. *de Iudaeis.*

u) conf. HOSPINIANVS *de templis* c. 6.

x) c. 49. C. 16. *qu. 1. B. SLEVOGT de union. eccles. diff. 1. c. 2. §. 12.*

se: y) 8) modum reficiendi esse regulariter  
arbitrarium.

\* Olim saltem ex Imperatorum delegatione auctoritatem interponebant. III. BOEHMER *diff. de potest. ciuit. in templ. c. 2. sect. IV. §. 13. & 14.* I G. REINHARD *de iur. Princip. circ. sacr. ante reform. c. 2. §. 9. sequ.*

\*\* Hinc recte docent protestantes: ob abundantiam ecclesiarum, earumque bonorum permissam esse *secularisationem*: quum destructis ecclesiis bona in alios vsus conuer-  
ti possint. MAVRITIVS *de secular. bonor. eccles. c. 4.*

### §. DCCLXXXIX.

Quid conse-  
cratio?

Quumque ecclesiae aedificatae *consecran-  
dae* sint, (§. DCCLXXXVI. 3.) sciendum est, consecrationem hic denotare: *actum sole-  
mnem, quo, mediantribus quibusdam symbolis,  
res profana ab usu promiscuo eximitur, & ab-  
hinc qualitatem sacram accipit, ut ad cultum sa-  
crum adhiberi possit.\**

\* Talem dedicationem apud Iudaeos obtinuisse, nemo ambigit, vid. SELDENVS *de synedr. LIII. c. 13. sequ.* Mox accessit superstitio, ex quo, consecrationem *perpetuam sanctitatem* tribuere, adferent. Pro tali sanctitate pugnant Romanenses, quum tamen talia sole-  
mnia a statu noui testamenti aliena sint, & primitiua ecclesia ea ignorauerit.

### §. DCCXC.

Cur suscipi-  
atur, quan-  
do, & a quo  
peragatur?

Haec cum ita sint, notari debet: 1) ec-  
clesiam sic *deputari sacris*, quae antea in ea  
fieri nequeunt: 2) 2) eam quandocumque fieri  
debe-

y) PETR. PECKIVS *de eccles. aedif. & repar. c. 27. z) c. fin. X. de consecr. eccles.*



debere, & *quocunque die* fieri posse: a) 3) expediendam esse per *Episcopum* dioeceseos, qui ideo *Pontifex* dicitur: b) 4) Episcopum hunc actum, qui *ordinis Episcopalis* est, (§. CCXLVI. 2. d) simplicibus *sacerdotibus* committere non posse: c) 5) fieri eam multis *solemnitatibus*, quae partim in *praeparatoriis*, partim in *consecratione ipsa* consistunt: ita, ut hi ritus, in inunctionibus, aquae benedictae adspersionibus, formulis precum, aliisque pluribus ceremoniis consistentes, peculiarem prorsus *liturgiam* (§. DCVIII. seq.) efficiant: d) 6) potissimum adhiberi *sanctorum reliquias* e) (§. DCCCII.) & 7) *missam*: f) (§. DCLXIII. seq.) 8) consecrari simul peculiaribus solemnitatibus *altaria*, si sint lapidea. g) (§. DCCCI.) nec non 9) *vasa* & reliqua, ad sacrum adparatum *pertinentia*: h) (§. DCCXCVIII. seq.) 10) impediendam consecrationem *sacrilegium* (P. II. §. CCCXXIII. 16.) committere. i)

I i 4

§. DCCXCI.

a) c. 2. X. *cod.*b) c. 1. *de consecr.* D. I. c. 1. D. 25. c. 4. D. 68.c) c. 9. X. *de consecr. eccl.*d) EDM. MARTENE *de antiqu. eccl. ritib.* T. III. L. II. c. 13. pag. 244 *sequ.* CASALIUS *de vet. sacr. Christ. ritib.* P. III c. 33. Pontific. Rom. *tit. de eccles. dedic. seu consecr.*e) c. 26. & 29. *de consecr.* D. I.f) c. 1. *de consecr.* D. 3.g) c. 31. *sequ. de consecr.* D. I. MARTENE *cit. l. pag. 340.*h) *vid. tit. sequ.* 19.i) c. 124. *sequ.* C. I. qu. 1.

## §. DCCXCI.

Effectus  
consecra-  
tionis.

Inde porro constat: 1) consecrationem producere *varios effectus*, puta, *α*) quod imprimat *characterem*, adeoque iterari non debeat, *κ*) nisi vel *polluta* fuerit, & tunc dicitur, quod *reconcilietur*; *λ*) vel, *an consecrata* sit? dubitetur; *μ*) vel *ecclesia destructa* instauretur; *ν*) *β*) quod consecratio rem efficiat *sacramenti iuris diuini & nullius*; *ο*) *γ*) quod in consecrata ecclesia *missa* celebretur; *ρ*) *δ*) Eucharistia & baptismus administretur, (§. DCXL. \*\*\*\* & §. DCLVI 6.) *q*) *ε*) *horae canonicae* ibi celebrentur; (§. CCCCLXXXI. 3.) *r*) *ζ*) sacramenta, puta *eucharistia* & *chrisma*, ibi custodiantur; *s*) (§. DCLIII 4. *α*.) *η*) *sanctorum reliquiae* adseruentur, *t*) *θ*) *sanctis* veneratio exhibeatur; *u*) (§. DCCCLII. seqq. 1) *rudera* dirutae etiam ecclesiae non fiant *profana*; *x*) solemnitates consecrationum singulis annis celebrentur, & *encaeniarum* nomine veniant; *x*) *λ*) olim *puerperas* non fuisse in eccle-

k) c. 3. D. 68. c. 20 de consecr. D. 1

l) c. 19. sequ. de consecr. D. 1. P. FR. PASSERINUS de pollut. eccles.

m) c. 16. & 18. de consecr. D. 1.

n) c. 20 de consecr. D. 1.

o) HOSPINIANUS de templ. L. IV. c. 11.

p) c. 1. de consecr. D. 1.

q) c. 54. de consecr. D. 2. c. 7. C. 18. qu. 2.

r) c. 24. de consecr. D. 1. c. 2. D. 91.

s) c. 1. X. de custod. eucharist.

t) c. 26. de consecr. D. 1.

u) tit. X. de rel. qu. & vener. sanct.

x) c. 16. de consecr. D. 1.

ecclesiam admittis ante purificationem: y) 12) hos effectus vero *capellis* monachorum (§. DCCCLXXXVII. \*\*\*) non esse adscribendos, nisi *consecratae* fuerint.

## §. DCCXCII.

Quum denique consecratae ecclesiae singulari gaudeant *immunitate*, (§. DCC LXXXVI. 4.) sciendum est: 1) etiam illam inter effectus consecrationis referendam esse, nihilque aliud denotare, quam *ius, quod loca sacra libera & immunita praestat ab oneribus secularibus, atque aliis actibus, qui cum sanctitate illorum subsistere nequeunt*: 2) fluere hanc immunitatem ex *sanctitate* ecclesiarum: \* (§. DCCXCI. β) 3) hanc sanctitatem violari posse & *mediate & immediate*.

Quid immunitas, & unde descendat

\* Duplex sanctitas ecclesiis adscribitur: *interna & externa*. Illa consistit in quadam *diuina qualitate*, per *consecrationem* indita; haec in *ceremoniali quadam veneratione & separatione loci ab usibus profanis ad usum sacrum* consistit. Haec sanctitas est *vera*, & propugnari potest; illa est *fucata*, & introducta demum consecratione *superstitiosa*, ecclesiis tributa fuit. Sed nec protestantes semper accurate hic incedunt, ceu constat ex differt. *sub praesid. B. BVDEI* Ienae habita: *de sanctit locor. in vet & nou. testam* quam tamen huic B. viro vt auctori vindicare nolo.

## §. DCCXCIII.

Porro exinde constat: 4) grauius animaduertendum esse, si *vis* alicui *in ecclesia* illa.

De crimine sacrorum turbatorum.

Ii §

ra §

Iure aſyli.

Sacrilégio.  
Adhibitio-  
ne ad uſus  
promiſcuos.

ta; z) maxime ſ) ſi ſimul *turbatio ſacrorum* concurrat: a) 6) eccleſiis competere *ius aſyli* b) & ubi quis contra haec impingit, eccleſiarum ſanctitatem *mediate* violari: 7) *immediate* eam laedi, ſi iſtis *eccleſiis* vis inferatur, unde crimen *sacrilegii* (P. II. §. CCC XXIII. 16.) deſcendit: c) 8) eccleſias non adhibendas eſſe ad *uſus promiſcuos*, ne vel ſic ſanctitas loci profanetur: d) hinc in eccleſiis exerceri nequeunt a) *iudicia criminalia*, e) β) *Placita ſecularia*, f) γ) *negotiationes* & conuentus mercatorum, g) δ) *conuiuia* & alia ludicra, b) ε) *hoſpitationes*: i) 9) haſ immunitates etiam *coemeterio* (§. DCCC XXI.) & *locis circumiacentibus* intra triginta paſſus competere. k)

VSVS

z) CARPZOV iurispr. conſiſtor. L. III. d. 97. nr. 10. ſequ.

a) CARPZOV *cit. l. d. 95.*

b) CIRONIVS *paratiſ X tit. de immun. eccl.* BINGHAM *orig. L. VIII. c. II. add. STEPH DE PVTEO, de iur. aſyli, qua ſacri, qua profani.* Qui quidem plerumque communia dogmata propugnat, quandoque tamen illa, meliora edoctus, deſerit.

c) conſult. Dn. I. S. F. BOEHMER *de ſacril. ex mente iur. canon.*

d) c. 2. *de immun. eccl.* in 6.

e) c. 5. X. *eod.*

f) c. 2. *eod. in 6.*

g) *cit. c. 2.*

h) BARBOSA *iur. eccl. L. II. c. 3. nr. 22.*

i) c. 1. X. *de immun. eccl.*

k) CORVINVS *inſtitut. iur. canon. L. II. tit. 24. §. 6. & 7.*

VSVS DOCTRINAE INTER PRO-  
TESTANTES.

## §. DCCXCIV.

Protestantes, qui recte rem dimensuran-  
tur, saltem *externam & ceremonialem sanctita-* Protestan-  
*tem* ecclesiis tribuere solent, non vero *in-* ter ecclesiis  
*ternam*, 1) licet vnus aut alter rationes ita saltem ex-  
subducatur, vt nihil a sententia Romanensium ternam san-  
distet. (§ DCCXCII. \*) Hinc in plurimis citatam  
a doctrina iuris canonici diuortium facimus. tribuunt.

## §. DCCXCV.

Sic 1) ad aedificationem ecclesiarum suf- Consecraria  
ficit *Principis* auctoritas citra concursum cu- inde dedu-  
iusdam ministerii ecclesiastici: \*m) 2) cu- ctia.  
ram refectionis, (§ DCCLXXXVIII. 3.) ciuili  
potestati vindicamus, sumtus vero modo ex  
*aerario ecclesiae*, modo *subsidiis parochiano-*  
*rum*, modo *Patronorum* erogatione perfici-  
mus: \*\*n) (§ DCCLXXXVIII. 5.) 3) *con-*  
*secrationem* (§ DCCLXXXIX.) ignoramus,  
simplicem vero *dedicationem* seu *destinatio-*  
*nem* Principis auctoritate faciendam admit-  
timus: o) 4) *destructionem* ecclesiarum, vbi  
eae superfluae sunt, (§ DCCLXXXVIII. 6. β)  
summae potestati ciuili tribuimus: (§ DCC  
LXXXVIII. \*\*) 5) *Encaeniarum* festiuitates  
(§.

1) ZIEGLER *ad Lancel.* L. II. tit. 19. §. 2.m) CONF. III BOELMER *diff. de potest. ciu. in templ.*n) IDEM *in iur. paroch.* Sect. VII. c. 3.o) LINCK *de iur. templor.* c. 6. nr. 21.

(§. DCCXCI. κ) alicubi superſunt, ita tamen, vt pro mero negotio ciuili reputentur: p)  
 6) *Lustrationis puerperarum* (§. DCCXCI. λ) umbra & imago tunc obſeruatur, vbi *benedictione* quadam in eccleſiam recipiuntur: 7) *capellas monaſteriorum* (§. DCCXCI. ι 2.) ab eccleſiis parochialibus ita diſtinguimus, vt ibi *parochiales actus* tunc demum expediſi poſſint, ſi anno 1624. in poſſeſſione *actualis exercitii* fuerint (§. XLIV. 8.) 8) *immunitates* eatenus eccleſiis tribuimus, vt vim inferre aut *ſacra turbare* illicitum ſit, (§. DCCXCIII. 4. & 5.) nec ad *uſus promiſcuos* adhiberi poſſint, (§. DCCXCIII. 8.) quum haec ex *externa ſanctitate* (§. DCCXCII. \*) fluant: 9) ius vero *aſyli* (§. DCCXCIII. 6.) non admittimus, q) & 10) *ſacrilegii* crimen (§. DCCXCIII. 7.) admodum reſtringimus.

\* Ratio tamen anni decretorii 1624. in Germania eatenus haberi debet, vt etiam *priuata ſacra* ſalua ſint. Inſtr. Pac. art. V. §. 31.

\*\* Diſſidentes vero in religione, quia non ſunt *parochiani*, ad reſeſtionem cogi nequeunt. Proteſtantibus in terris Pontificiorum reſeſtio imperari vix poteſt: vbi vero eccleſias, quas in anno decretorio habuerunt, reſicere volunt, impediri nequeunt. Inſtr. Pac. art. V. §. 31. Immo nec in *modo* reſicendi, normam ponere, aut vbi non ad veterem modum reſeſtio adornatur *nouum opus nuntiare* Pontificii poſſunt, licet & hic quandoque tranquilla turbent. (§. CXIV. 1)

TIT.

p) CONF. LINCK *diſſ. de encaeniis templor.*

q) MYLERVS ab EHRENBACH *de iur. aſyli* c. 3. §. 9.

TIT. XIX.

DE

VASIS SACRIS, RELIQUIIS, ALTA-  
RIBVS ALIISQVE AD SACRA  
PERTINENTIBVS.

§. DCCXCVI.

**D**ixi, consecrationi accedere sanctorum reliquias; in consecratione ecclesiarum simul consecrari altaria, vasa aliaque ad sacrum adparatum pertinentia: (§. DCCXC. 6. 8. & 9.) in ecclesiis adseruari sacramenta & sanctorum reliquias, quibus veneratio debeat, (§. DCCXCI. § & θ) de quibus nunc paullo curatius differendum est.

§. DCCXCVII.

Vidimus consecrationem rem efficere *sa-* Transilio  
*eram & diuinam*, (§. DCCLXXXVI. β) vnde ad tracta-  
inferunt: res in aedibus sacris adseruatas tionem.  
*peculiarem qualitatem* nancisci; quasdam ita  
comparatas esse, vt a *laicis* tangi non possint:  
alias ad *diuinum cultum* duntaxat esse desti-  
natas.

§. DCCXCVIII.

Inde necesse axiomata: I. Consecrantur, Axiomata.  
aut saltem benedicuntur omnia, ad sacrum  
adparatum pertinentia. II. Quaedam sal-  
tem a clericis tangi possunt.

§. DCCXCIX.

Ex primo axioma intelligimus, specia- Consecraria  
tim consecrari 1) *vasa* & 2) *vestes* ad cultum primi axio-  
fa. matia.

sacrum pertinentes, (§ DCXI. \*\*\*\*) r) 3) *al-*  
*zaria*, s) 4) *reliquias* sanctorum, t) (§. DCCCI.  
 & DCCCII.) 5) *campanas*, (§. DCX. \*\*) &  
 quae sunt alia. \*

\* Quaedam res non consecrantur, sed saltem *be-*  
*nedictione* inaugurantur, quorum etiam qui-  
 dam *campanarum* iniciamenta referunt,  
 quamuis haec magis ad *consecrationem* acce-  
 dant. *Benedictio* vero adhiberi solet: in aqua  
 baptismali, lustrali, sale catechumenorum &  
 baptizandorum, igne paschali, incenso, tiri-  
 bulo imponendo, cereis, cineribus, palmis,  
 ovis, segetibus, novis domibus, nauibus, ta-  
 lamo coniugali aliisque pluribus rebus, ad ho-  
 minum subsidium inferuentibus, vid. MAR-  
 TENE *de antiq. eccl. ritib.* T. II. L. II. c. 21,  
 pag. 378. *sequ.* du SAVSSAY *panopl. sacerd.*  
 P. II. pag. 564. *sequ.* Praeterea notari debet  
*libros* etiam *sacros* in ecclesiis adseruari, adeo-  
 que ad *res sacras* referri.

## §. DCCC.

Secundi.

Ex secundo notamus, huc pertinere 1) *eu-*  
*charistiam*, (§. DCLIII. ζ) 2) *sacrum oleum*,  
 siue id sit *chrismatis*, (§. DCXLIII. seq.) siue  
 catechumenorum, (§. DCXL. θ) siue infir-  
 morum; (§. DCXCVII. seq.) 3) sanctorum  
*reliquias*, 4) *vasa sacra*, quae cuncta ad mini-  
 mum a Subdiaconis tangenda sunt. u) (§.  
 CCXXII. 3.) §. DCCCI.

r) c. 42. *de consecr.* D. I. CASTALDVS *Prax. cerem.*  
 Lib. II. Sect. 11. c. 2.

s) c. 21. *de consecr.* D. I. CASTALDVS *cit. l.* Sect. 13. c. 9.

t) tit. X. *de reliq. & vener. sanct.*

u) c. 41. *de consecr.* D. I. ENGEL *ad tit. X. de conf.*  
*eccl.* §. 1. nr. 6.



§. DCCCI.

Sunt vero altaria mensae lapideae quadrangulares, in ecclesiis loco eminentiori exstructae, & per Episcopum consecratae \* Quid altaria?

\* Primitiuis Christianis plane erant incognita.

Doctrina de sacrificio (s. DCLXX. \*) mensis sacris demum altarium adpellationem tribuit. Abhinc constitutum: vt altaria saltem lapidea erigerentur. c. 31. de consecr. D. 1. Fixa vbi posita fuerunt altaria, simul inualuit, vt sancti sub illis sepelirentur, & inde demum lex lata, sine sanctorum reliquiis nulla esse altaria exstruenda. Sed hodie sancti & reliquiae in facie ipsius altaris ponuntur, quo etiam extra ecclesias missa super altari celebrari possit. Talia altaria vocantur portatilia seu viatica. c. 30. X. de priuileg. IO. AND. SCHMID diff. de alt. portaz. GODOFR. VOGT *ἑρσιολογία*, seu de altaribus veterum, cuius recensio facta in Actis Erudit. Latinis, Ao. MDCCIX. pag. 184. seq.

§. DCCCII.

Reliquiae sunt: ossa martyrum & sanctorum praeuio examine adprobata, ex quo religioso cultu honorantur. \* x) Quid reliquiae?

\* Magna in veneratione apud Christianos fuere martyres, quorum anniuersaria colebant. Pace ecclesiae reddita, ossa eorum in ecclesias vel dedicatas vel dedicandas transferebant. Romae primum necessitas reliquias in ecclesias transferendi inualuit, vnde talis consuetudo se per Occidentem diffudit. CHEMNITIVS Exam. Concil. Trident. P. IV. loc. 1. Cultum hunc

x) tit. X. de reliq. & vener. sanct.

hunc religiosum impugnant DALLAEVS *de religios. cult. obi.* CHEMNITIVS *cit. loc. P. III. loc. 1.* Immo & errores & fraudes, quae circa reliquias occurrunt, cordate detexit IO. MABILLON sub nomine EVSEBII ROMANI *in epist. de cultu sanct. ignor.* PETR. MORETI *in diss. de ritu ostens. sacr. reliqu.* in demonstranda huius ritus antiquitate, ad Ethnicorum & Hebraeorum mores recurrit. Prodiit etiam eruditissimus liber, variisque documentis ornatus, sub titulo: *observationi sopra i cemeteri, di santi Martiri ed antichi Christiani.* Vbi vero auctor in eo est, ut cultum reliquiarum euincat, nihil praestat. Eadem dicenda sunt de labore Abbatis DE CORDEMOY sub titulo: *traité des Saint. reliqu.* licet propterea partum ediderit, ut Reformatos in Gallia, ad catholicam ecclesiam reduceret.

### §. DCCCIII.

Qui sancti?

Sancti sunt: *qui vitae non solum sanctitate, sed & miraculis y) excellunt, auctoritateque ecclesiae Romanae, praevio rigido examine, digni existimantur, ut religiosus cultus iis exhibeatur. z)* Hoc iudicium dicitur *canonizatio.*

### §. DCCCIV.

Quid canonizatio?

Est enim canonizatio: *relatio in canonem seu album sanctorum sollemniter facta, sub concessione facultatis, ut tales publico cultu in ecclesia honorentur. zz)*

### §. DCCCIV.

y) conf. hic IAC. SERCES *traité sur les miracles, dans lequel on prouve, que le Diable n' en sauroit faire.*

z) c. 52. X. *de testib. c. 1. X. de reliqu. & vener. sanct.*

zz) MABILLON *actor. Bened. Sec. IV. in praef. s. 88.*

## §. DCCCV.

Varia de hac promotione sunt obseruanda, sic 1) instituitur *inquisitio* in canonizandi *vitam, mores, res gestas*: a) 2) in *miracula*, in vita & post mortem facta: 3) ipsas reliquias olim *igne probatas* fuisse: b) 4) hodie *auctoritatem Pontificis* ad hanc declarationem desiderari: c) 5) ipsam declarationem fieri magna cum *pompa* & variis sollempnitatibus: d) 6) inferiorem gradum esse *Beatificationem*, quae ab Episcopis & quibusdam ordinibus monachorum peragi potest: e) 7) venerationem sanctorum producere varios *effectus ciuiles*, puta, α) quod *iuramenta* simul per ipsos praestentur, & *reliquiae* in actu iurandi adhibeantur; f) β) quod *consecratio* templorum & altarium sine reliquiis fieri non possit; (§. DCCCL. \* & §. DCCCII. \*) γ) quod *capsas* cum reliquiis auferens *sacrilegium* committat; g) δ) quod etiam in sanctos

Varia de ea  
obserua-  
tiones.

a) c. 1. X. de reliqu. & vener. sanct.

b) MARTENE de antiqu eccl ritib. T. III. L. III. c. 8.

c) PAPEBROCH diss. de sollempnit. canoniz. init. & progress.

d) CONF. BOLLANDVS, HENSCHENIVS, SVRIVS, PAPEBROCHIVS in act. sanctor. vbi passim de canonizatione eorum agunt. Ceremon Rom L. I. Sect. 6. TENZEL monatl. Unterr. ao. 1691. pag. 11. sequ.

e) CONF. BAYLE Responses aux questions d' un Provincial T. I. pag. 470. sequ.

f) THOMASIVS annal. zu des von Dffens Testament, pag. 19.

g) constit. crimin. art. 172.

Etos *blasphemia* committatur; b) 8) canonicorum *festiuitates* celebrari, & in illarum *vigiliis ieiunari.* i)

## §. DCCCVI.

Quid vigi-  
liae & ieiun-  
ia?

Vigiliae sunt: *festorum dierum vesperae,* k)  
Ieiunia sunt: *parsimoniae victus, & ciborum  
abstinentiae, ex iusta causa susceptae.* l)

## §. DCCCVII.

Ieiuniorum  
diuisio.

Diuidi solent ieiunia i) in *privata & libera*,  
quae spontaneo & proprio motu suscipiuntur:  
quorsum etiam *votiu*a pertinent, quum  
votum ex libero nuncupetur arbitrio, licet  
editum necessitatem inuoluat; (§. CCCC  
XCVIII. seq.) & 2) in *ecclesiastica*, quae *publica  
& necessaria* sunt. Alii vero ita incedunt, vt  
ieiunia vel *necessaria* vel *voluntaria* dicant.  
Necessaria subdiuiduntur α) in *generalia*, β) *con-  
suetudinaria*, γ) *votiu*a, δ) *poenitentialia*: &  
haec omnino esse obseruanda. Voluntaria  
autem cuiuslibet arbitrio relinquunt. \* m)

\* Olim ieiunia libera erant, & inde tanta eorum  
varietas occurrit apud veteres. Primi fuere  
Montanistae, qui legalia ieiunia introduce-  
rent. Inde inualere *stationes*, vbi ad nonam  
vsque horam ieiuni manebant: inde *ieiunia*  
ad seram vsque vesperam producta. *Abstinen-  
tia* a certis cibis, *adpendix* potius *ieiuniorum*,  
quam ipsum ieiunium fuit. Tandem *absti-  
nentia* etiam *ieiunii* nomen accepit. conf.

DAL-

b) Rec imp. de ao. 1512. 1530. 1548. Ordin. crim.  
art. 106.

i) CORVINVS *instit. iur. can.* L. II. tit. 22. §. 16.

k) c. II. D. 12. c. II. D. 76.

l) c. I. X. de obseru. ieiun.

m) CORVINVS *cit.* l. tit. 23. §. 18. sequ.

DALLAEVS de ieiun & quadrages. THOMASSINVS de vet. & nou. eccl. discipl. P. I. L. II. c. 83 §. 12. seq. LARROQVANVS aduers. sacr. L. I. p. 120.

§. DCCCVIII.

De ieiuniis vero tenendum: ea esse *meritoria* & operari *remissionem peccatorum*: 2) *violatores* illorum *poenas* seculares & ecclesiasticas subire, nisi 3) *dispensatio* papalis aut episcopalis interuenierit: *n*) 4) quaedam ieiunia esse *stata* & *certa*; quaedam *extra ordinem* ab Episcopis indicta: 5) ieiunia & abstinentias etiam ad *poenitentias* referri: 6) tempore ieiunii fugam omnis *biaritatis* iniungi. *nn*)

Observationes de ieiuniis.

§. DCCCIX.

Varia etiam a ieiunis peragenda sunt, puta, 1) *missa*, (§. DCLXIV. 2.) 2) *communio laicalis* (§. DCLVI 9.) 3) *ordinationis*, (§. CCCCXXXIX. 1. & DXLVIII. 2.) 4) *confirmatio*, (§. DCXLVII. 2) 5) *iurisiuranda*: 6) denique 6) *torturam* ieiunis applicari, causas peculiare habet. *p*)

Et de ieiuniis.

§. DCCCX.

Incognitus est protestantibus consecrationis apparatus, (§. DCCXCV. 3.) adeoque

Vnus doctrinae inter Protestantes

Kk 2

que

*n*) conf. ANONYMI *traité des dispenses du careme*, qui hanc propugnat sententiam: ieiunia & abstinentias a cibis delicatis, conducere ad sanitatem, adeoque dispensationes eo saltem casu admittit, si certis personis ex vulgaribus cibis, dispendium sanitatis imminet.

*nn*) III BOEHMER *ivr. eccl. protest. Lib. III. tit. 46.*

§. 33. sequ

*o*) vid. *infr.* L. III. tit. de iureiur.

*p*) OLDERUP *tit. 4. obs. crim. 24.*

que 1) nec in vasis, vestimentis, aut altaribus *dedicationem* adhibent, quum illis sufficiat *destinatio & adhibitio* ad usum: 2) ignoratur *reliquiarum* sanctimonia cum adnexis: 3) *blasphemia* in sanctos; 4) *iusiurandum* per sanctos; 5) *legale & meritorium ieiunium*: nam 6) per ieiunia in *supplicationibus publicis* iniuncta, non tam deuotionem instillare, sed potius *impedimenta* auferre cupiunt: denique 7) *ieiunos* nusquam abscisse desiderant, nisi, ubi ipsa *naturalis ratio* tales efflagitet. (§. DCCC IX. 6.)

## TIT. XX.

## DE RELIGIOSIS DOMIBVS.

## §. DCCCXI.

Connexio.

Quid religiosae domus?

**A**D res religiosas pertinent religiosae domus (§. DCCLXXXIV.) quarum indoles nunc enucleari debet. Sunt vero hae domus: *quae religionis vel pietatis intuitu, accedente Episcopi auctoritate, sunt exstructae.* q)

## §. DCCCXII.

Variae earum species.

Variae harum domuum sunt species, dantur enim: 1) *nosocomia*, 2) *ptochotrophia*, 3) *gerontocomia*, 4) *brephotrophia*, 5) *xenodochia*, 6) *orphanoitrophia*, 7) *facinorosorum purgatoria*, r) 8) *militum valetudinariorum sustentacula*, rr) 9) *furiosorum claustra*, 10) *leproforia*, 11) *viduarum hospitalia*, 12) *monasteria*.

## §. DCCCXIII.

q) c. 4. X. de religios. domib. c. 23. C. 23. qu. 1.

r) CONF. FRID. KRAVSOLDVS de vsibus ergasterior.

rr) DR. DE LVDEWIG de iur. circ. valetudin. milit. emer.

## §. DCCCXIII.

De his notanda axiomata: I. Religiosa. Axiomata.  
 rum domuum cura pertinet ad Episcopum  
 II. Quaedam tamen sunt ecclesiasticae, quaedam  
 laicales. III. Quaedam singulari priuilegio  
 ab episcopali potestate sunt exemptae.

## §. DCCCXIV.

Ex primo (§. DCCCXIII. I.) discimus, 1) tunc demum eas Episcopo subesse, si eius auctoritate exstructae: s) 2) posse tunc Episcopum ea exercere, quæ iuris Episcopalis sunt, siue ad iurisdictionem, siue ad legem dioecesanam spectent: ss) 3) eum curare, ne a primo instituto deuiant: t) 4) etiam *monasteria*\* Episcopo subesse, licet speciales magistratus (§. DIV.) habeant, u) 5) ea proinde sine Episcopi auctoritate exstrui non posse: x) nec 6) sine eius consensu *mutationem religiosorum recipiendorum fieri posse*: y) 7) posse tamen magistratum monachorum horum numerum augere: z) 8) religiosis domibus proprie sic dictis Episcopum dare *administratores*: a) (§. DCCCXXXV. 3. sequ.) 9) cir-

Iura Episcopi intuitu harum domuum.

K k 3

cum-

s) *cit. c. 4.*ss) c. 17. C. 18. *qu. 2.*t) c. 3. X. *de religiof. domib.*u) c. 7. & 8. X. *eod. c. 11. & 19. X. de offic. iud. ord.*x) c. 10. & 12. C. 18. *qu. 2. c. 4. de priuil. in 6. Concil. Trid. Sess. XXV. de regular. c. 3.*y) c. 41. C. 16. *qu. 7.*z) TAMBRINVS *de iur. Abbat. T. III. disp. 6. q. 1. & 15.*a) Clement. 2. *de religiof. domib.*

cumspicere, quo *digni* recipiantur, & 10) *rationes* vi inspectionis exigere. *b)*

\* Proprie loquendo monasteria sunt ea loca, quae a monachis in deserto fuere inhabitata. Quum vero monachi dispersi in coetus coalescerent, loca habitationis *caenobiorum* nomen adsumferunt. Ast cum tales caenobitae nomen monachorum retinuerint, etiam caenobia eorum *monasteriorum* adellationem acceperunt. (§. CCCCLXXXIX. seq.)

§. DCCCXV.

Quae domus religionis  
sac laicales?

Ex secundo (§. DCCCXIII. 2.) constat: 1) *laicales* potissimum dici, quae sine Episcopi consensu sunt exstructae: *c)* 2) eas, ceu qualitate ecclesiastica destitutas, manere sub *iudice suo ordinario*, dummodo 3) *formam ecclesiarum* non gerant: *d)* 4) illi *rationes* esse reddendas, cui hae domus subsunt; *e)* ast 5) ex recentiori iure & hic *ordinarium* concurrere: *f)* 6) in genere *principalem potestatem* suam sollicitudinem circa has domus exercere posse. *g)*

§. DCCCXVI.

Quae exemptae a potestate episcopali.

Ex tertio denique (§. DCCCXIII. 3.) scimus: 1) eas quae *speciali privilegio* exemptionem docere possunt, exemptas esse: *b)* 2) *privilegia*

*b)* Clement. 2. *cod. Concil. Trid. Sess. VII. c. ult.*  
BONIF. DE VITALINIS *Comm. ad Clem. h. t. nr. 107.*

*c)* DE ROYE *instit. iur. can. L. II. tit. 19. § 4.*

*d)* CIRONIVS *paratitl. X. h. t.*

*e)* Clement. 2. *de relig. dom.*

*f)* Conc. Trid. *Sess. XXII. de reform. c. 8.*

*g)* Conc. Meldens. c. 40. Capitular. Caroli M. Lib. VI. cap. 227. REINHARD *de iur. Princ. circ. sacr. ante reform. c. 4. §. 17.*

*b)* c. 2. & 7. X. h. t.



uilegia haec non porrigi α) ad *capellas* (§. DCCLXXXVII. \*\*\*) illis subiectas; i) nec β) impedire, quo minus *Episcopi* negligentes *Rectores* aut *Abbatas* corrigere possint; k) aut γ) quo minus *Prioratus* seu *obedientiae* monasteriorum, ordinario subsint, nisi specialiter exemptae; l) nec δ) quominus *sermone*s ad populum in ecclesia monasterii; m) aut ε) *confessionum* audientias inhibere, n) (§. DCLVI. \*\*iunct. §. CCXXXVI. \*\*\*) & ζ) monasteria, quibus *cura animarum* demandata, sub se habere possit: 3) Episcopum etiam in *exemptas* domus, vi *delegationis Pontificiae* perpetuae, inspectionem exercere. o)

## VSVS DOCTRINAE INTER PROTESTANTES.

### §. DCCCXVII.

Vix exstruimus monasteria, quod si tamen contingeret, citra *Principis* auctoritatem *publicae congregationis* effectu non gauderent. *Priuate* vero *sodalitias*, licet ad ἀσκησιν quamdam tendant, tali auctoritate vix indigere. Hinc etiam, quoad alias religiosas domus, si pro bonis ecclesiasticis reputari nolint, *priuate* fundatorum *deuotio* sufficiet. (§. DCCCXV. i. sequ.)

### §. DCCCXVIII.

Sed ex pontificiis institutis apud nos monasteria.

K k 4

De statu monaste-

i) c. 16. & 17. X. de priuil.

k) Clem. 2. h. r. c. 7. X. de offic. iud. ord. c. 1. C. 16. qu. 2.

l) conf. c. 1. de priuil. in 6.

m) Conc. Trident. Sess. XXIV. de reform. c. 4

n) cit. conc. Sess. XXIII. de reform. c. 15.

o) conf. ESPEN. iur. eccl. P. III. tit. 12. c. 6.

riorum ca-  
tholicorum  
in terris  
protestan-  
tium.

naſteria ſuperſunt, quorum intuitu etiam le-  
ges imperii quaedam diſpoſuerunt. Sic 1) libera monaſteriorum exſtructio (§. DCCC  
XIV. 5.) non procedit in *ciuitatibus mixtis*: p) nec 2) in territoriis Episcoporum, vbi anno  
1624. proteſtantes *liberum religionis exerciti-  
um* habuerunt: q) (§ XLV. 4. ſeq.) nec 3) re-  
ligioſi pro lubitu *mutari* poſſunt: (§. DCCC  
XV. 6.) r) nec 4) *numerus* monachorum aug-  
mentari, (§. DCCCXIV. 7.) inuitis prote-  
ſtantibus: s) dehinc 5) *mediata monaſteria* in  
terris proteſtantium Episcopis, (§ DCCC  
XIV. 1. ſq.) hanc ſubſunt: t) licet, 6) ſi a catho-  
licis poſſideantur, religioſis, qui ea an. 1624.  
tenuerunt, relinquenda ſint: u) vt tamen 7)  
ſubſint *ſuperioritati territoriali*: x) 8) mona-  
ſteria a proteſtantibus poſſeſſa, vel qualita-  
tem honorum eccleſiaſticorum retinuiſſe,  
vel *ſeculariſata* fuiſſe. (§ DCCLXXXVIII.\*\*)

#### §. DCCCXIX.

Et reliqua-  
rum reli-  
gioſarum  
domuum.

Reliquarum religioſarum domuum cura  
1) modo ad *Principem*, modo ad *fundatorem*  
ſpectat. 2) *Religioſis* ſeu *eccleſiaſticis* rebus tunc  
demum accenſentur, vbi a Principe ſunt  
confirmatae: (§. DCCCXVII.) 3) ſupremae  
Principis *inſpectioni* omnes ſunt ſubiectae: y)

4) ra-

p) Inſtr. Pac. art. V. §. 29.

q) IDEM *ibid* §. 25. 32. & 33.

r) IDEM *ibid*. §. 26.

s) IDEM *ibid*.

t) IDEM *ibid* §. 25.

u) IDEM *ibid* §. 26.

x) IDEM *ibid*. §. 29 & 43.

y) Hoc ipſum temere e iure episcopali petunt.

4) *rationum redditio* fit illi, penes quem est inspectio, licet nomine Principis altae etiam personae hic concurrere possint. (§. DCCC XV. §.)

## TIT. XXI.

## DE SEPULTVRIS.

## §. DCCCXX.

**R**ebus religiosis etiam accensentur sepul- Connexio.  
turae, (§. DCCLXXXIV.) quae tamen  
calculo recte ducto potius ad *liturgiam*  
(§. DCIX. \*) referendae forent; sed quum  
peragantur in *loco benedicto*, talis vero *religio-*  
*sis* accenseri soleat, inde & sepulturae *res re-*  
*ligiosae* dictae.

## §. DCCCXXI.

Libera olim fuit sepultura tam *ratione* Quid hodie  
sepultura?  
*loci*, quam quoad *modum*, quae hodie secus  
sunt. Nam nunc sepultura est: *humatio*  
*corporum, ritibus liturgicis in coemeterio facta.*  
Coemeterium vero est: *locus publicus, ad se-*  
*pulturam vnice destinatus, auctoritate sacra so-*  
*lemniter erectus, plerumque aedibus sacris co-*  
*haerens.* \*

\* Qua ratione libertas sepulturae restricta, & lo-  
ca peculiaria, quae nunc coemeteriorum no-  
mine veniunt, erecta fuerint, copiose docui  
in inaugurali mea dissert. *de iur. erig. coemet.*  
c. 1 sub Praesid. illustr. BOEHMERI habita.

## §. DCCCXXII.

Hinc notanda axiomata: I. *Humatio cor-* Axiomata.  
*porum* debet fieri in loco religioso. II. *Fa-*  
*cienda*

K k §

cienda

cienda est ritibus liturgicis. III. Adstricta est quodammodo ad Parochiam (§. CCCC LXII. 6.) ita tamen, ut libera sit electio.

§. DCCCXXIII.

Erectio  
coemete-  
riorum &  
sepultura  
ibi pera-  
genda.

Quum itaque humatio fieri debeat in *lo-  
co religioso*; (§. DCCCXXII, 1.) ad religio-  
sum vero quid efficiendum Episcopi aucto-  
ritas desideretur; (§. DCCCXXI.) sequitur:  
1) ut sepeliendo cadaver, locum nemo reli-  
giosum faciat, sed *Episcopi benedictio* necessa-  
ria sit: 2) ut proinde coemeteria *cum ec-  
clesiis* (§. DCCCLXXXV.) comparari soleant;  
a) 3) ut tamen haec differentia intercedat,  
ut coemeteriis simplex sacerdos ex delega-  
tione Episcopi benedicere, (§. CCXLVI. 1. d)  
b) & 4) etiam *reconciliare* (§. CCXLVI. 1. e &  
§. DCCXC. a) possit: c) 5) ut propterea  
ut *accessoria templorum* & res spirituales con-  
siderentur: (§. DCCXCI, b) 6) ut *gratis* con-  
cedenda sit sepultura: d) 7) ut in coemete-  
rio, *non in ecclesia* fieri sepultura debeat: e)  
licet 8) Episcopi, Abbates, Presbyteri & laici  
honoratioribus in *ecclesiis* sepeliri possint. \* f)

\* Sepulchra in ecclesiis seu templis ex veneratione erga Martyrum reliquias ibi conditas ortum traxit: variis tamen sanctionibus prohibita

z) c. 1. X. de religios. domib.

a) c. 7. X. de immunit. eccl. c. 7. X. de consecr. eccl.

b) AND. DU SAVSSAY *Panopl. sacerdot. P. I. LII. art. 21.*  
pag. 607.

c) c. 7. X. de consecr. eccl.

d) c. 12. sequ. C. 13. qu. 2. c. 9. X. de Simon. conf.  
Venerand. Academiae Ienens. Senior BRUCK-  
NERVS dissert. de sepult. gratis conced.

e) c. 15. 16. & 18. C. 13. qu. 2.

f) c. 18. C. 13. qu. 2.

bita fuit, sed ob lucrum inde proveniens semper refricuit. vid. cit. mea *inaug. dissert. c. 1. & B. GVNDLINGII observat. ad rem litter. spect. art. 6.*

## §. DCCCXXIV.

Quum deinde sepultura peragenda sit ritibus liturgicis, (§. DCCCXXII. 2.) sequitur: *1) ut tunc ecclesiastice facta dicatur, si in consecrato coemeterio peracta: & quidem 2) cum lumine, psalmis & sacris orationibus: g) nec non 3) oblatione, b) 4) turificatione, aquae benedictae adspersione, conuocatione cleri & populi: 5) ut denegatio sepulcri in coemeterio, denegationem honestae & ecclesiasticae sepulturae inuoluat. i)*

Quid sepultura ecclesiastica?

## §. DCCCXXV.

Sicuti vero non omnes viuentes in communione ecclesiastica sunt: \* (§. IV. 7. & 8.) ita 6) regula efformata fuit: *quibus non communicamus viuis; illis nec mortuis communicare possumus. \*\* k) Hinc ab ecclesiastica sepultura excluduntur a) infideles l) β) haeretici, m) γ) infantes nondum baptizati, (§. DCXXXVIII. 4.) n) δ) excommunicati, o) ε) qui in torneamentis, aut duellis pereunt, p) ζ) Au-*

Quinam ea careant?

*tochi-*

g) c. 28. C. 13. qu. 2.

b) c. 12. C. 23. qu. 5.

i) c. 1. Extrau. Comm. de priuil.

k) Ill. BOEHMER diff. de iur. deneg. comm. coemet.

l) c. 17 & 28 D. 1.

m) c. 8. X. de haeret.

n) WIESTNER instit. iur. can. de sepult. art. 1. nr. 3.

o) c. 5. X. de priuil. c. 8. eod. in 6.

p) c. 1. & 2. X. de torneam.

*tochiri, q) η) in reatu mortui, r) θ) publici peccatores & scelerati, quorum referuntur: eucharistiae contemtores, (§. DCLVI. 3.) usurarii manifesti, s) blasphemae, t) decimas non red- dentes, u) monachi, proprium quid habentes, (§. DVI. β) clerici concubinarum notorii (§. CCX. seq.) x) interdicti: y) 8) eos tamen admitti, qui puram egerunt confessionem & poenitentiam: z) alias 9) ibi sepultos rursus exhuman- dos & coemeterium reconciliandum esse: a) & 10) hos sepelientes, excommunicari. b)*

\* Hanc diiudicabant ex admissione ad preces, conuentus & sacrum commercium. Palmarium signum erat *admissio ad eucharistiam & oblationes*. Offerentium nomina inter preces recitabantur. Postea oblationes in sacrificium transiere, hinc ad denotandum, quod in *communione ecclesiastica* decesserit, superstites pro eo *oblationes* faciebant. Quum sic defuncti precibus DEO commendati fuerint, mox inualuit opinio, oblationes defunctis prodesse. Hinc luctuosum, carere *communione precum* post mortem, quia *electorum* oblationes non recipiebant, & sic nec preces pro illis fundebant. Sic

q) c. 12. C. 23. qu 5.

r) c. 12. X. de sepult. CARPZOV. iurispr. consist. L. II. d 379.

s) c. 3. X. de usur.

t) c. 2. X. de maledic.

u) c. 19. X. de decim.

x) c. 6. D. 32.

y) Clement. 1. de sepult.

z) c. fin. X. de sepult.

a) c. 12. X. eod. c. 7. X. de consecr. eccl.

b) Clement. 1. & 2. de sepult.

Sic demum ortae missae pro defunctis. (§. DC LXVI, 4.) conf. HILDEBRAND *in offertor. pro defunct.*

\*\* Denegatio communionis erat *excommunicationis* species, & hinc *mortuorum excommunicatio* inualuit, quae in vernacula *der Todtens Bann* dicitur. (P. II. §. CCCLXII. 4.)

### §. DCCCXXVI.

Quum denique sepultura ad iura *parochialia* referatur, ita tamen, ut libera maneat electio: (§. DCCCXXII 3.) consequens est: 1) vt in *parochiali ecclesia* quidem sepultura fieri debeat: (§. DXCIV.) 2) vt tamen funus ad *sepulcra maiorum* deferri, vel quisquis locum sibi *eligere* possit, licet non tanta religione ac coemeterium polleat: c) 3) vt tamen *religiosus* in proprio monasterio sepulturae tradendus sit: d) 4) vt alibi electa sepultura, *parochiali ecclesiae portio canonica* praestari debeat. e)

Quousque libere eligi possit sepultura.

### §. DCCCXXVII.

Est vero portio canonica: *quantitas, quae de relictis & prouentibus ecclesiae obuementibus, detrabitur.* Est vel *parochialis*, vel *Episcopalis*. Illa debetur parochiali ecclesiae, vel illius Curato, & *detrabitur ex omnibus, quae quis ecclesiae, in qua sepulturam eligit, aegritudine correptus reliquit,* f) & ratione quantitatis varie prae.

Quid canonica portio?

c) c. 2. de sepult. in 6. c. 1. & 3. X. eod. c. 7. C. 13. qu. 2.

d) c. fin. de sepult. in 6.

e) c. ., eod.

f) Clementin. 2. & c. 2 sequ. X. eod.

praestatur. g) *Episcopalis* vero est: *quae de relictis alicui ecclesiae pro anima, ab Episcopo deducitur.* \* b)

\* Orta est haec portio ex antiqua bonorum diuisione, quae in quatuor partes facta, & quarta Episcopo assignata fuit. Hodie vero in usu esse desit, postquam aliunde sat pingues reditus Episcopi habent. WAGNERECK ad c. 14. X. *de testament.*

## VSUS DOCTRINAE INTER PROTESTANTES.

### §. DCCCXXVIII.

Communis  
protestan-  
tium do-  
ctrina.

Sicuti in adplicatione iuris canonici saepius reprobatis principiis conclusiones retinemus; ita in doctrina de sepulturis idem accidit. Nam 1) repudiata consecratione (§. DCCCXXIV. 1) erectionem coemeterii ad *iura Episcopalia* referimus: 2) reprobatis orationibus & oblationibus pro defunctis, i) (§. DCCCXXV. \*) *excommunicationem mortuorum* (§. DCCCXXV.) in plurimis propugnamus; num quis ecclesiastice sit sepeliendus? *consistorii* cognitioni vindicamus: k) quod si vero sua ratione stare deberet iurisprudencia, magis coherencia tradenda forent. *Faciám periculum.*

### §. DCCCXXIX.

g) c. 23. C. 12. qu. 2.

b) c. 15. X. *de testament*

i) HILDEBRAND *in offert pro defunct.* c. 2. & 3. CHEMNITIVS *Exam conc. Trid* P. III. L. III. c. 7. §. 7.

k) CARPZOV *iurisprud. consist.* L. I. d. 10. L. II. d. 376. 382. & 385.



## §. DCCCXXIX.

Coemeteria si recte rem dimensuramus, Quid coe-  
meteria? sunt: *Loca vniuersitatis, in hunc finem adorna-  
ta, vt ibi cadauera membrorum vniuersitatis con-  
dantur.*

## §. DCCCXXX.

Inde infero: 1) constitui posse haec loca Confectaria  
ex hac de-  
finitione  
deducta. a qualibet vniuersitate, citra auctoritatem consistorii: 2) posse Principes, sicuti de aliis actibus, bonum publicum respicientibus, disponunt, etiam de sepultura leges condere: 3) sicuti in omni vniuersitate certis personis cura rerum vniuersitatis tribuitur; ita in coemeteriorum constitutione hoc ipsum desiderari, adeoque magistratum politicum sibi iure hanc spartam vindicare: \* 4) locum sepul- turis destinatum manere sub iurisdictione eius, cui antea subiectus fuit: 5) nemini ibi denegandam esse sepulturam, qui pro membro ciuitatis reputatus fuit: 6) nihil iniqui continere, vbi a peregrinis pretium pro loco sepul- turae exigitur. (§. DCCCXXIII. 6.)

\* Ratio tamen habenda coemeteriorum *templis contiguorum*. Talia enim pro accessoriis tem- plorum haberi solent. Tunc cui *ius in tem- plum* competat? vtrum patronata sit ecclesia, nec ne? circumspectandum est. vid. *cit. mea inaug. disp. c. 2.*

TIT. XXII.  
DE BONIS ECCLESIASTICIS IN  
VNIVERSVM.

§. DCCCXXXI.

**Connexio.** **E**Xsequutus sum, quae ad res *spirituales* *corporales* referuntur, quorsum sacramenta & res sacrae, sanctae & religiosae pertinent: (§. DCII.) restant illae spirituales res, quae *incorporales* dicuntur, & *in iure* consistunt; sed quum reuera ad ecclesiae patrimonium pertineant, (§. DCCVI, I.) licet in patrimonio saltem res *temporales* esse contendant; ordinis melioris gratia de bonis ecclesiae in vniuersum hic agere constitui, reliqua canonistarum tradita suo loco obseruaturus.

§. DCCCXXXII.

**Quid bona ecclesiastica?** Ecclesiastica bona dico: *patrimonium, quod ecclesia ceu vniuersitas tenet, & ex redditibus necessitudini communi prospicit.*\*

\* Origo bonorum ecclesiasticorum ex *oblationibus* fidelium descendit. Onera ferre tenetur vniuersitas, quae citra reditus praestari nequeunt. Hinc necessitudini per *spontaneas* oblationes subueniebant. Deficiebant immobilia, sub Constantino demum aduicta, a quo tempore variae denominationes ortae, quae etiam sensim varia iura circa bona ecclesiastica pepererunt. conf. MART. SCHOCKIUS *de bon. eccles.*

§. DCCCXXXIII.

**Axiomata.** Inde fluunt axiomata: I. Bona ecclesiastica sunt in dominio ecclesiae. II. Sunt legitime

me

me administranda : III. Non sunt alienanda, nisi IV. Ex iustis causis & adhibitis solemnitatibus. V. Gaudent singularibus immunitatibus.

#### §. DCCCXXXIV.

Quum ergo bona ecclesiastica sint in dominio ecclesiae, (§.DCCCXXIII.1.) per ecclesiam vero pontificii separatam rem publ. intelligant; (§.II.seq.) sequitur : 1) vt & hic vox ecclesiae *clerum* potissimum denotet, licet 2) ipsi pontificii doctores hic sibi non constent, & particulari ecclesiae dominium adsignent; 3) vt tamen cum ecclesia corpus sit, seu *collegium* in republica, (§ XIX.sq.) merito etiam bona possidere possit: adeoque 4) *dominium* bonorum ecclesiasticorum illi vindicari debeat. (§.XXXVII.)

Quatenus sint in dominio ecclesiae?

#### §. DCCCXXXV.

Quum deinde haec bona legitime sint *administranda*, (§.DCCCXXIII.2) consequens est : 1) vt ecclesia siue *per se*, siue *per alios* ea administrare possit : (§ XXII 5.) licet 2) *Episcopi* ex coniuentia ecclesiae olim administrationem exercuerint, *m*) & sub imperatoribus christianis retinuerint. Abhinc inualuit, 3) vt *Episcopi oeconomos* constituerint, *n*) & 4) initio eos cum ecclesiae consensu mox eo neglecto elegerint; 5) etiam *laicis* hanc

Et administrantur.

Ll

spar-

l) GONZALEZ TELLEZ ad e. 2. X. de reb. eccl. non alien. SARPIVS traité des benef. art. 21. qu. 2.

m) III. BOEHMER iur eccl. ant. diff. VI. s. 23. seqn.

n) Concil. Chalced. c. 26.

spartam demandarint; tandem vero 6) *clericos* saltem ad illam admiserint, o) & 7) ad meliorem bonorum defensionem *Aduocatos* elegerint: p) ipsi vero, quousque vita communis clericorum durauit, 8) bona dispenfauerint. q)

§. DCCCXXXVI.

Rationes  
prohibitae  
alienationis.

Quumque porro illa non sint alienanda; (§. DCCCXXXIII. 3.) sequitur: 1) vt *perpetuum* adesse debeat *patrimonium*, vnde clerus pasci possit: 2) vt simulac ecclesia bona adquisiuerit, ea *qualitatem peculiarem* accipiant, (§. DCCCXXXII. \*) & ad *sanctum domini* pertineant: r) 3) vt proinde de illis dicatur, quod ad *manus mortuas* peruenerint: 4) vt haec de bonis omnibus siue *dotalia*, siue *mensalia*, siue *piae caussae*, destinata sint, intelligi debeant; s) 5) vt haec non solum in *emissione venditione*, sed & in *locatione conductione* ad perpetuum, vel longum tempus, t) *pignoris datione*, u) *emphyteuseos* & *vsusfructus constitutione*, *donatione*, *permutatione*, *vsucapione* obti-

o) c. 2. 21. sequ. C. 16. qu. 7. MORINVS de sacr. eccl. ordinat. P. III. Ex. XVI c. 5. §. 5. sequ.

p) THOMASSINVS de V. & N. E. D. P. III. L. II. c. 55.

q) MATTHAEI de nobilit. L. II. c. 49. THOMASSINVS cit. loc. c. 35.

r) CONF. L. 14. C. de S. Sanct. eccl.

s) CORVINVS de perf. & benef. eccl. T. II. L. VII. tit. 4.

t) c. 4. & 9. X. de reb. eccl. non alien.

u) c. 1. & 3. X. de pignor.

obtineant: x) 6) vt proinde Praelati, Canonici aliique clerici de *bonis non alienandis* iureiurando promittant.

## §. DCCCXXXVII.

Quum autem ex *iustis causis* & adhibitis Quando alienatio permittitur? solemnitatibus alienatio procedat; (§. DCCCXXXIII. 4.) intelligitur: 1) cur *iusta causa* in necessitate & vtilitate quaerenda sit; y) 2) cur praecedere debeat *solemnis causae cognitio*; z) & 3) huic accedat *consensus capituli*: a) nec non 4) *consensus superioris* seu Praelati: b) denique 5) *decretum* legitime & specificè confectum: c) cur vtiliter *protocolum* d) & 7) *subbactatio* adhibeatur: 8) cur aliter facta alienatio *nulla* sit. e)

## §. DCCCXXXVIII.

Quum denique haec bona singularibus Quales eis immunitates competant? immunitatibus gaudeant; (§. DCCCXXXIII. 5.) videre licet: 1) cur ecclesiis relicta *piis causis* adnumerentur: f) 2) cur *immunitas* sint ab onere tributorum, g) puta *nouiter* impostorum: b) 3) cur *nulla lex* aut constitutio

Ll 2 con-

x) CORVINVS *cit. loc. nr. 3.* CIRONIVS *paratitl. X. de reb. eccl. alien. vel non.*

y) c. 1. *de reb. eccl. alien. in 6. c. 52. & 53. C. 12. qu. 2.*

z) c. 1. *de reb. eccl. alien. in 6.*

a) c. fin. X. *de his, quae fiunt a mai. part. cap.*

b) REDOANVS *de reb. eccl. alien. c. 23. nr. 31. sequ.*

c) L. B. de LYNCKER *resp. II. nr. 14.*

d) IDEM *resp. II. nr. 41.*

e) c. 1. X. *de reb. eccl. alien.*

f) TIRAQUELLVS *de priuil. pie caus. in praef.*

g) c. 4. & 7. *de immunit. eccl. c. 4. de cens. in 6.*

b) SPERELLVS *decis. for. eccl. 35. nr. 3. & 4.* RHETIVS *de cens. fund. cubaer.*

contra hanc immunitatem valere possit adeo, vt ne quidem 4) legem *amortizationis* admittere velint, licet hic quidam sanio- rem doctrinam sequantur : i) 5) cur saltem in *necessitatis* casu consulto Pontifice laicis e bonis ecclesiae subueniri possit. k)

## VSVS DOCTRINAE INTER PROTESTANTES.

### §. DCCCXXXIX.

Qualitas  
honorum  
eccles. ex  
mente Prot.

Multi protestantium 1) in ea cum Carp- zovio haeresi versantur, bona ecclesiae esse *patrimonium Christi*, adeoque *iuris diuini*, & *nullius in bonis*; l) saniores autem, 2) ea in *dominio ecclesiae*, (§. DCCCXXXIV. 4) adeo- que 3) non in proprietate *Principis* esse con- tendunt. De reliquo vero quantum ad *alie- nationem*, (§. DCCCXXXVI. seq.) principiis iuris canonici fere omnes insistant. m)

### §. DCCCXL.

Singularia  
de alien.  
honor.  
eccles.

Hinc 1) in Praelaturis *immediatis* in alie- natione *consensum capituli* desiderant: n) li- cet, 2) si verum fateri velimus, protestantes, ceu *iura papalia* exercentes, (§. CCLXXXVII. 5.) liberiori potestate gaudeant: 3) in bonis *mediatis* consensum *Principis* vi supremae in-  
spe-

i) vid. IOS. BERNH. GLETTLE *in anat. amortiz. & im- mun. eccl. qu. 1. seq.*

k) c. 7. X. *de immum. eccl.*

l) CARPZOV. *iurispr. consist.* L. II. d. 398. *sequ.*

m) CARPZOV L. V. R. 52. L. B. de LYNCKER R. II. & L. LINCK *de iur. episc.* c. 10. nr. 35. *seqq.*

n) KLOCK Tom. I. *consil.* 35. nr. 84.

speditionis exigunt, o) & 4) *secularisationem*, si illa ex *iusta causa* suscipiatur, (§. DCC LXXXVIII.\*\*) *Principi* permittunt. p)

## §. DCCCXLI.

Quantum ad *administrationem*, (§. DCCC XXXII.2.) supremum *Principis* arbitrium non excludunt; (§. DCCCXIX. 3. & 4.) & ratione *immunitatis*, quum illa omnis ex beneficio imperantium processerit, merito rem supremae potestati subiiciunt, licet recte moneant, Principem pro ea conseruanda laborare debere; de reliquo vero legem *amortizationis* iuste dicere & in *necessitatis* casu citra ullam indulgentiam tributa ex his bonis exigere posse.

Et administrat. & immunit.

## TIT. XXIII.

## DE DECIMIS, PRIMITIIS ET OBLATIONIBVS.

## §. DCCCXLII.

**D**antur ex canonistarum doctrina res *Connexio. mixtae*, inter spirituales & temporales fluctuantes, (§. DCI.) quorsum *decimas* aliaque referunt. De his hic vel propterea agendum, quod ad patrimonium ecclesiae (§. DCCCXXXI.) etiam *fructus decimales*, & quae ex *primitiis* & *oblationibus* proueniunt, (§. DCVI.1.) referri debeant.

## L I 3 §. DCCCXLIII.

o) L.B. de LYNCKER resp. 98.

p) conf. B. THOMASIVS de bonor. secularizat. natura §. 13. & 14. add. STRYK diff. de exsecration. vltim. volunt.

## §. DCCCXLIII.

Quid decimae?

Sunt vero decimae ex communi doctrina: *Quota fructuum, vel lucri portio, DEO debita \* q)*

\* Fuere decimae in vfu ante legem Mosaicam: *Gen XIV. 18. Hebr. VII. 1.* promissae DEO quandoque ex voto: *Gen. XXVIII. 12* aliquando regibus tributi loco solutae. SPENCER de leg. Ebr. rit. L. III. c. 10. diff. 1. Hinc DEVS in republica iudaica, tanquam Rex in Deocratio sibi decimas referuauit, & sacerdotibus & Leuitis in sustentationem ex peculiari causa adsignauit, SPENCER cit. l. Sect. I. §. 2. B. BVDDEVS *hystor. eccl. V. T. pag. 392.* Haec ratio particularis decimarum, euauit cum republica iudaica, & hinc sub Christianismi auspiciis nulla decimarum mentio occurrit. Ex quo vero sacerdotium clero adfererent (§. CLXVI. \*) simul decimas exigebant. CYPRIANVS ep. 1. ORIGENES potissimum vsum harum praestationum vsit. THOMASSINVS de V. & N. E. D. P. III. L. I. c. 3. §. 9. Post in concionibus semper decimarum solutionem inculcabant, SARPIVS *traite des benef. art. 2.* & seculo VI. concilia passim eam imperabant, quod ipsum Principes Francorum legibus suis iubebant: conf. de ROYE *institut. iur. can. L. II. tit. 12. §. 4.* BALVZIVS *capit. Tom. I. pag. 8.* A quo tempore maiora incrementa decimarum vsus fuit. Mox etiam laicis & monasteriis obueenerunt, quod tamen variis conciliis repressum fuit.

## §. DCCCXLIV.

Diuisio.

Diuidi solent varie: 1) in *personales*, ex lucro

q) c. 14. & 26. X. de decimis.



lucro seu negotiatione prouenientes *r*) & *praediales* de fructibus naturalibus praestandas: *s*) 2) in *ecclesiasticas*, quas clerus possidet: & *seculares*, quas laici exigunt: *t*) 3) in *maiores*, quae ex frumento & gramine, & in *minores*, quae ex fructibus arborum aliisque herbis praestantur: 4) in decimas *agrorum* & *animalium*; 5) in *veteres*, quae ex praediis cultis: & *nouales*, quae ex agris primum ad culturam redactis soluuntur.

## §. DCCCXLV.

Tenenda de illis axiomata: I. Decimae *Axiomata.* sunt portio DEO debita, vti olim in vetere testamento. II. Sunt emolumenta iuris parochialis. (§. DXCVII. I.) III. Regulariter nullam admittunt praescriptionem. IV. Seculares pristinam qualitatem amiserunt.

## §. DCCCXLVI.

Quum itaque decimae sint portio DEO debita, (§. DCCCXLV. I.) DEVS vero illas olim sacerdotibus & Leuitis adsignarit, (§. DCCCXLIII. \*) sequitur: 1) vt Presbyteris & Diaconis N. T. tanquam *successoribus* horum (§. CCXXV. I. & §. CCXXXI. \*) iure diuino debeantur: *u*) 2) vt propterea a laicis possideri

Cui decimae praestentur?

L 1 4

ne-

*r*) c. 23. X. de decim.

*s*) c. 3. sequ. C. 16. qu. 1.

*t*) conf. de ROYE cit. l. §. 15. MEINDERS de orig. decim. in ver. Guesphalia.

*u*) conf. III. BOEHMER iur. paroch. Sect. VII. c. 1. § 3. sequ.

nequeant, sed *reddendae* sint: x) 3) vt tamen hoc de illis intelligi debeat, quas post *Late- ranense concilium* anno MCLXXIX. adquisi- uerunt: y) 4) vt tamen ne haec quidem di- spositio in praxi obtineat, propterea quod laicis *exercitionem & perceptionem* decimarum separatam a *iure* decimandi vindicent. z)

§. DCCCXLVII.

Quinam eas  
praestent?

Quumque sint emolumenta iuris paro- chialis. (§. DCCCXLV. 2.) consequens est: 1) vt *personales* ibi sint soluendae, vbi quis *sacramenta* percipit. (§. DXCV. 5.) a) 2) vt *praediales* ei ecclesiae soluantur, in cuius ter- ritorio *praedia* sita sunt: b) 3) vt *praediales fundis inhaereant*, & a quocunque possessore praestandae sint: c) 4) vt etiam a *clericis mi- noribus*, ob spirituale quod accipiunt mini- sterium, & *extraneis clericis*, stipendiaria prae- dia, intra fines parochiae possidentibus, ex- solui debeant: d) 5) vt etiam *monachi*, nisi specialiter exempti sint, huic praestationi rea- li subiaceant: e) 6) vt tamen *priuilegia* exem- tionis, *strictissimae* sint interpretationis f) & debeant

x) c. 19. X. de decim.

y) vid. c. 7. X. de his, quae fiunt a Prael. c. 25. X. de decim. c. 2. eod. in 6.

z) THOMAS in *secunda secundae* qu. 87. art. 3. resp. ad obiect. 3. CIRON. Paratitl. X. de decim.

a) c. 20. X. de decim.

b) c. 18. & 20. eod. c. ult. X. de paroe.

c) c. 4. 23. 24. & 29. X. de decim.

d) CONF. HORNIVS diff. de cler. cleric. non decimante.

e) c. 3. 4. 9. 10. & 12. X. de decim.

f) CONF. CORVINVS inst. iur. can. L. II. tit. 28. §. 14 sq.

debeant 7) a *Pontifice* profecta esse: g) 8) vt praestandae sint de *veteribus* ac *noualibus*, b) ita tamen, vt 9) *clerici* aliis *clericis* de nouiter cultis nihil soluant: i) 10) vt de *omnibus fructibus*, licet diuersa semina in agro sparsa, agri quiescentes nec antea de his fructibus solutae fuerint, praestandae sint: k) 11) vt saltem personales *deductis impensis* l) solvantur; 12) vt varia remedia ad decimas consequendas in mundo sint.

## §. DCCCXLVIII.

Quum deinde regulariter nullam admittant praescriptionem, (§. DCCCXLV. 3.) sciendum est, 1) tunc demum praescriptionem omnem exfulare, vbi *laici contra ecclesiam* eas sic acquirere volunt: m) 2) *ecclesiam* vero *contra ecclesiam* quadragenariam & titularem praescriptionem allegare posse: n) 3) decimas *seculares* ordinario praescriptionis iure regi: 4) praescriptionem *immunitatis* seu decimarum extinctiuam variis dubiis inuolutam esse: o) licet 5) tunc citra du-

Quatenus  
praescriptio  
hic obtineat?

Ll § bium

g) c. 26. X. de decim.

b) c. 10. 13. & 29. cod. ESPEN. iur. eccl. P. II tit. 33. c. 6.

i) conf. c. fin X. de priuil.

k) c. 21. X. de decim. L. B. de LYNCKER resp. 170. nr. 12. MEVIUS P. IX. dec. 68.

l) c. 28. & 33. X. de decim.

m) CARPZOV. P. II. C. 2. d. 4.

n) c. 1. de praescript. in 6.

o) BERL CH P. II. concl. 4. nr. 24. CARPZOV P. II. C. 2. d. 4.

bium praescriptio procedat, si decimae *exactae, denegatae, & exigens denegatione acquieverit.*

§. DCCCXLIX.

Seculares  
bonis pri-  
uatorum  
accensu-  
tur.

Denique cum seculares pristinam qualitatem amiserint; (§. DCCCXLV. 4) sequitur: 1) vt instar patrimonii priuati in libero commercio sint: p) 2) vt de his in foro *seculari* contendendi soleat: q) 3) vt ad *onera parochialia* saltem eatenus concurrant, quatenus reliquae priuatorum possessiones concurrere teneantur. r)

§. DCCCCL.

Quid primi-  
tiae?

Quum vero etiam primitiae ad patrimonium ecclesiae spectent, (§. DCCCXLII.) sciendum est, primitias dici: *primas fructuum obuentiones, & prima singulorum annorum de fructibus commoda, DEO consecrata.* s)

§. DCCCCLI.

Variae de il-  
lis observa-  
tiones.

De primitiis notandum, 1) eas in ecclesia christiana olim nulla lege ecclesiastica, sed *patrum* potius *doctrina* introductas, mox 2) *clericis* adsignatas; t) sed 3) *quantitatem* arbitrariam: u) 4) *dispositionem* penes Episcopum

p) ESPEN. *cit. loc. tit. 32. c. 4. §. 38. seq.*

q) KLOCK *Vol. I. consil. 1. nr. 104. seq.*

r) vid. limatissimum responsum BOEHMERI *sub tit. Vindictae libertat. decim. laical.*

s) c. 13. X. de V. S. SPENCER *de LL. Ebr. rit. L. III. diss. 1. c. 9.*

t) c. 1. 23. & 65. C. 16. qu. 1.

u) c. 1. X. de decim.

scopum fuisse, x) (§. DCCCXXXV. 2.) & 5) vsus *oblationum* primitias introduxisse.

## §. DCCCLII.

Quum vero vsus oblationum introduxerit primitias, (§. DCCCLI. 5.) & oblationum <sup>Quid oblatio?</sup> fructus, patrimonium ecclesiae constituent, (§. DCCCXLII.) sciendum est, oblationes dici: *voluntarias praestationes christianorum ad altare pro peccatis factas.* y)

## §. DCCCLIII.

Hinc notandum: 1) *cultum diuinum* in <sup>Obferuationes de oblationibus.</sup> oblationibus adesse, quod precibus ad DEVM fuis iam olim acceptae fuerint z) 2) *sacrificium* propterea in illis quaesitum fuisse: a) & hinc 3) ab illis non acceptas, quibus *ius communionis* denegabatur: b) (§. DCCCXXV. \* & \*\*) 4) eas quidem liberas & voluntarias; c) sed 5) vel per indirectum *necessarias* factas esse: d) 6) loco panis & vini inualuisse *denarium*, & hunc demum 7) cessasse lucro *Presbyterorum*: e) 8) semel oblatum reuocari non posse. f)

## VSVS

x) c. 6. D. 31.

y) c. 13. C. 10. qu. 1.

z) IVST. MARTYR *apolog.* 2.a) REU. DIL. PFAFF *de oblat. vet. euchar.*b) ALBASPINAEVUS L. I. *obs.* 6.c) CORVINVS *de pers. & benef. eccl.* P. II. L. VII. tit. 8. nr. 9.d) STYPMANN *de salar. cler.* c. 2. nr. 18. c. 5. nr. 173.e) ESPEN. *cit. l.* P. II. tit. 5. c. 4. nr. 15. & tit. 33. c. 10.f) c. 3. *sequ.* C. 17. q. 4.

VSVS DOCTRINAE INTER PRO-  
TESTANTES.

§. DCCCLIV.

Variae ob-  
servaciones  
de decimis.

Hic modo incaute regustamus iuris ca-  
nonici tradita, licet quaedam ex ipsa deci-  
marum ratione genuina retineri debeant:  
modo minus recte noua adsumimus. Dicam,  
quid ego sentiam: I. Decimae saltem *iure ec-  
clesiastico* ortae sunt, & sic a reliquo ecclesiae  
patrimonio distingui non debent; (§. DCCC  
XLII.) Hinc II. adquiri possunt *ordinaria  
praescriptione*; (§. DCCCXLVIII.) III. In  
*proprietate Principis* haud sunt, (§. DCCC  
XXXIX.3.) sic nec ad *regalia* pertinent, quor-  
sum IV. nec *noualia* referri possunt. V. Ra-  
dicatam esse distinctionem inter decimas *ec-  
clesiasticas & seculares*, (§. DCCCXLIX.) & hinc  
possessores secularium ad *tituli editionem* ob-  
ligatos haud esse. VI. Possesse Principem, sic-  
uti de aliis ecclesiasticis, (§. LXXXIV.) ita &  
de decimis *leges condere*. VII. Ratione de-  
cimarum, ex catholicis terris percipienda-  
rum, sufficere protestantibus *solam possessio-  
nem* anni decretorii. g)

§. DCCCLV.

Et de primi-  
tiis & obla-  
tionibus.

Primitiae (§. DCCCL.) apud nos fere in-  
cognitae. Oblationum vero vsus (§. DCCC  
LII.) remansit in plurimis ecclesiis. Saepius  
*necessitatis* lege debentur, (§. DCCCLIII. 5.)  
cedunt saepius *lucro parochi*, (§. DCCCLIII. 7.)  
instar *salarium*. Fiunt etiam *spontaneae* in vsus  
pau-

g) INSTR. PACIS, Art. V. §. 46.

pauperum & ecclesiarum per *sacculum sonantem*, b) & sic etiam pro lubitu a parochianis fieri possunt.

## TIT. XXIV.

DE

## BENEFICIIS IN VNIVERSVM.

## §. DCCCLVI.

**D**ari res *spirituales incorporales*, scilicet Connexio. quae in iure consistunt, (§. DCII.) has vero rectius ad patrimonium ecclesiae referri, (§. DCVI. 1.) iam obseruavi, adeoque nunc harum rerum iura enucleanda sunt.

## §. DCCCLVII.

Est vero beneficium: *utile, quod quis propter officium sacrum percipit; seu ius percipiendi redditus ecclesiasticos ratione diuini officii, cui quis insistit.* Quid beneficium? \*

\* Dixi iam de ecclesiasticorum bonorum origine, (§. DCCCXXXII. \*) pauca de *beneficiorum* origine adiicienda sunt. Olim oblationes Episcopus & eo absente Presbyter distribuit. Quum vero inique non raro distributio fieret, inualuit lex de facienda ea in quatuor partes. In collegiis vero canonicorum saepius, ex quo bona immobilia ecclesia accepit, bona quaedam *mensae Episcopi*, quaedam *canonicis*, ut inde in communi alerentur, fuere adsignata. Sec. VI. quidam clerici extra ordinem praedia loco alimentorum acceperunt, quae praxis in constantem morem abiit. Cum deinde clerus cathedralis vitam communem desereret, (§. CCCCLXXXV.) cano-  
nici

b) WILDVOGEL. de oblat. per saccul. sonant.

nici seculares loco stipendii bona *beneficiorum* nomine adepti sunt. conf. THOMASSINVS de V. & N. E. D. P. III. *Lib. II. c. 16. & 19.*

### §. DCCCLVIII.

Diuisio.

Sunt vero beneficia 1) vel *secularia*, vel *regularia*: (§. CCCCLXXIII. seq.) 2) vel *coniuncta* cum canonicatu aut officio, vel *sine* illis: 3) vel *maiora*, vel *minora*: 4) *libera*, vel *non libera*.\*

\* Dicuntur etiam *Praebendae*, quae vox ex disciplina *militari* descendit. *Praebere* enim est *praestare*, *exhibere*. Sicuti itaque annona *militaris*, *militibus* praestita, *praebere* dicebatur; ita eadem vox de *clericis* tanquam *militibus spiritualibus* praedicata fuit. Ex quo vero clero bona loco stipendii adsignata fuerunt, illa *Praebendarum nomen adsumserunt*. Porro dicuntur *Canonicae*, quod canon etiam *censum* denotet, CIRONIVS *Par. X. de Praebend.* Denique dicuntur *Canonicatus*, quod iuri habendi stallum in choro & vocem in capitulo, *utile* adhaereat.

### §. DCCCLIX.

Axiomata.

De his notanda axiomata: I. Beneficia debentur propter officium sacrum. II. Modo annexam habent dignitatem, modo sine ea sunt. III. Eriguntur varia ratione. IV. In erectione ipsa varia sunt obseruanda.

### §. DCCCLX.

Variae obseruationes de indole beneficiorum.

Quum itaque beneficia debeantur propter officia sacra, (§. DCCCLIX.) sequitur: 1) vt eatenus habeant indolem *feudorum*: i) 2) vt ad *officium* promotus a Promotore suo cum

---

i) ESPEN. *iur. escl. P. II tit. 18. c. 1. §. 2. fq.*



cum *beneficio* providendus sit: *k*) 3) vt inter *canonicos* receptus, prima oblata occasione, *Praebenda* gaudere debeat: *l*) 4) vt *soliclerici* beneficiorum capaces sint: *m*) (§. C LIII. seq.) 5) vt annexam habeant *residendi* necessitatem: (§. CCCCLXIX. \*) *n*) 6) vt propterea *plura beneficia* possideri nequeant ab vno: *o*) (§. CMXXVII.) 7) vt nec vnum possit *secari*, & inter duos distribui. *p*) (§. CMXLVII. 2. seq.)

## §. DCCCLXI.

Quumque modo annexam habeant di. Quaedam  
gnitatem, modo sine ea sint, (§. DCCCLIX. 2.) aliis di-  
sciendum est, 1) vt distinctio sit inter *Digni- gniora re-  
tatem, Personatum & Officium*, licet hae putantur.  
voces saepius promiscue vsurpentur: 2) vt dignitas sit, vbi cum *administratione iurisdictio est coniuncta*; *Personatus, eminentia sine iurisdictione*; *Officium, cura rerum ecclesiasticarum simplex*: *q*) 3) vt exinde diuisio inter maiora & minora beneficia nata sit, (§. DCCCLVIII. 3.) 4) vt maiora vel ex *dignitate & eminentia*; vel ex eo, vtrum *electiua*, an *collatiua* sint, aestimari soleant: 5) vt exinde etiam suo modo maiortas diiudicari debeat. (§. DXXXII. seq.)

## §. DCCCLXII.

*k*) c. 16. X. de *Praeb.* c. 37. *ead.* in 6.

*l*) c. 9. X. *ead.*

*m*) de ROYE *instit. iur. can.* L. II. tit. 15. §. 1.

*n*) IDEM *ibid.* §. 8. *sequ.*

*o*) c. 5. X. de *Praeb.*

*p*) CIRONIVS *paratitl.* X. de *Praeb.*

*q*) LARROQUANVS *adu. sacr.* L. II. c. 19.

## §. DCCCLXII.

Erectio  
corum.

Quum deinde erigantur varia ratione, (§.DCCCLIX.3.) notari debet: 1) huc referri *foundationem*: r) 2) *restitutionem* cum extinctum restituitur, s) vel vnitorum *dis-membratio* fit: t) (§.CMXLVII.) 3) *immusa-tionem* cum forma beneficii & qualitas mu-tatur. u)

## §. DCCCLXIII.

Variac de  
erectione  
obseruatio-  
nes.

Quum denique varia singularia in erec-tione obseruanda sunt, (§ DCCCLIX.4.) notari debet: 1) *foundationem* beneficiorum *in se consideratam*, nemini prohibitam esse; dum-modo 2) accedat *superioris auctoritas*, adeo-que 3) in maioribus *Pontificis*: (§.CCCLXII.) x) 4) in minoribus *Episcopi*, y) & quandoque *capituli*: z) *restitutionem* in maioribus a Pon-tifice, & quodammodo ab Episcopo. immo a capitulo fieri (§. CCCLXIII.) 2) 6) immuta-tiones in *deterius* saltem Pontifici; *in melius* vero etiam Episcopo competere: a) 7) in erec-tione beneficiorum considerari a) *locum*, vt beneficii qualitati sit congruus; b)  $\beta$ ) *causam*, vt sit legitima; t) (§.DCCLXXXVII.)  
y) per-

r) c. 25. X. de prael.

s) c. 12. X. de constitut.

t) c. 1. X. ne sed. vac.

u) CORVINVS *instit. iur. can. L. II. tit. 28. §. 16.*

x) c. 8. X. de excess. Prael.

y) c. 9. de consecr. D. 1.

z) CORVINVS *cit. l. §. 18. sequ.*a) IDEM *ibid.*

b) c. 28. C. 16 qu. 7.

c) c. 2. D. 99. c. 3. X. de eccles. aedif.

γ) *personas*, vt consensus eorum, quorum interest, ad sit: d) δ) *dotem*, vt sit sufficiens: e) g) erecta beneficia dioeceseos *Episcopo* subesse, f) nisi sint *exempta*, g)

## §. DCCCLXIV.

Etiā inter nos beneficiorum materia vt <sup>Vfus inter</sup> plurimum iuxta iura canonica diiudicari <sup>protestan-</sup> solet, dummodo hic notes: 1) auctoritatem <sup>tes.</sup> *Papalem* & *Episcopalem* intuitu protestantium suspensam esse: (§. XC VI. 2.) adeoque 2) quae de horum potestate occurrunt, *Principibus* nostris vindicari debere: b) 3) in *mixtis capitulis* nihil contra statum anni decretorii fieri posse. i)

## TIT. XXV.

## DE COLLATIONE BENEFICIORVM.

## §. DCCCLXV.

**V**idimus, beneficia esse reditus, quos per- <sup>Connexio.</sup> sona propter officium sacrum percipit; (§. DCCCLVII.) & quod vel electiua sint, vel collatiua; (§. DCCCLXI. 4.) de electione dixi, (§. CCXCIII. sq.) nunc de *collatione* agam.

## §. DCCCLXVI.

Est vero collatio: *libera quaedam beneficii* <sup>Quid collatio est</sup> seu *Praebendae, legitime facta concessio.*

## §. DCCCLXVII.

d) vid. cit. c. 3. X.

e) c. 8. X de consecr. eccles.

f) c. 10. C. 16. qu. 7.

g) c. 3. X de priuil.

h) conf. INSTRVM. PACIS artic. V. §. 48.

i) IDEM *ibid.* §. 10. & 23.

## §. DCCCLVII.

Divisio.

Dividunt eam in *ordinariam*, quae fit ab ordinario collatore, & *extraordinariam*, ubi a superiore, aut a *Principe* collatio fit, quum & hi quandoque *extraordinaria via* reuera beneficia conferre soleant. *k*) (§. CMX.)

## §. DCCCLXVIII.

Axiomata.

De ordinaria collatione notanda axiomata: I. Peragenda est ab eo, cui lex vel consuetudo illam tribuit. II. Conferenda sunt vacantia. III. Collatio fieri debito modo debet.

## §. DCCCLXIX.

Quinam ordinarii benefic. collatores?

Quum itaque collatio peragenda ab eo, cui *lex* vel *consuetudo* suffragatur; (§. DCCC LXVIII. 1.) sciendum est: 1) ordinarium collatorem esse *Episcopum*, sed 2) etiam *capitulum*, ex quo canonici vitam communem deseruerunt, (§. CCCCLXXV.) collationes ad se traxisse, & 3) alios etiam *Praelatos* seculares & regulares sibi collationem vindicasse: *l*) 4) quandoque *capitulum solum* conferre beneficia, & tunc forma *electionis* occurrit: *m*) 5) eam vel per *maiora vota*, vel per *turnum* peragi: *n*) 6) quandoque *confirmatione* opus esse, quandoque eam *exfulare*: *o*) 7) modo collationem penes *Praelatum* & *capitulum simul* esse, & tunc vtriusque consensus, nisi in altero impedimentum sit, (§.

*k*) de extraordinaria agam ad tit. de provisionibus. (§. CMII. sequ.)

*l*) c. 6. 14. & 15. X. de concess. Praeb.

*m*) ESPEN. iur. eccl. P. II. tit. 21 c. 3.

*n*) c. 41. de Praeb. in 6.

*o*) FLEURY institut. iur. can. P. II. tit. 15. §. 1.

(§. CCCXIII. 10.) desiderari: p) 8) quandoque Episcopum *solum*, sed cum *consensu capituli* collationem peragere, & tunc capitulum se intromittere non posse, nisi per *sex menses* Episcopus collationem neglexerit. q)

## §. DCCCLXX.

Quum deinde conferenda sint vacantia, <sup>Quae conferenda beneficia?</sup> (§. DCCCLXVIII. 2.) notari debet: 1) id eatenus saltem obtinere, si *realis collatio* cuiquam contingere debet: r) adeoque α) huc non pertinere generalem *promissionem* de conferenda Praebenda vacatura; s) nec β) collationem, ubi antea alii *non recte* fuit *assignata*; t) nec γ) casum: ubi prior *aliam Praebendam* nactus fuit; u) aut δ) de ea acceptanda, se nondum *declaravit*, cum sciuerit tempus consensui praestitutum: x) 2) beneficia vacantia dici: *quae a nullo aut non iure possidentur*; quod contingere solet: α) *de iure & de facto*, β) *de iure tantum*, γ) *de facto tantum*. y)

## §. DCCCLXXI.

Quum denique sint conferenda debito <sup>Modus in collatione observandus.</sup> modo; (§. DCCCLXVIII. 3.) intelligimus, 1) cur hic desiderentur personae qualificate: 2) cur conferri debeant *intra tempus*

M m 2

de-

p) c. 1. X. *ne sed. vac.*q) c. 2. X. *de Praeb.*r) c. 1. sequ. c. 13. X. *de concess. praeb.*s) c. 14. *eod.*t) c. 4. *eod. c. ult. X. de iur. patron.*u) c. 7. X. *de elect. c. 6. & 9. X. de conc. Praeb.*x) c. 17. *de conc. Praeb. in 6.*y) CORVINUS *inst. iur. can. L II. tit 30. §. 4. §. 9.*z) *vid. infr. tit. de qual. ad benef. necess.*

definitum: (§. CCCVI. seq.) 3) cur conferenda sine *deminutione*, a) adeoque a) *diuidi* regulariter nequeant, b) nec β) collatorem *fructus* retinere posse, nisi γ) cum capituli consensu, ob *iustam & necessariam* causam, ad tempus id fiat, c) puta, ob *aes alienum, annos gratiae, compensationem annorum carentiae*: 4) corollarii loco hic notari debere: non omnes electos a capitulo statim fieri *participantes* de ritibus, sed plerumque esse *expectuarios*: (§. CMIX. 4.) immo 5) alicubi tres esse classes canonicorum α) *maiores*, ii que vel *plene*, vel *minus plene* participantes; β) *minores*; γ) *electos*.

## §. DCCCLXXII.

Vfus inter  
protestan-  
tes.

Pleraque etiam inter protestantes obtinere, quis dubitet? quum capitulorum & praebendarum iura vere vnice ex hoc iure dimensurari soleant. Quae vero sint Principum circa collationem iura, (§. CMXI.) enucleabo. De reliquo varia ex his etiam ad eccles. parochiales fuere protracta, quorsum potissimum, quae de *deminutione* beneficiorum sancita sunt, pertinent, maxime si *patronatas ecclesias* respicias. d)

## TIT. XXVI.

## DE IVRE PATRONATVS

## §. DCCCLXXIII.

Connexio.

Vidimus, dici beneficia vel *libera*, vel *non libera*

a) c. vn. X. *vt benef. eccl. sine demin.*

b) c. 8. X. *de Praeb.*

c) c. vn. X. *vt benef. eccl. sine demin.*

d) v. HORNIVS *diff. vt ben. eccl. sine dem conferantur.*

*libera*, (§. DCCCLIX. 4.) quorsum pertinent *patronata*, quippe in quibus illi Praebenda conferenda est, quem Patronus praesentauerit: & hinc ad *ius Patronatus* ducimur.

§. DCCCLXXIV.

Plurimi doctorum ita hoc ius definiunt, vt Quid ius patronatus? *essentiam eius vnice fere in praesentatione* constituant, licet alii ad nudam praesentationem hoc ius haud restringant. Coniungam diuersas has sententias, & sic erit *ius Patronatus: ius praesentandi personam Episcopo, legitimo modo, ad vacans beneficium, comprehendens simul alias praerogatiuas, in retributionem, quod quis bona pro constituendo beneficio elargitus sit.\**

\* Origo procul dubio ex *oratoriis* domesticis, procerum nobiliumque potentiorum, quibus clericum praeficiebant, & ei bona iure *beneficii* conferebant, descendit. (§ DCCLXXXVII. \*\*\*) Deinde inualuit, vt ecclesiae & monasteria laicis in feudum darentur, quae *infeudatae ecclesiae*, tandem patrimonio laicorum adscriptae fuerunt. Facta haec potissimum sunt sec. VII. vbi *patroni* adpellatio stilo *peculiari* & *forensi* his possessoribus tributa, & ius eorum *ius patronatus* dictum fuit. Haec oratoria postea in dolem *parochialium ecclesiarum* acceperunt, saluo tamen iure dominorum in eas. Nil enim Episcopo competeat, nisi quod clericos sibi oblatos *examinare* & *ordinare* potuerit. conf. FRANC. FLORENS *opp. P. II. pag. 86. seq.* HL. BOEHMER *iur. eccl. Prot. L. III. tit. 38. §. 20. seq.* Hoc Episcopis admodum intolerabile visum, qui propterea eo studia sua direxerunt, vt nihil proprii Patronis relinqueretur, & hinc sensim ita deminutum fuit, vt *essentia eius in iure praesentandi vnice collocata* esset. Varias technas indicauit HL. BOEHMER *cit. l. §. 53. sequ.* §. D.

## §. DCCCI XXV.

Diuisio.

Diuidunt illud 1) in *ecclesiasticum* & *laicale*: illud est, quod alicui competit *ratione ecclesiae*, quam tenet, & ita beneficio ecclesiastico cohaeret; \*) hoc est: quod quis ob *fundationem, dotationem, constructionem vel a se, vel a maioribus ex proprio patrimonio factam, exercet*: f) 2) in *reale*, quod *praedia* cohaeret; & in *personale*, quod *heredes* sequitur: 3) in *plenum* & *irregulare*, quod in *praesentatione* proprie sic dicta; & in *minus plenum seu irregulare*, quod solo *consensu*, aut *uoto* quodam *negatiua* consistit.

\* Hoc ex *commendis, vniuersibus, incorporationibus, & donationibus* ecclesiarum patronatarum ortum duxit.

## §. DCCCLXXVI.

Axiomata.

Hinc fluunt axiomata: I. Ius *primarium iuris Patronatus* consistit in *praesentatione legitime facta*. II. Potest etiam pluribus competere. III. Exerceri debet modo legitimo. IV. Est saltem certo respectu in bonis. V. Tribuit iura quaedam honorifica, vtilia, onerosa.

## §. DCCCLXXVII.

Praesentationis indoles.

Quum itaque ius *primarium iuris Patronatus* consistat in *praesentatione*, (§. DCCC LXXVI. 1.) sequitur: 1) vt ius *nominandi* \* & *vocandi* ab eo abesse possit: g) 2) vt praesentatio ad *alterius nominationem* fieri possit: b) 3)

e) ER. de ROYE *de iur. Patr. in prof. c. 6.* DNIUS BRUN-QUELL *diff. de iur. Patron. cler. & laic. differentia.*

f) COVARRUVIAS *obseru. pract. c. 36. nr. 2.*

g) SCHILTER *instit. iur. can. L. I. tit. 14. §. 9. sequ.*



b) 3) vt tamen regulariter ius *nominandi praesentationi* insit: 4) vt irregulare sit, vbi *nudus consensus* Patroni requiritur, quale quid tunc contingit, si ecclesia est *electiua*: i) 5) vt pari ratione ad exceptiones pertineat, vbi *plures* praesentandi sunt, id quod ex *uariatione* Patronorum deduco: nec non 6) vbi praesentatio saltem ad *parochum* seu *Rectorem* est restricta, licet id iam olim ita obtinuerit: k) 7) vt praesentatio fiat per *litteras* patroni a praesente candidato exhibendas episcopo: l) 8) vt praesentatio *nullum ius* tribuat praesentato, quod demum per *admissionem* consequitur: m) 9) vt laicus patronus propterea *variare* & alium praesentare possit, etiam tunc, vbi praesentatus ab Episcopo reiectus fuit: n) 10) vt *habilis* praesentari debeat: (§. DCCCLXXI. i.) o) 11) vt praesentatio *collationem* & *uocationem* haut contineat: p) 12) vt sic Patronus nec ad *institutionem* concurrat. q) (§. DCCCLXXXVI. seq.)

\* Hic nominatio denotat *designationem subiecti*, quod a Patrono praesentari necessario debet: nam, alias vocem admittere significationes, notum est.

M m 4

§. DCCCLXXVIII.

b) conf. Ill. LVDEWIG *de nominat haer. ad parochi*:

i) c. 25. *de iur patron. CIRONIVS in paratitl. eod.*

k) de ROYE *cit. loc. ad c. 30. X. de iur. Patron.*

l) c. 6. X. *de his, quae fiunt a Prael. FINCKELTHAVS de iur. patron. c. 6. nr. 140.*

m) c. 5. 18. & 29. X. h. t.

n) c. 5. & 24. X. h. t.

o) de ROYE *instit. iur. can. L. II. tit. 17. §. 9.*

p) c. 31. X. h. t.

q) c. 4. X. h. t. CIRONIVS *in paratitl. eod.*

## §. DCCCLXXVIII.

Quid obtineat, ubi plures iure praesentandi gaudent.

Quum deinde etiam pluribus competere possit, (§. DCCCLXXVI. 2.) sequitur: 1) ut quidem convenire possint patroni, ut per *turnum* praesentent, r) immo ut *sortis* iudicio rem committant: ut tamen, 2) si hoc non fecerint, designatio personae mediante quadam *electione* fieri debeat: 3) ut tunc quidem obtineant *maiora*: s) sed 4) ut si pluribus *quae collegio*, competat, *maiora respectu totius collegii* adesse debeant; si vero 5) pluribus, *ut singulis*; tunc *simpliciter maiora* valeant: t) 6) ut in iure Patronatus *reali*, vota iuxta *praedia*; in *personali* vero iuxta *heredes* numeranda sint: u) 7) ut tunc, ubi unius patroni plures sunt heredes, vota ad *singulos* simpliciter transeant; sed ubi iure *repraesentationis* aut in *stirpes* successio fit, tunc *plures* personae *rotem unius* saltem habeant: x) 8) ut quandoque ad praesentationem etiam tertius concurrat cum *voto negativo*.

## §. DCCCLXXIX.

Quando & quo modo fieri debeat?

Quumque porro exerceri debeat modo legitimo; (§. DCCCLXXVI. 3.) sequitur: 1) ut *venum non exponenda* praesentatio, nec in plus licitantis fauorem facienda sit: y) 2) ut facienda sit intra *tempus praestitutum*, puta,

r) *Clement. 2. h. t.*

s) c. 3. X. h. t.

t) BRUNNEMANN *iur. eccl. L. II. c. 8 § 18.*

u) de ROYE *de iur. Patron. in proleg. c. 9.*

x) de ROYE *cit. loc. c. 29. Clement. 2. h. t.*

y) vid. *Tract. meus de Simon. crim. Sect. 1. c. 7. §. 8. sq.*

ta, a laico Patrono intra *mensēs quatuor*; ab ecclesiastico intra *mensēs sex*: yy) 3) ut tempore hoc elapso *Episcopus* rectorem ecclesiae praeficere possit; ita tamen, ut 4) hoc fatale non a *vacantia*, sed a *scientiae* tempore currere incipiat: (§. CCCVIII. seq.) z) 5) ut praesentatio regulariter saltem ad beneficium *vacans* fieri possit, (§. DCCCLXVI. 2.) a) 6) ut tamen coadiutoris constitutio (§. CCCCVIII.) sub prohibitione comprehensa non sit.

### §. DCCCLXXX.

Quum deinde saltem certo respectu *in bonis* sit; (§. DCCCLXXVI. 4.) consequens est, ut quidem in *heredes* vel *possessores* transeat, prout illud vel *reale* vel *personale* est; b) immo 2) in *creditorem antihreticum*: c) 3) in *conductorem*, si nominatim exceptum non est, maxime si *ad firmam* conductio facta: d) 4) in *usufructuarium*, 5) *possessorem dotalitii*, 6) *maritum*, si fundo dotali cohaeret; e) 7) *fideicommissarium*, 8) *bonae fidei possessorem*, f) 9) *sequestrem*; g) 10) ut etiam *titulo singulari*,

Quatenus  
sit in bonis ?

M m 5 do-

yy) c. 22. X. h. t. c. vn. h. t. in 6.

z) c. 3. X. h. t. TONDUTI *resol. quaeft. benef. P. II. c. 4.*  
§. 9. nr. 27. & 28.

a) c. 2. & 11. X. de *concess. Praeb.*

b) c. 13. X. h. t. *Clement. 2. h. t. de ROYE cit. loc. in proleg. c. 19.*

c) III. BOEHMER *cit. loc. §. 111.*

d) c. 7. X. h. t.

e) BARBOSA *ad c. 7. X. h. t.*

f) TONDUTI *cit. loc. nr. 7 sequ.*

g) STRUVE *Exercit. ad ff. XXI. §. 53.*

donationis, permutationis, venditionis, transferri possit, dummodo in venditione nullum eius pretium constitutatur; quum *spirituali annexum* sit: gg) (P. II. §. CCLXXV. 25) 12) vt *se ipsum* aut *liberos suos* nemo praesentare possit: b) 13) vt denique nihil *proprie iuris* in ecclesia habeat patronus, nec reditus in suos usus conuertere possit. i)

## §. DCCCLXXXI.

Iura Patronorum honorifica.

Denique cum *iura* quaedam honorifica, utilia, onerosa tribuat, (§ DCCCLXXXVI. 5.) sciendum est, 1) ad iura *honorifica* referri a) honorem *thuris & suffitus*, β) *processionis*, γ) *panis benedicti*, δ) *aquae benedictae*; k) porro e) honorem *precum*, quod nominatim in precibus publicis Deo sint commendandi; l) ζ) *ludus* publici ecclesiastici; m) η) honorem *sedis* in choro; n) & θ) honorem *sepulturae*: (§. DCCCLXXXIII. 8.) inde etiam sine *consensu* patroni nemo in ecclesia *sepeliri* potest: o) 2) ad *utilia* pertinere, α) vt ad egestatem redactus ab ecclesia cum suis *alendus* sit; p) β) *censum* & γ) quandoque *laudemium* percipiat: q) 3)

Utilia.

gg) CORVINUS *instit. iur. can.* L. II. tit. 33. §. 16. ESPEN. *iur. eccl.* P. II. tit. 25. c. 4. nr. 32. c. 16. X. h. t.

b) c. 6. & 26. X. h. t.

i) c. 26. & 27. C. 16. qu. 7. c. 2. X. de *suppl. neglig. Prael.*

k) vid. de his de ROYE *de iur. honorif. in eccl.* L. I. c. 5. 7. 12. & *ult.*

l) IDEM *ibid.* c. 6.

m) HORNIVS *observ. iur. eccl. circ. ius. patron.* c. 1.

n) de ROYE *cit. l.* Lib. II. c. 3.

o) IDEM *ibid.* ESPEN *cit.* loc. c. 7. §. 25.

p) c. 25. X. b, r.

g) 3) Ad *onerofa* pertinent: α) *sollicitudo* bonorum ecclesiasticorum; \* r) β) quod quandoque ad *refectionem* ecclesiae concurrat; \*\* (§. DCCCLXXXVIII. 5.)

\* Inde tamen quaedam iura, quae *honorifica* dici possunt, nata sunt v. g. quod alicubi *administratores* bonorum constituant: in mutuo & alienatione eorum *consensus* desideretur; alicubi *rationum redditioni* intersint. III. BOEHMER *iur. paroch. Sect. VI. c. 1. §. 19. c. 3. §. 4.*

\*\* Modi amittendi hoc ius sunt: 1) Si *ecclesiae* a Patrono fuerit collatum; 2) si passus fuerit, ecclesiam fieri *collegiatam* sine reservatione iuris; (§. DCCCLXXXVII. 4) 3) si *ecclesia interierit*, aut 4) ab *infidelibus* occupata fuerit; 5) si Patronus sit *haereticus*: 6) *crimen*, quod in re feudali feloniam audit, commiserit, aut 7) iure *non usus* fuerit. conf. de ROYE *de iur. patron. in proleg. c. 38.*

## VSVS DOCTRINAE INTER PROTESTANTES.

### §. DCCCLXXXII.

Pleraque servat praxis protestantium, sed cum in quibusdam recedat, paucis ea observabo. Dixi originarie hoc ius *dominium directum* inuoluisse, (§. DCCCLXXX. \*) inde ita definiendum foret, quod sit: *dominium quoddam directum, Patrono competens, vi cuius a se praesentatum, ab Episcopo approbatum & ordinatum, ecclesiae praescribit, de bonis investit, iura honorifica & vtilia percipit, sed & onera quaedam ferre tenetur.*

Genuina iuris patronatus definitio.

### §. DCCC

q) de his ageretur ad tit. *de oner. benef.* conf. MICHAELIS PERROY *traité des droits honorif. & vtilis des Patrons.*

r) c. 31 sequ. C. 16. qu. 7.

## § DCCCLXXXIII.

Confectaria  
inde dedu-  
cta.

Exinde variae nascuntur observationes: Sic 1) Patronis non invidemus *collationem* beneficiorum, (§ DCCCLXXVII. 1.) quod sint domini directi, & *vocatio* eorum, surrogatum electionis antiquae sapiat: adeoque 2) saepius *litteris praesentationis* vocatio insit, licet alicubi ea demum post *admissionem* offeratur: sic 3) ad *institutionem* (§. DCCC LXXVII. 12.) ob hoc dominium omnino concurrunt: (§. DCCCXCV. 4. seq.) 4) reputatur hoc ius pro *bonorum accessorio*, & sic in venditione *pretium* recipit: at 5) ius aperiendi cathedram ad *concionem* *δοκιμαστικὴν* s) Patronis denegatur.

## §. DCCCLXXXIV.

Miscellanea  
observationes  
de iure  
patron pro-  
testantium.

Porro notari debet, 6) *vetus negativum* (§. DCCCLXXVIII. 7.) saepius in vocatione Diaconorum, custodum, ludimoderatorum, *pastori* competere, qui tamen propterea ius *compatronatus* sibi adserere nequit: 7) hoc ipsum etiam exercere *parochianos*: t) 8) *tempora*, intra quae praesentatio facienda, mirifice variare: 9) ex iuribus Patronorum *bonorificis* ea, quae *superstitionem* sapiunt, apud nos exfulare: (§. DCCCLXXXI. 1. α ad δ) 10) in reliquis, nisi contraria lex aut consuetudo obster, *ius canonicum* observari.

TIT.

s) CONF. DNUS KRAVSE diff. de conc. docimastica.  
t) CARPZOV. P. I. dec. 6. ZIEGLER de Episc. L. II.  
c. 3. §. 13.

## TIT. XXVII.

## DE INSTITVTIONIEVS.

## §. DCCCLXXXV.

**I**nstitutio est sequela iuris patronatus, ideo Connexio. adhiberi solita, ne *praesentatio* inferre videatur *collationem*. Sic quum patronus saltem *praesentet ad beneficium*, Episcopus vero tunc mediante *institutione* illud conferat; ad hanc ordo nos ducit.

## §. DCCCLXXXVI.

Est vero institutio in sensu *speciali* \* sumpta: Definitio institutionis. *beneficii, iuri patronatus subiecti, ad praesentationem patroni facta translatio. u)*

\* *Generaliter* loquendo, institutio nihil aliud foret, quam canonica collatio officii sacri, cum omnibus inde dependentibus commodis. (§. DCCCXCIII, seq.)

## §. DCCCLXXXVII.

De institutione in sensu *speciali* notanda Axiomata. axiomata. I. Facienda ab eo, cui ius conferendi de iure vel consuetudine competeret, si libera esset ecclesia. II. Fit ad praesentationem Patroni. III. Tribuit ius percipiendi fructus.

## §. DCCCLXXXVIII.

Ex primo (§. DCCCLXXXVII. 1.) discimus, 1) quod collatio ab Episcopo, capitulo aliisque Praelatis fieri soleat, (§. DCCCLXIX. 1. seq.) illis etiam ius *instituenti* competere; 2) *radicaliter* tamen sicut ipsa collatio penes

Quis institutionem peragat?

u) CORVINVS *inj. iur. can.* L. II. tit. 31. §. 2.

x) CORVINVS *cit. l.* §. 3.

nes *Episcopum* residere : 7) 3) *Archi-Diaconis* per delegationem cessisse, hosque ut plurimum inde *iur proprium* sibi vindicasse; (§. CCCXXIII, 10.) licet, 4) intuitu capitularium & canonicorum plerumque per *Decanum* exercentur.

## §. DCCCLXXXIX.

Ad cuius instantiam?

Ex secundo, (§. DCCCLXXXVII. 2.) notandum 1) hoc procedere siue *verus*, siue *putativus* sit Patronus; 2) siue *unus* siue *plures*; (§. DCCCLXXXVIII.) a) 3) institutionem sprete praesentatione Patroni factam *nullam* esse. b)

## §. DCCCXC.

Effectus.

Ex tertio (§. DCCCLXXXVII. 3.) notari debet: 1) hanc institutionem dici *verbalem*, adeoque 2) institutum quidem consequi *iur in re*, non tamen 3) actualem possessionem, quippe quae aliquod *factum & reale* institutionem desiderat; 4) nancisci sic potestatem *administrandi officium*, ratione beneficii, iuri patronatus subiecti.

## VSVS INTER PROTESTANTES.

## §. DCCCXCI.

Transitus ad doctrinam de institutione in sensu generali.

Quum protestantes Patronis beneficiorum collationem non inuideant; (§. DCCC LXXXIII. 1. seq.) consequens est, ut institutio in sensu *speciali* sumpta (§. DCCCLXXXVI. 1.) apud nos vix occurrat. Quum vero institu-

tio

7) conc. Trid. Sess. XIV. de ref. c. 13.

2) c. 31. sequ. C. 17. qu. 7.

a) c. 1. sequ. de iur. patron.

b) c. 1. C. 16. qu. 7.



tio in *generali sensu* (§. DCCCLXXXVI. \*) nec apud Pontificios incognita sit, & in nostris etiam ecclesiis obtineat, de ea pauca dicenda erunt.

### §. DCCCXCII.

Est vero haec institutio duplex: vel *verbalis*, vel *realis*. Illa consistit in eo, *ut ex declaratione voluntatis eius, qui ius conferendi habet, beneficium quis consequatur.* \* Haec est: *vbi actualis possessio officii sacri alicui traditur.* \*\* c)

Diuisio.

\* Est instar donationis, *traditione symbolica* perfectae. Sic est instar *inuestiturae abusivae*, quae etiam saltem *ius* in feudum non *actualem possessionem* tribuit. Vlitatissimae olim erant traditiones symbolicae, & talis actus *vestitura*, seu *inuestitura* dictus fuit. conf. consult. Dn. OTTO in diff. *de iurispr. symbol.* Talis inuestitura adhuc hodie in Canonica- tum traditione occurrit, per impositionem *Bireti*. In nostris ecclesiis *ordinatio*, (§. DLIII. 4.) *confirmatio*, *litterarum vocationis extraditio*, (§. DCCCLXXXIII. 1. & 2.) huc pertinent.

\*\* Est instar *ditionis possessionis*, adeoque *inuestitura realis* hic occurrit.

### §. DCCCXCIII.

Realis vero institutio, quae etiam *introductio*, *inthronisatio* dicitur, & etiam inter pontificios occurrit, describi potest, quod sic: *solemnis & publica missio in possessionem officii & beneficii ecclesiastici.*

Quid institutio realis?

### §. DCCCXCIV.

Indè notandum: 1) inuestituram in *generali sensu* sumtam, siue *verbalis*, siue *realis* sit,

Variae de institutione observatio.

c) c. 6. X. de institut.

nes ex praxi pontificiz.

fit, dici *iuris Episcopalis*: (§. DCCCLXXXIII) d) 2) hinc etiam canonicos priuato aufu possessionem non occupare, sed *inuestituram* accipere: e) 3) solemnia vero maxime quantum ad *capitula* variare, iuxta statutorum & locorum diuersitatem: f) 4) reliquorum clericorum inuestituram plerumque per *Archi-Diaconos* expediri, (§. DCCC LXXXVIII. 3.) qui tamen quandoque etiam *per alios* ea expediunt.

### §. DCCCXCV.

Ex praxi protestantium.

Iuxta protestantium doctrinam, omitti posset, si *ordinatio in ecclesia vacante* fieret; (§. DLIII. 2) sed quum ordinationi varios effectus tribuat, & sic perperam ab institutione eam separent; paucis praxis delineanda est: 1) hunc actum *iuris Episcopalis* dicunt, g) quod, quam absonum sit, ex supra traditis constabit; (§. LXXVIII. seqq.) 2) per clericos iam *inuestitos* inuestituram peragi volunt; h) quas tamen naenias ipsa experientia refellit: i) 3) vt *orthodoxus orthodoxum* instituat, desiderant; k) quae tamen cantilena pontificia a puritate nostrae religionis abesse debet: 4) vt Patronus intuitu *officii* non in-

d) CORVINUS *de pers. & benef. eccl.* P. II. L. V. tit. 8. nr. 14.

e) BARBOSA *de canon. c. 15. nr. 1. seqq.*

f) LEVRENIUS *for. benef.* P. II. qu. 804. nr. 1.

g) CARPZOV *iurispr. consist.* L. I. d. 55. nr. 2.

h) SCHILTER *instituz. iur. can.* L. I. tit. 16. §. II.

i) vid KOPPEN *dec.* I. e. iud. 2. L. B. de LYNCKER *dec* 95.

k) SCHILTER. *cit. loc.*

inuestiat, licet *inuestiturae* actui *interfit*: l) id quod tamen contra praxin antiquam adstruitur: 5) vt tamen de *parochialibus bonis* parochum inuestire possit: m) 6) vt inuestitura de officio in ecclesia reuera *nonam ordinatio-* nem inferat. Corollarii loco obseruo, 7) hanc inuestituram peragendam esse *prius, quam* quis officium *suscipiat*, non vero post susceptionem, vti peruersa praxis fert.

## TIT. XXVIII.

## DE QUALITATIBVS AD BENEFICIA NECESSARIIS.

## §. DCCCXCVI.

**H**abilem esse ad beneficium praesentandum, (§. DCCCLXXVII. 10.) habili beneficium esse conferendum, (§. DCCCXCI. 1.) obseruauit. Quinam vero *habiles sint*, paulo penitius circumspiciendum.

## §. DCCCXCVII.

Habiles vero dicuntur: *qui qualitates externas possident*, \* *quas* 1) *lex*, 2) *consuetudo*, 3) *seruitium*, ob cuius praestationem beneficium confertur, *exigit*. Connexio, Qui habiles?

\* Non loquor hic de irregularitate, quae a clericali arcet, (§. CLXXV. seq.) sed de *singularibus* quibusdam *qualitatibus* ad beneficia consequenda necessariis.

## §. DCCCXCVIII.

Sic I. *Lex* a beneficii arcet: α) *laicos*, n) quibus tamen inter protestantes inhabilitas

N n

obii-

l) CARPZOV. cit. l. d. 55.

m) SCHILTER cit. loc. §. 10.

n) c. 17. X. de decimis.

obiici nequit;  $\beta$ ) *pueros*;  $\gamma$ ) *haereticos* eorumque fautores, receptatores;  $p$ ) (P. II. §. CCXCVIII.)  $\delta$ ) *beneficium habentes*.  $q$ ) (§. CM XXVII. iunct. §. CMXXXII. seq.) II. *Consuetudo* alicubi prohibet,  $\alpha$ ) *ignobiles*, & ingenuos natiuitate seu *nobili prosapia* ortos defiderat;  $r$ )  $\beta$ ) immo quandoque postulat *nobiles auita nobilitate* coruscantes;  $s$ )  $\gamma$ ) *arcet peregrinos*, & hinc in Germania nostra non nisi *Germani* ad capitula admittuntur.  $t$ ) III. *Seruitium*, licet lex deficeret, non admittit,  $\alpha$ ) vt clerici *seculares* (§. CCCCLXXV.) ad *Praebendas monasteriorum*  $\beta$ ) aut ad *Praebendas regularium*; (sed conf. §. DIV. \*\* & §. CM XXXII. seq.) aut  $\gamma$ ) *regulares* ad *beneficia secularium*; aut  $\delta$ ) qui in sacris sunt, (§. CCX. sq.) ad *sacerdotalia* adspirare possunt.  $x$ )

## TIT. XXIX.

## DE RESIGNATIONIBVS ET DEVOLUTIONIBVS.

## §. DCCCXCIX.

Connexio.

**V**acantia saltem beneficia conferri posse, variosque *vacantiae* modos esse, obseruauit; (§. DCCCLXX.) sed quum in vacantia, quae

---

$o$ ) c. 35. X. de Praeb.

$p$ ) c. 2. de haeret. in 6.

$q$ ) c. 35. X. de Praeb. c. 3. X. de cleric. non resid.

$r$ ) HOEPING de iur. insign. L. IV. c. 7. nr. 71. GVNDBLINGIAN. P. XI. art. 1.

$s$ ) HOEPING cit. loc. c. 11.

$t$ ) conf. Fabri Staats-Gezetz T. V. pag. 127. seq.

$u$ ) c. ult. X. de stat. monach.

$x$ ) FLEURY institut. iur. can. P. II. c. 19. §. 1. sequ.

quae per *resignationem* (§. CCCLXXVI. seq.) & *deuolutionem* (§. CCCVII. seq.) contingit, singularia quaedam praeter obseruata occurrant, paucis ea adnotanda erunt.

## §. CM.

Dixi de resignatione; (§. CCCLXXVI. sq.) sed de ea, quae in *fauorem tertii* fit, spicilegium instituendum est. Dixi, resignationes *conditionatas* fieri in *manus Pontificis*, (§. CCCLXXXIV. 5.) & hinc constat: 1) *procuratoria* opera hic vt plurimum opus esse: 2) notari debet, *impuberes* resignare non posse: 3) *fauorem resignantis* saepius tantum esse, vt licet procuratorem ad resignationem faciendam constituerit, intra annum vero resignatio sequuta non fuerit praesumptiue *reuocata* procuratio censeatur: 4) *regressum* ad beneficium resignatum (§. CCCLXXXV.) etiam ex praxi tunc in mundo esse, a) vbi *decumbens*, qui nunc valetudinem recuperauit, *resignauit*; β) si *minor* inductus fuerit ad resignandum; γ) si *conditio* adimpleta non fuerit.

Observationes miscellae de resignatione in fauorem tertii.

## §. CMI.

De *deuolutionibus*, vbi ob neglectum electionis aut collationis tempus, in superiorem ius conferendi deuoluitur, dixi; (§. CCCVII. seq.) sed hic deuolutio audit: 1) vbi collator *providet personam indignam* aut 2) ecclesiasticus patronus, qui variate nequit, (§. DCCCLXXVII. 9.) *inidoneum* praesentauerit; aut 3) post collationem *irregularitas* quaedam *superuenerit*. His casibus *per deuolutio-*

Quid hic deuolutio?

*nem vacare* dicitur beneficium, hoc effectu, ut alii illud a *superiore & ordinario collatore* conferri possit.

## TIT. XXX.

## DE PROVISIONIBVS.

## §. CMII.

Connexio.

**D**ixi, collationem beneficiorum esse vel *ordinariam*, vel *extraordinariam*, (§. DCCCLXVII.) de priori satis actum, sic de posteriori, quae *prouisionum* nomine venit, differendum est.

## §. CMIII.

Quid proprie prouisio?

Prouisio in generaliore significatione nihil aliud est, quam *diploma collatoris*, vi cuius *declarat, se conferre indiuiduo cuidam beneficium vacuum*. Sic prouisio cum *vocatione* coincidere videtur.

## §. CMIV.

Quid hic significet?

Sed hic prouisio denotat: *collationem quamdam extraordinariam & gratiosam, a Pontifice, eius legato, alio ordinario collatore, immo & a Principe, modo ad vacans, modo ad vacaturum beneficium, factam*. \*

\* Origo extraordinariorum collationum haec est: *Pontifices olim commendabant bene meritos ordinariis collatoribus, rogantes, ut his beneficia conferrent. Hae preces nullam obligationem perfectam obtinebant, sed mox armatae preces & mandata emanarunt. Pontificem imitati sunt Principes, quorum preces & commendationes etiam ab initio ab arbitraria admissione collatoris dependebant. Sed una tantum vice tales preces ad ecclesias ab initio dirigebant. Quum vero quidam collatores flo-*  
cifa-

cifacerent has preces, cogitauit Pontifex, qua ratione non salutatis collatoribus, beneficia conferre posset *directo*. Hinc dabat *expectatiuas*, aut suae collationi beneficia *referuabat*, quibus ausibus demum per concordata nationis Germanicae modus positus, ab Episcopis vero in imitationem tractus fuit.

## §. CMV.

Tenenda de tali collatione axiomata: I. Axiomata. Pontifex extra ordinem confert beneficia, quae in curia Romana vacant. II. Dat quoad reliqua expectatiuas & mandata de prouidendo. III. Episcopi, alii praelati & collatores saltem tacitas expectatiuas concedunt. IV. Principes precibus, vt dicuntur, primariis, reuera beneficia conferunt.

## §. CMVI.

Quum itaque Pontifex conferat beneficia in curia Romana vacantia, (§. CMV. 1.) sciendum est, 1) hanc collationem profluxisse ex *referuationibus* papalibus, quibus hinc inde, etiam in concordatis nationis Germanicae, (§. CXXIX.) modus positus fuit: 2) ipsa tamen concordata Pontificis collationi referuare; omnes Patriarchales, Archi-Episcopales, & Episcopales ecclesias, monasteria, dignitates, personatus, officia, & omnia beneficia ecclesiastica cuiuscunque generis, si  $\alpha$ ) apud *sedem apostolicam*,  $\gamma$ ) aut  $\beta$ ) per *depositionem*, *priuationem*, *translationem* vacauerint; (§. CCCLXIX. 3.)  $\gamma$ ) si *electio cassata*, aut *postulatio repulsa*; (§. CCCXVIII. 5. & §.

De vacantia, quae in curia Romana fieri dicitur.

N n 3

CCG

CCCXXIX. 6. seq.) d) si *renuntiatio auctoritate Pontificis* admissa; (§. CCCLXXXII. I. seq.) e) si *officialis Romanae ecclesiae decesserit*; f) si *beneficia promotione papali obtenta tempore promotionis rursus vacent*; g) si *adsumtus ad beneficium, auctoritate Pontificis aliud consequatur*; h) si *electio intra legitimum tempus* (§. CCCXXVIII.) *apud sedem Romanam non fuerit praesentata*; 3) Pontificem conferre vi reservationum beneficia in *mense papali vacantia*; & 4) determinata per *regulas cancellariae*, (§. CIX. \*\*\*) quae tamen contra concordata, in Germania nil efficiunt.

## §. CMVII.

Quid expectatiua?

Quum deinde Pontifex etiam expectatiuas & mandata de prouidendo dare soleat, (§. CMV. 2.) sciendum est, expectatiuam esse: *spem muneris ecclesiastici nondum vacantis, promissam in casum, quo vacauerit*; mandatum de prouidendo vero: *gratia expectatiua in beneficium incertum*. Inde diuisio inualuit expectatiuarum in *expressas & tacitas*.

Quid mandatum de prouidendo?

Diuisio expectatiuarum.

Miscellaneae observationes de extraordinariis collationibus.

## §. CMVIII.

Hinc notandum: 1) Pontificem saltem concedere expectatiuas *expressas*: 2) conferre beneficia *pure, die adiecta & sub conditione*: a) 3) legatos *natos & missos* nulla beneficia conferre, nisi illis specialiter indultum: (§. CCCCLI. seqq.) 4) *legatum a latere* (§. CCCCLIV.) etiam beneficia suae concessionis

2) CORVINVS *cit. l. §. 14.*

a) IDEM *ibid. §. 15. seqq.*



ni *reseruare* posse (§. CCCCLVI 5.) 5) *expectatiuas*, cum mera in spem (§. CMVII.) contineant, nullum ius tribuere *expectatiuario*, sed *reuoationi* varia ratione obnoxias esse; b) 6) Pontificem collationem facere vel motu proprio, vel ad *petitionem alterius*; c) licet 7) cum plerumque ad precistarum instantiam haec clausula mandatis de prouidendo inferi soleat, recte hic motus diuidatur in *verum & simulatum*. d)

## §. CMIX.

Quum deinde Episcopi, Praelati, aliique collatores, saltem *tacitas expectatiuas* cedant, (§. CMV. 3.) sciendum est: 1) Innocentium III. subtili quadam distinctione, hoc ipsum indulsisse; e) 2) Bonifacium VIII. & postea concilium Tridentinum eam reprobasse; f) sed 3) vi *immemorialis consuetudinis* semper propugnatam, adeoque ad nos quoque propagatam fuisse *expectatiuam*: g) 4) intuitu *receptorum in canonicos*, reuera *expectatiuam* quandam occurrere quoad *Praebendam*, (§. DCCCLXXI. 4.) licet quoad

De *expectatiuis ordinario- rum collatorum*.

N n 4

Ca-

b) conf. HORN *de expectat. eccles.* STRYK *diss. de expectantiis & diss. de conc. expectat. gen. & spec.*

c) CORVINUS *cit. l. §. 10. sequ.*

d) conf. STRYK *diss. de motu propr. Princ.*

e) c. 14. X. *de conc. Praeb.*

f) c. 2. *de conc. Praeb. in 6. Concil. Trident. Sess. XXIV. de ref. c. 19.*

g) conf. LEVRENIUS *for. benef. P. II. qu. 3. nr. 3.*

*Canonicatum* recepti eiusmodi veri sint *cānōnici*, non simplices *exspectatiuarii*. b)

§. CMX.

De precibus primariis.

Quum denique Principes precibus primariis reuera beneficia conferant. (§. CMV. 4.) sciendum est: 1) reuera initio preces exaratas (§. CMIV.\*) & *primas* vocatas fuisse, quod *semel* tantum in vita in singulis ecclesiis illis vterentur; sed tractu temporis in *ius perfectum* abiisse: 2) esse hodiernum *preces* sed tales, quibus *primitiae obsequii* debentur: 3) etiam *Principes Imperii* in suis territoriis iam olim eas exercuisse: i) 4) ipsum hoc ius suo modo *vicariis imperii* competere: k) 5) Imperatorem hoc ius exercere citra *indultum Pontificis*; l) sed 6) dubium esse, vtrum in *statuum Protestantium* territoriis, illas exercere possit.

§. CMXI.

Vfus inter Protestantes.

Extraordinariae hae collationes nec inter protestantes incognitae, dummodo & hic notes, Pontificis & Episcoporum potestatem intuitu protestantium suspensam esse. Ast prin-

b) STRYK *de expectant.* c. 5.

i) REINHARD *de iur. Princ. circ. sacr. ante reform.* c. 4. §. 12. S. F. HAHN. *diff. de obseru. iur. publ. med. aevi.* §. 8. n. y.

k) conf. Illust. GRIBNER *de precib. primar. vicar. imper.*

l) IDEM *dissert. de prec. prim. imp. citr. indult. Pontif. validis.*

principes nostri 1) *menses Papales* (§. CMVI. 3.) sibi vindicant in capitulis mediatis: 2) reliquos casus Pontifici per concordata *reseruat* (§. CMVI. 2.) pariter ad sua *reseruata* trahunt: (§. CXXIX. 4.) 3) *expectatiuas*, (§. CMVII. seq) libere indulgent; m) & 4) *primarias preces* (§. CMX.) etiam exercent. n)

## TIT. XXXI.

## DE ONERIBVS BENEFICIORVM.

## §. CMXII.

**B**eneficia conferri propter *officium sacrum* (§. DCCCLIX. 1.) sine *deminutione* ea esse conferenda, (§. DCCCLXXI. 3.) dixi. Sic *Praebendatus* fructus adsignatos percipit. Sed ante omnia de rebus *onera*, quibus ferendis beneficium obnoxium est, ferre tenetur. Haec quum tam *liberis*, quam non *liberis* beneficiis (§. DCCCLVIII. 4.) inhaereant, strictim de illis agam.

## §. CMXIII.

Inter haec onera refertur: I. *Reparatio aedium*, immo ipsius ecclesiae, \* (§. DCC LXXXVIII. 4.) ita tamen, vt α) in ruinosis praediis ultra *tertiam* prouentuum non teneatur; β) alicubi in *parochiali ecclesia* chori & suggestus reparatio ab illo, qui *decimas maiores* (§. DCCCXLIV. 3.) recipit; sed γ) reliquorum aedificiorum a *parochianis* facien-

Onus beneficii est 1) reparatio.

N n 5

da

m) STRYK de iur. Pap. Princ. euang. c. 3. §. 6. HOR-  
NIVS cit. loc. §. 14.

v) STRYK cit. loc. c. 4. §. 3.

da sit; (§. DXCVII. 4.) δ) vt in *patronatis ecclesiis* plerumque Patrono & parochianis simul (§. DCCCLXXXVIII. 5. & §. DCCC LXXXI. 3. β.) incumbat.

\* Olim resectio ex *quarta Fabricae* (§. DCCC LVII. \*) facta, quam cum beneficiarii sibi vindicarent, ex redditibus vt reparationem facerent, illis iniunctum fuit.

### §. CMXIV.

2) Decimarum solutio.

Porro huc pertinet: II. *Decimarum pensio*, quae alicubi vt in Gallia *Principi* praestanda; certe si in alia parochia praedia stipendiaria sita, *Parocho* exsoluenda est. (§. DCCCXLVII. 4.) III. *Census* Episcopo debiti. Est vero census: *annua pensio, in variis finem praestita*. Hinc etiam in lignum *subiectionis* variis census Episcopo debentur, quorsum pertinent; α) *cathe-dra-ticum* seu *synodaticum* ita dictum, quod ob honorem cathedrae in synodis exsolui soleat, ο) licet hodie in plerisque dioecesebus exoleuerit; β)

3) Cathedra-ticum.

4) Procuratio.

*procuratio*, (§. DLXXXIII. 6.) quae est: *necessaria sumtuum exhibitio, Praetatis ecclesias subiectas visitantibus facta*. \* p)

\* Procurare denotat: *cibus pascere* aliquem. Fuit olim *onus subditorum*, vt Principi aut eius ministris, iter facientibus, in lignum subiectionis procuraciones praebent. conf. ERH. SPIZ *diss. de corredo*. Eodem iure vsi sunt Proceres ecclesiae. Sic ipse Pontifex circa aduentum in Prouincias procuraciones exegit, & ad eius exemplum Legati, (§. CCCC LV. \*) & omnes piscope. conf. ALTESER-  
RA

o) c. 3. C. 10. qu. 1. c. 1. C. 10. qu. 3.

p) c. 6. & 11. X. de censib.

RA *dissert. iur. can.* L. IV. c. 5. Nimum & Legati & Episcopi in his Procurationibus exigendis excedebant, donec tandem ad *visitationes* restricta, & modus determinatus fuerit. conf. CIRONIVS *Parat. X. de cens. exact. etc.*

## §. CMXV.

De hoc censu notari debet: 1) debetur ab illis, qui *inuisuntur*: q) (§. DLXXXIII. 6.) 2) praestatur tamdiu, quousque *visitatio durat*: 3) debet esse *moderatus*, habita tamen ratione *personae & dignitatis* visitantis, & *opum* eorum, qui visitantur: r) 4) optio est penes illos, qui visitantur, malintne *victualia* praestare, an *pecuniam* eo nomine soluere: s) 5) pro quolibet die *vna Procuratio* saltem debetur, t) & si 6) vna ecclesia procurationi non sufficit, *vicinae suppetias* ferunt: u) 7) nulli *praescriptioni* procuratio obnoxia est, x) licet *quantitas* praescriptibilis sit: & 8) *immunitas* privilegio apostolico adquiri possit. y)

Observationes de Procurationibus.

## §. CMXVI.

Porro ad censum Episcopi refertur y) 5) Quarta *quarta mortuorum*, seu episcopalis canonica portio, (§. DCCCXXVII.) quae vero hodie plerumque exoleuit. 8) Extraordinarium auxilium *necessitatis* casu exigi solitum, vnde nomen *exactionis* illi inditum. yy) Dicitur etiam

mortuorum.

6) Charitativum.

q) CORVINVS *institut. iur. can.* L. II. tit. 36. §. 2.

r) c. 6. X. *de censib.* c. 1. *cod. in 6.*

s) Conc. Trid. *Sess. XXIV.* c. 3.

t) c. 3. *de censib. in 6.*

u) Clement. 2. *cod.*

x) c. 11. & 16. X. *de praescript.*

y) c. 17. X. *de censib.* Clement. 1. *cod.*

yy) c. 10. & 12. X. *de censib.*

etiam solet *charitativum subsidium*, die Bede, quae vero caritas praecipui & subsidium per modum *tributi* exigi solet. z)

## §. CMXVII.

7) Depor-  
tus.

Hi census locum habent, quousque beneficiarius *beneficium tenet*; sed pinguiora iura quandoque exiguntur, quoties *beneficia vacant*. Sic instar census est e) *ius deportus*, vi cuius *fructus beneficii vacantis, legitimos* aut non *deseruiti*, superior colligit, & suos facit. a)

8) Spolium.

ζ) *Ius spolii*, vi cuius *mobilia* clericorum Episcopi sibi vindicare solent; quod quum sine inquisitione, vnde comparatae res fuerint, fecerint; reuera spolii speciem sapiebat. b)

## §. CMXVIII.

9) Annatae.

Denique huc etiam referunt η) *annatas*, easque cum iure *deportus*, quod quandoque ultra annum extensum fuit, confundunt. Sunt quidem annatae census species, verum non a beneficio *vacante*, sed a iam *provisio* percipiuntur, & sunt *fructus primi* eius anni, quo *provisus* gaudere debuisset fructibus. c) Solvuntur vero Romano Episcopo iuxta aestimationem veteris cancellariae. d)

## §. CMXIX.

Extraordi-  
narii cen-  
sus.

Praeter haec onera beneficiis cohaerentia ex causis singularibus census soluti fuerunt

z) CONF. RHETIVS *de Orbeda*. THOMASIVS *diff. de natur. prec. iurid.*

a) THOMASSIVS de V. & N. E. D. P. IV. Lib IV. c. 32.

b) vid. *infra. tit. de pecul. cleric.*

c) NAT. ALEXANDER *Hist. Eccl. Sec. XV. & XVI. diff. 9. art. 1. nr. 9.*

d) CONF. III. LVDEWIG *de iur. annat.*

runt  $\alpha$ ) pro concessione, ut monasteria *parochiales ecclesias* possidere possent; (§. DCC LXXXVII. \*\*)  $e$ )  $\beta$ ) pro liberatione monasteriorum a manibus laicorum; (§. DIV. \*\*)  $\gamma$ ) pro liberatione a *locatione* ecclesiarum;  $\delta$ ) pro *renuntiatione* iuris dioecesani;  $f$ )  $\epsilon$ ) pro *unione* (§. CMXXXVII.) concedenda;  $g$ )  $\zeta$ ) pro liberatione ab *exactionibus*; (§. CM XVI.  $\delta$ .)  $b$ )  $\eta$ ) denique pro *dedicationis* memoria.  $i$ ) (§. DCCLXXXIX.)

## §. CMXX.

Patroni denique memoriam pristini domini (§. DCCCLXXIV. \*) 1) censum sibi Census Patrono debitus. *reseruabant*:  $k$ ) 2) *novos census* vi domini directi quandoque imponebant, & *veteres* augebant. Sed licet 3) *reservatus* census tolleretur; (§. DCCCLXXXI. 2.  $\beta$ )  $l$ ) *novi* tamen 4) impositio aut augmentatio, citra Episcopi auctoritatem, prohibita est:  $m$ ) 5) quum Patronus Praebendatum aliquando de bonis inuestiat, (§. DCCCXCV. 5.) solet tunc pretium quoddam, loco *laudemii* (§. DCCC LXXXI. 2.  $\gamma$ ) percipere: tandem 6) corollarii loco de census praestatione notandum:  $a$ ) censum in *mensura* debitum praestari in dubio

$e$ ) conf. MARCA de C. S.  $\S$  I. L. VI. c. 31.

$f$ ) c. 6. X. de religiof. domib.

$g$ ) vid. infr. tit. XXXV.

$b$ ) c. 21. X. de censib.

$i$ ) c. 31. C. 18. qu. 2.

$k$ ) c. 18. X. sentent.  $\S$  re iudic.

$l$ ) conf. c. 23. X. de iur. patron.

$m$ ) c. 4. eod.

dubio in *minori*; n)  $\beta$ ) in *pecunia*, si promissa *species* deficiat, iuxta *aestimationem* impositionis; o)  $\gamma$ ) si simpliciter *quantitas* promissa, in *consuetu* hodierna *moneta*.

## §. CMXXI.

Vfus inter  
Protestan-  
tes.

Pauca ex his inter protestantes obtinent; sed quae, 1) de *procurrationibus* (§. CMXIV. \* & §. CMXV.) dicta sunt, eatenus obtinent, ut ex *aequitate naturali* visitatores indemnes seruandi sint: sic 2) *praescriptionis* expers haut est *procuratio*; 3) non grauat apud nos *clericos*, sed vel ex *aerario*, vel ex *collatione parochianorum* hi sumtus praestantur: p) 4) non debetur extra *visitationis* casum: 5) saepius praeter ordinariam *procurrationem* in victualibus praestitam *munusculum* visitatores accipiunt: 6) quantum ad *annatas*, (§. CMXVIII.) eae Principibus nostris omnino vindicari possunt: q) quae denique 7) de *censu Patronis* debito & de *praestatione* census in genere obseruata sunt, (§. CMXX.) nec apud nos ignorantur.

## TIT. XXXII.

## DE PENSIONIBVS.

## §. CMXXII.

Connexio.

**A**D onera beneficiorum, & ea, quae *determinationem* eorum inferunt (§. CMXII.) etiam

n) c. 18. X. de censib.

o) c. 20. & 26. eod.

p) conf. SCHILTER *instit. iur. can.* L. I. tit. 6. §. 8.

q) Illustr. LVDEWIG *cit. loc.* c. 3. Ill. BOEHMER *Obs.*

ad P. de MARCA L. VI. c. 12. *Obs.* 6.



etiam pertinent *pensiones*. Sunt vero Pen- Quid Pen-  
siones: *Assignationes certorum annuorum pro-* sio?  
*uentuum, a possessore beneficii ad alimenta cuius-*  
*dam, ex superioris reservatione praestandae.*

## §. CMXXIII.

Inde fluunt axiomata: I. Pensiones sunt qui- Axiomata.  
dem onus reale, non vero beneficia. II. Imponit & constituit eas superior, ex certa causa.

## §. CMXXIV.

Ex primo (§. CMXXIII. 1.) sequitur: Indoles  
1) ut non propter *officium* aliquod ecclesia- pensionum.  
sticum, sed ad *alimenta* concedantur: 2) ut  
propterea *laicis* concedi possint: 3) ut olim  
*militibus valetudinariis*, commendatione Prin-  
cipis munitis, concessae fuerint: r) 4) ut de-  
beant esse *modicae*, nec regulariter *terciam*  
*proventuum* superare: unde & 5) *tenuta bene-*  
*ficia* a pensionibus exempta sint: s) 6) ut ad  
omnem *beneficii possessorem* transeant, etiam  
ad eum, qui iure *deportus* (§. CMXVII, e)  
gaudet: 7) ut tamen pensiones, quarum dies  
venit, sint instar alterius debiti, quod *perso-*  
*nam*, non *rem* adficit; licet ipsum onus pen-  
sionum, quarum dies nondum venit, *iuri reali*  
adnumeretur. Denique notandum: 8) quod  
in modis *amittendi* plerumque cum *beneficiis*  
conueniant.

## §. CMXXV.

Ex secundo (§. CMXXIII. 2.) notari de- A quo ad-  
bet: 1) superiorem hic esse regulariter Pen- figentur.  
*tificem*, t) qui secundum quosdam etiam *sine*  
*caussa*,

r) Ill. LUDWIG *diss. de iur. valetud. milit. emer.*

s) CONC. Trident. Sess. XXIV. c. 1.

t) THOMASS, de V. & N. E. D. P. IV. L. IV. c. 38. §. 4. sq.

*caussa*, iuxta alios vero non nisi ex *iusta caussa*, constituere pensiones potest: 2) in Germania per concordata illius potestatem restrictam esse, & licet in *mensse papali* vacantibus, pensiones imponere possit; non tamen in successorem (§. CMXXIV. 6.) transeunt, si postea in *mensse ordinarii* collatoris vacauerint: 3) etiam ordinum militarium *Magistros* (§. DXXIX.) commendaturus pensionibus onerare posse: 4) eadem sed restrictiori potestate gaudere *Episcopos*: u) §) ad signationem talem fieri in ipsa *prouisione*: 6) exempta ab onere pensionum esse beneficia non libera seu *patronata*. x)

## §. CMXXVI.

Vfus inter  
Protestan-  
tes.

Rarior in foris nostris est pensionum vsus. Posse vero *Principem* protestantem beneficium ad suam collationem spectans *pensione onerare*, quis dubitabit? Ipse scio, parochialem ecclesiam, amplioribus redditibus instructam, sub *onere pensionis* collatam fuisse.

## TIT. XXXIII.

DE

## BENEFICIORVM PLVRALITATE.

## §. CMXXVII.

Connexio.

**C**onferri beneficia propter officia ecclesiastica, (§. DCCCLIX. 1.) adeoque annexam

u) CORVIN. *de person. & ben. eccl.* P. II. L. IV. tit. II. nr. 31.

x) CONF. DE HAC MATERIA DARTIS *de benef. Sect. V. c. 3.*

BARBOSA *in prax. pens.* ESPEN *iur. eccl.* P. IV. *tracat. de Simon. & pens.*

nexam habere residendi necessitatem, nec plura vni conferenda esse, (§. DCCCLX. 5. 6.) vidimus. Quum vero *pluralitate beneficiorum* hodie nihil frequentius sit, paucis circumspiciendum erit, qua ratione vetus disciplina laxata fuerit.

## §. CMXXVIII.

Tres potissimum modi excogitati fuerunt, Modi plura beneficia consequendi. plura beneficia obtinendi, & pluralitatem palliandi. I. *commendae*; y) (§. CMXXXI. seq.) II. *uniones*; z) (§. CMXXXVII. seq.) III. *dispensaciones*; quae omnia semel laxata *residendi* necessitate (§. CCCCLXXIX. \*) introductisque *vicariis* (§. CCCCLXXXI. \*\*) inventa fuerunt. a)

## §. CMXXIX.

Quantum ad *dispensacionem* distinctio orta: 1) inter beneficia, *dignitatem* adnexam habentia, siue *supremam*, & proprie sic distinctam; siue *inferiorem*, quorum *personatus* (§. DCCCLXI. 2.) & quodammodo *cura animarum* praedita; & inter *simplicia*, quorum reliqua retulerunt. Ratione simplicium 2) Distinctio inter beneficia dignitatem adnexam habentia, & simplicia. rursus distinctionem efformarunt inter *compatibilia* & *non compatibilia*. b) 3) Intuitu *compatibilium* pluralitatem admittunt; non vero intuitu *incompatibilium*, nisi a) Inter compatibilia & incompatibilia. quoad beneficia

y) vid. tit. sequ. XXXIV.

z) vid. tit. sequ. XXXV.

a) conf. THOMASSINVS de V. & N. E. D. P. II. Lib. III. c. 1. seqq. LARROQUANVS *advers. sacr.* Lib. II. c. 39.b) CORVINVS *inst. iur. can.* L. II. tit. 31.

ficia *dignitatem* adnexam habentia, ex *iusta causa Pontifex*: aut  $\beta$ ) si vnum, aut saltem alterum sit *simplex*, dispensationem *Episcopus* largiatur. Iusta vero causa potissimum ex *statu hierarchiae* ponderari solet. (§. LVII.)

## §. CMXXX.

Vfus inter  
Protestan-  
tes

Protestantes pluralitatem beneficiorum *in se* indistincte non damnant, sed tunc de-  
mum, vbi *duo beneficia* ab vno commode ad-  
ministrari nequeunt, sed vnum alteri est im-  
pedimento. Hic subsistunt, adeoque colori-  
bus Pontificiis ad palliandam beneficiorum  
pluralitatem, non indigent.

## TIT. XXXIV.

## DE COMMENDIS.

## §. CMXXXI.

Connexio.

**C**ommendas inter modos plura beneficia  
possidendi referri, (§. CMXXVIII. I.)  
vel ea illis conferendi, qui qualitates, quas  
beneficium exigit, (§. DCCCXCVI.) non vn-  
diquaque possident, (§. DIV. \*\* & §. DXXX.)  
dixi. Ipsa vero indoles earum penitius con-  
sideranda est.

## §. CMXXXII.

Quid pro-  
prie Com-  
menda?

Proprie & in antiquo sensu *Commenda*  
nihil aliud erat, quam: *custodia seu admini-  
stratio vacantis cuiusdam ecclesiae, vicinis aut  
aliis habilibus personis ideo concedita, vt pro  
praemio quodam laborum, fiduciario iure illam  
regerent, & sacra peragerent.\**

\* Erant quippe beneficia vel *titulata*, vel *fiduciaria*,  
seu *commendata*, quae diuisio addenda illis, quas  
supra dedi. (§. DCCCLVIII.) Illa erant, quae  
quo

quis vi officii sacri, ad quod ordinatus erat, possidebat: Haec, quae interimifice a quodam administrabantur. Tituli adpellatio desumpta videtur ex Romanis, ubi sepulcris titulos defunctorum adscribebant, & praediis, ut de possessore constaret, eos adfigebant. vid. IAC. GOTHOFREDVS a. I. L. vn. C. Theod. de his, qui possent. nomin. Iam vero ecclesiae super tumulis martyrum exstructae, titulis eorum superbiebant. (§. DCCCII. \*) Hinc ecclesia, ad quam quis ordinatus erat, titulus illius dicebatur. (§. CCXIV.)

## §. CMXXXIII.

Hodie vero Commendae sunt: beneficia ad <sup>Quid hodie?</sup> vitae tempus sub speciali nomine illis concessa, qui vel iam beneficia possident, vel propter defectus quosdam, ad ea admitti non possunt. \*

\* Inanis Praetextus custodiae & administrationis hic adhibetur, quem ipsi Pontifices agnouerunt. c. 2. Extrauag. comman. de Praeb. Etiam Tridentini patres fucum subodorati sunt, nec tamen in vniuersum Commendas damnarunt. Conc. Trid. Sess. XV. de ref. c. 21. conf. DVA-RENVS de sacr. eccles. minister. L. V. c. 7.

## §. CMXXXIV.

Sic videre licet, duplices esse Commendas: <sup>Diuisio,</sup> proprias, quando ob necessitatem alicui ecclesia ad tempus conceditur: improprias, quando alicui ad vitam beneficium ecclesiasticum sub commendationis inuolucro datur, ad quod alias adspirare non posset.

## §. CMXXXV.

Inde discimus: 1) saltem nominis form, non <sup>Indoles</sup> vero re, commendam talem a titulato benefi- <sup>Commendarum im-</sup> cio in potioribus differre: c) 2) in quibus- <sup>propria-</sup> <sup>dam</sup> <sup>rum.</sup>

O o 2

c) HIERON. & COSTA de l'origine & du Progrés des reuennes ecclesiast. pag. 202 seqq. COCCRIVS dissert. de titul. & Commend. conuention. §. XXIV. seq.

dam saltem differentiam adesse, puta.  $\alpha$ ) quod ordinarius collator *commendata* non conferat, sed solus *Pontifex*, quia *dispensatio* hic desideratur;  $\beta$ ) quod commendae etiam *inhabilibus* conferri possint, non titulata;  $\gamma$ ) quod titulata *residentiae* vinculum adnexa habeant, non commendata;  $\delta$ ) quod haec sint *comparabilia*, (§. CMXXIX. 2.) non illa;  $\epsilon$ ) quod commendata & post commendationem *vacare* dicantur, non quae in *titulum* concessa.

## §. CMXXXVI.

Vfus inter  
Protestan-  
tes.

Quis tituli huius sit vsus? ex antecedentibus constabit, (§. CMXXX.) & hinc Protestantes tali subtili inuolacro non indigent.

## TIT. XXXV.

## DE ECCLESIA RV M ET BENEFICIOR V M VNIONE.

## §. CMXXXVII.

Connexio.

**D**ixi, modum plura beneficia obrinendi, esse *unionem*, (§. CMXXXVIII. 2.) & hinc de *unionibus* in vniuersum agendum est. Est

Vnio quid?

vero vnio, si generatim describi debet: *coniunctio duorum pluriumque beneficiorum vel ecclesiarum, ea intentione facta, vt respectu beneficiarii pro vna ecclesia aut beneficio habeantur.*

## §. CMXXXVIII.

Modi vnio-  
num.

Fit vnio, maxime illa, quae intuitu *ecclesiarum* contingit, tribus potissimum modis: I. Per *subiectionem*, quam alii *accessionem* dicunt, alii vero hunc terminum de secunda vnionis specie praedicant: II. Per *confusionem*, seu *suppressionem*, quem modum alii *accessionem* vocare

care folent: III. Per *aequalem iunctionem*, feu, vt alii rem efferunt, per *exaequationem*.

## §. CMXXXIX.

De his vnionibus tenenda axiomata: I. V. Axiomata. vnio debet fieri ex iufta cauffa: II. Defiderat auctoritatem superioris: III. Fit diuerfimode: IV. Datur etiam vnio irregularis: V. Potest vnio rurfus diffolui.

## §. CMXL.

Quum itaque vnio fieri debeat ex iufta cauffa, (§. CMXXXIX. 1.) vides, 1) cur canoniftae eam regulariter inter *odiofa* referant; d) 2) cur tamen ob *neceffitatem*, & 3) *utilitatem* eas admittant; e) 4) cur hae cauffae prae vnio *examine* ponderandae, & demum per *follemnia decreta* vniones expediendae fint; f) 5) cur citari debeant, *quorum intereft*; g) 6) cur tamen ex *immemoriali tempore* vnio iufte & legitime facta praefumatur.

Qua ratio ne vnio fufcipienda?

## §. CMXLI.

Quumque defideret auctoritatem superioris, (§. CMXXXIX. 2) fuma vero rerum ecclefiafticarum penes clerum eminentiorem fit; (§. VI.) confequens eft: 1) vt *Pontifex* libere vniat ecclefias omnes, \* maxime vero fibi vindicet *maiores*: b) (§. CCCLXIII.) 2) vt *legatis a latere* eadem potestas competat, (§. CCCC LVI. 6.) nifi ecclefiae fint *collegatae*: i) 3) vt

Quorum auctoritate?

O o 3

Epi-

d) IVRICELLIVS de vnion. benef. c. 2. nr. 4.

e) c. 33. X. de Praeb. SLEVOGT de vnion. eccl. diff. 1. c. 2.

f) IVRICELLIVS c. l. c. 9.

g) LEVRENIUS for. benef. P. III. qu. 923.

b) c. 8. X. de excess. Prael. c. 4. X. de offic. leg.

i) c. penult. de offic. leg. in 6.

*Episcopi* intuitu ecclesiarum suae dioeceseos, adhibito *consensu capituli*, idem ius exercere possint: k) 4) vt tamen capitulum *sede vacante* vnire nequeat, (§. CCCXCII. 6.) nisi ad *collationem* capituli beneficia spectent: l) 5) vt eadem potestas *Praelatis & Abbatibus immediatis* (§. DV. 5.) denegari non possit. m)

\* Olim etiam imperatorum auctoritate vniones factae sunt.

### §. CMXLII.

Quum deinde vnio diuersimode fiat, (§. CMXXXIX. 3.) notari debet: 1) vnionem per *subiectionem* (§. CMXXXVIII. 1.) fieri vel *absolute*, vt ecclesiae quidem *distinctae* maneant, sed vni pastori, qui in ecclesia *matre & filia* cultum diuinum peragit, subsint: vel 2) *secundum quid*, vt vna alteri saltem quoad *certos actus* vnita sit; aut 3) per *vicariam* vnita regatur. n) 4) In vnione *absoluta* obtinet vulgeris regula: *filia sequitur matrem*, o) (§. CMXLIII.) puta in illis, quae ex *sine* vnionis profluunt. Hinc a) per vnionem non confunditur *iuris dictio ecclesiastica*, si ecclesiae, in diuersis territoriis sitae, vniuntur; p) nec β) *Patronus* ecclesiae filiae per hanc vnionem ius suum amittit; q) γ) *filiam* tamen non potest non amittere ea, quae facta vnione *integra*

De vnione  
per subiectionem.

k) c. 8. X. de excessu Prael. Clem. 2. de reb. eccl. non alien.

l) Clement. I. de stat. monach.

m) TAMBRIN. de iur. Abb. Tom. III. disp. 15. qu. I. nr. 54.

n) TVRICELLIVS cit. loc. c. 4.

o) SLEVOGT cit. loc. dissert. 3. c. 1. §. 7.

p) ZIEGLER ad Lancellot. L. II. tit. 19. §. 7.

q) HERTIVS de eccl. filial. §. 10.



manere nequeunt; r) sicque d) in aequalitas quaedam inter ecclesiam matrem & filiam oritur.

## §. CMXLIII.

Est vero ecclesia mater, quae barbaramente *matrix* dicitur: s) ecclesia principalis, \* in qua pastor residet, & alii quoque subiectae ecclesiae praest; t) inde accessoria ecclesia filia vel filialis dici solet. u)

Quid ecclesia mater?  
quid filia?

\* Doctores varias adpellationes ecclesiis, & sic etiam *matris* nomen mystico in sensu tribuerunt. Postea hoc praedicatum etiam *particularibus ecclesiis* tributum, & apostolicis potissimum inditum fuit. Post propter *Principatum* Constantinopolitanae, dehinc Romanae cessit. c. 23. X. de priuil. Hinc etiam ecclesia *cathedralis dioeceseos*, matris nomen adsumsit. c. 10. X. de praescript. c. 10. X. de transact. Inmo & illa, quae aliam *exstruxit*, matris titulum sibi vindicauit.

## §. CMXLIV.

Quoad vnionem per *suppressionem* (§. CM XXXVIII. 2.) sciendum est, 1) eam tunc contingere, *vbi duae* pluresue ecclesiae, antea distinctae, in *unum corpus* coalescunt, hoc modo, vt vnitae nullum *coetum specialem* amplius faciant: x) 2) fieri illam regulariter *saluo officio sacro*, ita tamen, vt 3) vnita ecclesia *statum* suum amittat, & plures coetus vnum corpus constituent: y) 4) *iurisdictionem ecclesiasticam* si vnitae ecclesiae in diuerso territorio sitae sint, distinctam manere: z) (§. CM

Vnio per suppressionem.

O o 4

XLII.

r) SLEVOGT *cit. loc.*s) BOLLANDVS *act. sanct. die 5. Feb. pag. 656.*t) CONF. I. C. BAUMGAERTNER *de eccl. matr.*u) HERTIVS *cit. diff. de eccles. filial.*x) TVRICELLIVS *cit. loc. c. 3.*y) CONF. SCHILTER *instit. iur. can. L. I. tit. 3. §. 12.*z) SLEVOGT *cit. loc. diff. 3. c. 1. c. 12.*

XLII. α) §) ita vnitas ecclesiarum, non per omnia, mores ecclesiarum, cui adglutinantur, adsumere, si *sacra* exceperis, quum quoad *onera parochialia* diuersum statui possit.

## §. CMXLV.

Per aequalitatem. Denique vnio per *aequalitatem* (§. CMXXXVIII. 3.) in eo absoluitur: vt *singulae ecclesiae separatim coeum constituent, vna ab altera non dependeat, vni tamen Rectori subsint aequaliter*: a) Inde sequitur: 1) vt Praelatus & Rector in altera *vicarium* constituere nequeat, sed 2) in vtraque *aequaliter residere*, & *sacra* peragere debeat: 3) potissimum hanc vnionem obtinere in beneficiis, quae *manu regia* aut *Papae* prouisione conferuntur.

## §. CMXLVI.

Vnio irregularis.

Quum vero porro vnio irregularis detur, (§. CMXXXIX. 4.) sciendum est, huc pertinere illam, quae ad palliandam duntaxat *beneficiorum pluralitatem ad tempus fieri*, & *gratiosa* dici solet, quia sine *necessitate* (§. CMXL. 2.) fit.

## §. CMXLVII.

Dismembratio ecclesiarum.

Quum denique vnio possit dissolui, (§. CMXXXIX. 5.) sciendum est: 1) talem dissolutionem dici *dismembrationem*: 2) illam etiam regulariter prohibitam (§. DCCLX. 7.) immo 3) *magis odiosam*, (§. CMXL. 1.) quam vnionem esse: permitti tamen 4) ob *necessitatem & utilitatem*: (§. CMXL. 2. 3) §) etiam hic *causae cognitionem* (§. CMXL. 3. sq.) & *superioris auctoritatem* (§. CMXLI.) adhibendam esse: 6) fieri etiam posse dismembrationem in beneficiis

a) DARTIS de benef. c. 7.

beneficiis non vnitis : adeoque 7) illam, pro sua diuerſitate, etiam *diuerſos effectus* producere.

## §. CMXLVIII.

Suſpenſa in terris proteſtantium Episcopali poteſtate ; conſeclamatum eſt : 1) *Principes* proteſtantes eccleſiarum vnionem & diſmembrationem ſuſcipere poſſe : licet 2) ſic locum Episcoporum vix intrent, vti ſuauius quidam ſomniant : (§. LXXXVI.\*\*) 3) ſicuti vicarii Episcoporum vnire nequeunt ; (§. CCCC XLV. §.) ita nec *conſiſtoriiſ* noſtris haec facultas competit : b) 4) nihil contra ſtatutum *anni decretorii* in vnionum & diſmembrationum materia fieri poſſe : (§. XLIV. §.) *Subiectiuas* & *ſuppreſſiuas* vniones (§. CMXLII. ſeq.) apud nos potiſſimum vſitatas eſſe.

## TIT. XXXVI.

## DE PRECARIIS.

## §. CMXLIX.

**V**idimus, eccleſiaſtica bona ne quidem *Connexio.* *uſuſfructus* titulo alicui concedenda eſſe, (§. DCCCXXXVI. §.) quod ipſum tamen, quum in *precariis* fiat, & hic etiam *non qualificatae* perſonae (§. DCCCXCVII.) iure quodam beneficiario bona accipiant ; de his pauca dicenda erunt.

## §. CML.

Proprie precaria eſt : *conceſſio ad preces ex largitate Episcopi facta, ita, vt bona in dominio eccleſiae permaneant, & reditus ſaltem detentori attribuantur.* Sic reuera *uſuſfructus* in tali conceſſione occurrit. *Quid proprie precaria.*

O o 5

§. CMLI.

b) conf. *CAKPOB* iurisprud. *Conſiſt* Lib. I. d. 155.

## §. CMLI.

Nova forma ex L. Leonis,

Postea noua forma in Oriente ex lege Leonis invaluit, c) scilicet: *vt pro re ecclesiae, quam quis accepit, res alia ecclesiae donanda, & e quinquennio in quinquennium contractus renouandus sit.* d)

## §. CMLII.

Non vbique recepta.

Verum non vbique recepta fuit haec noua forma, & Occidens potissimum eam ignorauit. Varia proinde preciarum natura fuit. e) Hinc saepius ad *preces* sine onere a Leone imposito concedebantur. Dictae etiam fuerunt *Praestariae*, f) quae durabant ad dies vitae, ita tamen, vt irrationabiliter concessae reuocari potuerint. g) \* Sed hodie rarior inter pontificios est preciarum vsus, & inter protestantes fere nullus.

\* Forfan sic occurrere voluere precibus Magnatum, qui militibus emeritis *Precarias* rogabant, per litteras Panis-Briefe. conf. WEHNER *Obs. Pract. voc. Panis-Brief.*

## TIT. XXXVII.

## DE PECVLIO CLERICORVM ET SVCESS. IN RELICTA AB ILLIS.

## §. CMLIII.

Connexio.

**B**eneficia habent indolem *feudorum*; (§. DCCCLX. I.) feudorum vero fructus cum vasallus sibi proprios faciat, merito idem

c) Nou. Leon. XIII. conf. L. 14. §. 5. C. de SS. eccl.

d) conf. Nou. VII. c. 4 C. 10. qu. 1. c. 15. C. 10. qu. 2.

e) ZIEGLER *de Episc.* L. III. c. 28. §. 13. sequ.

f) THOMASSINVS *de V. & N. E. D. P. II. L. III. c. 22.*

g) c. fin. X. *de Precar.*

idem in fructibus beneficiorum obtinebit, & sic ad *peculium clericorum* & successionem in relicta ab illis ducimur. Loquor de clericis *secularibus*, cum *regulares* nihil proprii habeant; (§. CCCCLXXV.) verum cum hi *suis succedant*; nec hic penitus negligendi erunt.

## §. CMLIV.

Est vero clericorum *peculium*: *quidquid* Quid peculium? *ex prouentibus sacerdotii acquisuerunt*. Haec enim bona quodammodo eius naturae esse censentur, qua *peculium quasi castrense* iuris ciuilis gaudet. His opponunt *patrimonialia*. De omnibus in *vita plenam administrationem*, sed quoad priora nec per *ultimam voluntatem*, nec per *legalem successionem*, translationem admittere volunt.

\* Olim heredes etiam clericis succedebant, sed suafores erant quidam Doctores, vt ecclesiam potius heredem relinquerent. Postea *Episcopis* lege ciuili haec necessitas iniuncta fuit; L. 42. §. 2. C. de *Episc. & cler.* aliis vero clericis salua mansit disponendi potestas. Nou CXXIII. c. 19. Mox Episcopi sibi bona decedentium clericorum vindicare voluerunt; inde nata iura *spoliorum*: (§. CMXVII. §) dehinc vbi *iure beneficiaria* omnes clerici bona possidere inciperent, (§. DCCCLVII. \*) eadem lex, ac olim Episcopis, *clero in genere* dicta fuit, salua tamen contraria *consuetudine*, ad quam proinde inferior *clerus* plerumque prouocare solet. SPE-RELLVS *decif. for. eccl. LXXII. nr. 5 sequ.*

## §. CMLV.

Tenenda hinc axiomata: I. Clerici de *peculio* saltem inter viuos disponunt, nec *testamentario* aut *successorio* iure illud relinquunt:

quunt: II. In patrimonialibus vero bonis  
vtrumque illis integrum est: III. Vi consue-  
tudinis & dispensationis, eam testamenti fa-  
ctione gaudent: IV. Regulares successione  
& testamenti factione destituuntur.

## §. CMLVI.

Ratio suc-  
cessionis in  
pecul. cle-  
ric.

Ex primo (§. CMLV. i.) notari debet: 1) vt clerico decedente *separatio* bonorum in-  
stituenda sit: 2) vt de *bonis ecclesiae quaesitum*  
praesumatur, quod in haereditate illius ex-  
stat, qui tempore promotionis *nihil in bonis*  
habuit: b) 3) vt haec praesumptio *contrarii*  
*probationem* admittat: i) 4) vt bonis plane  
confusis, ea in *quatuor partes* diuidenda sint:  
k) 5) vt haec restricta successio intuitu cleri-  
corum inferiorum ex *iure spoli* (§. CM  
XVII. §) ab Episcopis praetense, ortum du-  
cat: l) 6) vt eadem ratione *Principes* sibi in  
maiorum clericorum bona *successionem* vin-  
dicauerint: m) 7) vt *Pontifex* quidem *Princi-  
pes* hoc iure exuerit, sibi tamen illud mox  
adscripserit: n) 8) vt huius exemplo *Episcopi*  
rursus spolio *rehabuerint*: o) & sic 9) sic dicta  
spoliorum iura radicata facta fuerint: \* 10)

vt

b) c. 1. X. de testament.

i) c. 24. C. 12. qu. 1. c. 1. & 2. C. 12. qu. 3.

k) c. 2. X. de success. ab intest.

l) Concil. Paris. V. c. 7.

m) MEIBOM. Orat. de iur. quond. antiqu. & antiquat.  
Caesar. in Tom. III. Rer. Germ. pag. 185.

n) THOMASS. NVS de V. & N. E. D. P. III. L. II. c. 57.  
§. 5. sequ.

o) CONF. ESPEN. iur. eccl. P. II. tit. 33. c. 8. §. II.

vt tamen, etiam sublato *spolii iure*, ecclesia clericis in peculio succedere debeat.

\* Sub ecclesiae nomine Episcopi venire cupiebant, adeoque bona clericorum *profectitia* semel introducta bonorum *diuisione*, sibi vindicabant. Prohibita quidem fuit haec rapacitas; c. 12. X. de testament. sed extirpari omnino non potuit. conf. c. 9. de offic. ordin. in 6.

### §. CMLVII.

Ex secundo (§. CMLV. 2.) sequitur: 1) In patrimonio vt clericus omnis de his libere *testari* possit: mon. corum.  
 p) 2) vt, deficiente testamento, ea *cognatis* proximis, & 3) si tales non existent, *ecclesiae* cedant: q) 4) vt proinde etiam suis *consanguineis* succedant, hac ratione, vt α) ratione *immobilium* respiciatur ad *iura loci*, ratione *mobiliu* ad *iura domicilii*, vbi defunctus habitauit; r) β) eos nec a successione in *feuda* hodie excludi; s) nec γ) a successione *fideicommissaria*. 1)

### §. CMLVIII.

Ex tertio (§. CMLV. 3.) notandum: 1) *clericos* sibi aegre legem, Episcopis antea latam, imponi passos esse: proptereaque 2) cum *consuetudo* a lege prohibitiua excepta fuerit, hanc pro testandi facultate semper allegasse: sicque 3) intuitu *inferiorum clericorum* ita testandi facultatem inualuisse, vt reuera *saltem*  
 Epi-

p) c. 9. X. de testam.

q) c. fin. C. 12. qu. 5. L. 20. C. de Episc. & cler.

r) STRYK de success. ab intest. d. ff. 1. c. 4. §. 3.

s) III. BOEHMER iur. eccl. Prot. L. III. tit. 20. §. 20.

t) KNIPSCHILD de fideicom. famil. c. VIII. nr. 44. sq.

*Episcopi canonum rigori subint: u) 4) Episcopos vero & Praelatos speciali indulgentia Pontificis testamenta condere, quod indulgentia ob ius spoli, (§. CMLVI. 5. seq.) hodiernum opus est: 6) indulgentia etiam indigere ordines militares, a Magistro ordinis impetrando (§. D XXIX. 2.) propter votorum religionem, (§. DXXVII. 2.) x)*

### §. CMLIX.

Successio  
regula-  
rium.

Ex quarto (§. CMLV. 4.) intelligimus: 1) per *votorum* emissionem simul amitti testamenti factionem, maxime intuitu *regularium & monachorum*: y) 2) clericum *indulgentia* papali instructum, mox iure *excidere*, simulac *regularis* factus fuerit: z) sicque 3) nec Episcopos *regulares*, vi indulgentia, testamenta condere, nisi simul a *voto* relaxentur: a) 4) *novitios* monachorum, ante *professionem*, (§. CCCXCIV.) & condere & reuocare testamenta: b) & 5) his ab intestato decedentibus succedere *consanguineos*: c) 6) *monachos* quidem non succedere consanguineis; sed eatenus eis deferri hereditatem, ut *monasterium* eam capiat; d) id quod tamen 7) ad *minores* seu *mendicantes*

fra-

u) ESPEN *cit. loc. tit. 32. c. 7. § 17. seq.* CORVINUS *de pers. & benef. eccl. P. II. L. VII. tit. 5. nr. 22.*

x) conf. Cardinalis de LVCA *de testam. disc. 9.*

y) c. 2. X. *de testam.*

z) de LVCA *cit. loc. nr. 5.*

a) IDEM *ibid. nr. 7.*

b) TAMBRINUS *de iur. Abbat. disp. IV. qu. 13.*

c) de LVCA *tract. de regul. disc. 1. nr. 118.*

d) ENGEL *de priuil. monast. priuil. II.*



*fratres non semper quadrat: 8) regularium canonicorum nomine succedere congregationem: e) 9) Eremitis vero, utpote a voto liberis, consanguineos. (§.DX.)*

## §. CMLX.

Nostri clerici 1) fructus ex beneficiis plenissime suos faciunt, qualescumque redditus ex bonis ecclesiae fecerint, & sic etiam libere de illis disponunt: f) sed 2) quoad ordines militares illi saltem libere testantur, qui nullo voto adstricti sunt, quorsum *Sonneburgici* seu *Baliuina Brandeburgica* additi, (§.DXXIX.6) pertinent: 3) *Abbatissas & Canonissas*, utpote nullo voto constrictas, (§.DXXI.) libere testari: 4) clericos proinde *indistincte succedere* & suis & extraneis, & 5) canonicos etiam ad *matris Geradae* successionem cum sororibus admitti: 6) clericis succedi intuitu *immobilium* iuxta *statuta loci*; ratione *mobiliu* iuxta *ius provinciale*: g) 7) nullo relicto a clerico herede, *ecclesiam* iure collegii succedere. (§.XXXVII.)

Vfus inter  
Protestan-  
tas.

## TIT. XXXVIII.

## DE TESTAMENTIS.

## §. CMLXI.

**F**ugitivus est hic titulus, propterea saltem adie- Connexio.  
ctus, quod ius canonicum singularia quaedam in materia testamentaria tradat, quae hic strictim adnotanda sunt. Ut vero aliqualis ordo ostendatur, notare poteris: quod, quum modo de successione & testa-

e) consil. Marburg. Vol. I. Conf. 25. nr. 66. sequ.

f) ibid. Vol. IV. Consil. 35. nr. 88.

g) HERTIVS de collis. Leg. Sect. IV. §. 34.

testamenti clericorum actum fuerit, nunc de *testamenti* quaedam in genere adspargenda sint.

## §. CMLXII.

Singulares  
obseruatio-  
nes de testa-  
menti iux-  
ta ius ca-  
non.

Tritam materiam ex instituto non tradam, sed per indicem singularia iuris canonici dogmata adducam. Sic 1) remittit *solemnitates* iuris ciuilibus in numero *testium*, b) quae tamen dispositio ne quidem inter pontificios recepta est: licet 2) Praelati, qui *indultu Pontificis* (§. CMLVIII. 4.) testamenta condunt, *sine solemnibus* testari possint: i) 3) testamenta ad *pias causas* valida esse, sine vlla *solemnitate & testibus*, modo constet de *certitudine voluntatis*: k) 4) non valere legatum *rei alienae*, l) vbi tamen Pontifex cum laicis pugnavit, nec, quod ius ciuile statuit, correxit: 5) liberi fideicommissis grauati & *legitimam & Trebellianicam* deducere possunt. m)

## §. CMLXIII.

De priuile-  
giis legato-  
rum ad *pias*  
causas.

Quantum ad priuilegia *piis causis* debita, mirifice luxuriantur interpretes, ex proprio ingenio infinita fingunt, atque alia iura singularia, *fisco, militiae, libertati, doti, pupillis, aetati, reipublicae* concessa, ad has causas, contra omnem iuris analogiam, deducunt. Cum vero *iura singularia* in consequentiam trahenda haud sint; (§. CXLIX.) naeniae eiusmodi Doctorum neminem turbare debent, maxime cum iam multa contineant *piae causae*, quae *impia* dici merentur. n) Ego *piarum causarum* nulla agnosco priuilegia, quam quae in iure illis *specialiter & expresse* tributa sunt. o)

b) c. 10. X. de *testam.*

i) de LVCA tract. de *testam. disp. 6. nr. 2. f.*

k) c. 4. & 11. X. de *testament.*

l) c. 5. X. *eod.*

m) c. 16. & 18. X. *eod.*

n) III. WERNHER *diff. de eo, quod in piis causis impium.*

o) III. BOEHMER *diff. de priuilegiis legatorum piarum genuin. & spur.*

ELEMENTA  
IVRIS CANONICI

ET

PROTESTANTIVM  
ECCLESIASTICI

COMMODA AVDITORIBVS  
METHODO

A D O R N A T A

A

*IO. GEORG. PERTSCH, ICto.*

SEREN. ET POTENT. MAGN. BRITAN.

REGIS ET ELECT. BRVNSVIC. LVNEB.

CONSIL. ACCVRIAE AVLAE HAN-

NOVER. ADSESS. VT ET REI-

PVBL. HILDESIENS. PRO-

TO-SYNDICO.

PARS POSTERIOR

EXHIBENS ORDINEM IVDICIARIVM, DELICTA  
ET POENAS.

*EDITIO ALTERA, PRIORI AVCTIOR  
ET EMENDATIOR.*


---

IENAE

SVMTIBVS HAERED. MEYERI

M D C C X X V .

92.480  
II



**VIRIS. AC. DOMINIS. PERILLVSTRIBVS.**  
**ATQVE. EXCELLENTISSIMIS.**  
**AVGVSTISS. ET. POTENTISS. REGIS. MAGNAE.**  
**BRITANNIAE. IN. TERRIS. BRVNSVICENSIBVS.**  
**ET. LVNEBVRGENSIBVS.**  
**MINISTRIS. STATVS. ET. CONSILIARIIS.**  
**INTIMIS.**  
**EX. ILLVSTR. PROSAPIIS.**  
**HARDENBERGIORVM.**  
**VVRIESBERGIORVM.**  
**GROTEORVM.**

HATTORFFIORVM,  
MVNCHAUSIORVM.  
ALVENSLEBIORVM.  
DIEDENIO - FVRSTEN-  
STEINIORVM.

ORTIS.

VIRIS. ET. GENERIS. ANTIQVITATE.  
ET.

MERITIS. ILLVSTRIBVS.

PATRONIS. AC. MAECENATIBVS.

OMNI. OBSEQVII. CVLTV PROSEQVENDIS.

HANC. POSTERIOREM. ELEMENTORVM. IVRIS.

CANONICI ET. PROTESTANTIVM. EC-  
CLESIASTICI. PARTEM.

IN. TESSERAM. DEVOTI ANIMI

DOCUMENTVM. OBSEQVII.

MONVMENTVM. CLIENTELAE.

IN. QVAM. GRATIOSE. EST.

SVSCEPTVS.

DAT. DEDICAT. DICAT.

GRATIAMQVE. QVA. HVC. VSQVE.


FRVITVS. EST.

PATROCINIVM. SVB. QVO. TVTAE

ESSE. POSSVNT. CAMOENAE.

SIBI. HVMLITER. EXORAT.

AVCTOR.



## PRAEFATIO.

### §. I.

**Q**Uum in prima editione causas exposuerim, quae me ad exarandum hoc opusculum impulerint; eas nunc per indicem enarrabo. Ex quo, relicta Fridericiana, ad lares patrios redii, per aliquot tempus studio antiquitatum ecclesiasticarum me totum consecraui. Inde periculum feci, numne ad aliorum exemplum inde hausta ad emendam iurisprudentiam adplicare possem. Hinc tria opuscula de *Simoniae crimine*, de *confessione auriculari* & de *excommunicatione* in publicum prodire iussi. Probarunt hos conatus Icti primior-  
(a) 2                      dam

## PRAEFATIO.

---

dam ex Theologorum ordine. Aliis tamen pernicioſa & aeternis tenebris digna viſa ſunt. Quidam proinde non tam aculeato ſtilo, ſed tali, qui iniurias ſpirat, contra me inſurrexerunt. Alii graſſatorum nocturnorum inſtar fauris artibus & fraudibus, ſub pallio orthodoxiae propugnandae, fortunae meae inſidias ſtruxerunt. Patienter omnia pertuli, nec quidquam aduerſariis reſpoſui, in ſola iuſtitia cauſſae praefidium quaerens.

### §. II.

Haec vero mea ſtudia nonnihil interrupta fuerunt, ex quo fata me ad trituram forenſem auocarunt. Quum vero Sereniſſimus Princeps, Marchio Brandenburgicus, GEORGIUS WILHELMVS praematura morte terris eriperetur, relicto ſtrepitu forenſi otium Academicum elegeri, ſicque ad priſtina ſacra redii. Ex quo enim in Alma Salana iura canonica & eccleſiaſtica Proteſtantium, ad ductum *inſtitutionum* CORVINI praelegerem, in ſubſidium vocandae erant antiquitates eccleſiaſticae Omnes enim eos caecutire, qui neglecto hoc ſubſidio, in hoc ſtudio quid tentant, nemo prudens in dubium vocat. Omne itaque tempus, quod alii otio impendunt, ſtudio historiae ſacrae conſecraui. Inde hauſta in uſum iuriſprudentiae eccleſiaſticae ſolidioris conuerſi. Hinc euenit, ut mea docendi ratio ad plauſum non mediocrem mox confe-

que-



## PRAEFATIO.

---

queretur. Verum quum CORVINVS ea, quae ex antiquitate lucem perunt, negligat, nec de vsu juris canonici inter protestantes sollicitus sit, meliorem ducem quidem optavi. nullum tamen cognovi. Hinc quod ab aliis exspectabam opusculum, in vsum mei auditorii concinnandum, suscepi.

### §. III.

Addidere proposito calcar auditores, & quidem circa illud ipsum tempus, quo lectiones aestivae, more in Ienenſi Academia recepto, mox essent inchoandae. Arripui itaque calammum & obrutus quasi laboribus ad concinnanda haec elementa accessi. Vix vero quaedam in chartam erant coniecta, prelum Typographiae ea exspectabat. Vix rursus plagula prelum evaserat, ubi ad praelectiones illius vocatus fui. Inde evenit, ut quae semel exciderant, vix relegere, multo minus instruari, & sub incudem revocare potuerim. Hinc etiam concatenatarum variarum seriem, per remissiones ad ea, quae in posterioribus titulis occurrunt ostendere, integrum haut erat. Ad finem tamen intra semestre aestivum & laborem & lectiones perduxi, & denuo per semestre hybernium, numerosa iuventutis corona stipatus, ad opusculum commentatus sum. Irretorto quidem oculo nonnulli hunc adplausum respiciebant. Quod enim mihi inde famae & commodi accedebat,

## PRAEFATIO.

---

sibi detractum existimabant. Interim tamen ne hiscere quidem contra libellum & dogmata ibi propugnata, ausi sunt.

### §. IV.

Postquam vero Proceres Reipublicae Hildesientis, me ad munus Syndici, praeter spem & expectationem euocarent, desperavi de fortuna libelli. Commentati quidem sunt ad illud viri consultissimi, KAMPPFERVS. STENGENIS, ENGAVIVS; sed hic sese exseruit liuor, qui haecenus in animo delituerat. Vir quippe, qui nunc apud coelites agit, tunc vero & auctoritate & fama celebris fuit, contra haec mea elementa insurrexit. Variis quidem, quum ego illi valedicerem, verborum lenociniis contestatus erat, se aegre ferre meum discessum; at eo mox studia sua direxit, vt lectiones ad ductum huius opusculi habendas omnino prohiberet. In indicem expurgatorium, more pontificio, quo poneretur, omnes mouit lacertos. Fama de his moliminibus ad me perlata, non potui non credere, conclamatas esse res meorum elementorum. Certe illa e finibus Salanae proscripra futura, vel ideo conieci, quod ille aduersarius virum, mihi infensissimum, in suas partes trahere, astute satis operam impenderet.

### §. V.

## PRAEFATIO.

---

### §. V.

Sed irritus fuit conatus. Magni enim nominis Theolog, quos Salana fouet quam mihi praesenti exhibuere amicitiam. etiam absenti non denegarunt. Ideo procul dubio fauore me ex eperunt, quod nil in meis dogmatibus animaduertent ab analogia fidei exorbitans. Praeterea intercessere ex ordine ICtorum viri candidi ac graues morum non minus honestate, quam pietate, religione ac cruditione conspicui, nefariisque eiusmodi ausibus obicem posuere. Hinc non solum in Salana, sed & in aliis Academiis, lectiones & publicae & priuatae, ad ductum mearum lucubrationum habendae, indictae fuerunt. Immo nuper in Regia Fridericiana, Illustr. BOEHMERVS ad haec elementa, Praeceptor ad dogmata discipuli, commentationes instituit. Egregiam libello laudem, quam ex se non habet, vel inde accessisse, quis dubitabit? Sane quae sic opusculo accreuit existimatio, mihi palmaria videtur.

### §. VI.

Hac ratione breui temporis interuallo, primae editionis exempla, distracta fuerunt. De noua itaque editione adornanda, haeredes viduae Meyerianae, cuius sumptibus opusculum prodit, solliciti fuerunt. Exposuerunt mihi institutum, quo ea, quae in melius formanda &

## PRAEFATIO.

---

emendanda essent, mature adornarem, sicque secundae editioni cultiorem ornatum procurarem. Varia enim, quae secundam curam expectarent, & ego & alii obseruarunt. Medicam potissimum manum desiderabant tituli priores, quum nimia festinatio ordinem inordinatum inuexisset. Vt in secundis curis iustiori ordine prolegomena disposita adparerent recte proinde plures optarunt. Desideria haec conformia fuere meis. Hinc quum ante decem & quod excurrit menses, iter ad almam Salanam, ad res domesticas inuisendas adornauerim, de tali emendatione verba mecum miscuit vir consultissimus Dr. IO. RVDOLPH. ENGAVIVS, Immo. quum quae tunc inter nos ratiocinia audita fuerunt, memoriam meam effugissent, locum dedit precibus, & exaratis ad me litteris, mentem suam denuo aperuit. Calculum sciagraphiae, si non vbique, vt plurimum tamen adieci. Hunc virum certe, quem olim vt auditorem dilexi, ob eximias animi dotes. vt amicum veneror. Vix ex scholis meis prodiit discipulus qui hunc & vi ingenii & industria superaret. Omnibus quas habui praelectionibus indefesso adfuit studio. Cuncta diligenter est rimatus. Stupendo praeterea labore optimos non solum auctores sed & vasta volumina euoluit, quo plenior & solidiorem cognitionem sibi compararet. Tantam inde consequutus est eruditionem, vt in iure, potissimum canonico, spartam quam ego olim adplaudente studiosa iuuen-

## PRAEFATIO.

iuuentute tenui, egregia plane ratione tueri possit. Non vanum erit, quod animo mihi sedet augurium, hunc discipulum vel in hoc studii genere mox magistrum fore superaturum.

### §. VII.

Nunc enim inter strepitus forenses quotidie defudo. Ita comparatae sunt & officii & reliquarum occupationum rationes, ut rarissime otium indulgeant. Respublica quippe Hildesimensis, eximioribus & regalibus iuribus conspicua, perpetuos inuidiosorum impetus sustinet. Modo contra illam insurgit sanctius concilium Episcopi: modo capitulum cathedralis ecclesiae; modo capitula collegiatarum ecclesiarum: modo monasteria: modo cathedralis praepositura. Omnium horum aduersariorum studia, licet diuersa, eo tamen collineare videntur, ut iura haec eminentiora, si non conuulsa & euersa, saltem attrita & tracta, spectaculo exponerentur. Vix ex inuidia haec profero. Prodidit quae ego dico *Io. Mich. Bruning*, in dissertatione sub praesidio HERMANNI ZOLLII de speciali iure princip. Imper. in ciuit. mixt. in Rinteliensi Academia, pro Licentia habita. Ibi de Hildesia pag. 36. tale profert augurium, inquit: *Interim facile auguramur, quid cura ciuitate Hildesimensi euenturum, quae eundem quem reliquae ciuitates, ut Monasterium, Exfordia, Hunxaria, Brunswiga &c. exitum habebit. Sicuti crim*

## PRAEFATIO.

---

*maligna febris una prae alia, citius vel tardius curatur, ob maiorem ac tenaciorem vel leuiorem peccantem materiam, quae saepe tam cito absque interitu corporis excelli non potest: veluti scribit Citel Friederich ab Herde in seiner Grunds-  
Beste des Heil Röm. Reichs P. III. c. 1 p. 269. ibi: nach dem Exempel verständiger Medicorum, welche ob ihnen wohl beydes die causa morbi, als auch das eigentliche Remedium wohl be-  
kannt, iedennoch wenn sie befinden, daß des Kranken Constitution die Haupt-  
Arzney nicht zulassen wolle, sich der curae palliativae so lanqe gebrauchen, bis solch Haupt-  
Remedium sicherlich adplicirt werden könne. Ne malum bene positum inten. pestive moueatur. Belle,  
lepide, vt nihil supra, si adplicationem respicias.*

### §. VIII.

Hiscе ausibus sufficere debent Reipublicae Syndici, excipere tela tot & tantorum aduersariorum, contundere ea, rursusque alia vibrare; arcere ita hostes, sicque incolumitatem, publicam salutem ac libertatem defendere, & regalia iura facta tecta seruare. Socium horum laborum habeo Virum Consultissimum, IO. ADOLPH. WEINHAGEN, Pro-Syndicum, qui vbique egregia plane ratione spartam sibi commissam

## PRAEFATIO.

---

missam ornat. Me in munere obeundo non negligentem, sed potius assiduum esse, conscientia testimonium perhibet. Num vero dignum agam assertorem, statorem, vindicem, tuitorem tantorum iurium? iudicet Senatus corona. Me ipsum enim vel propterea metior, quod in perorandis causis priuatorum, qui fiduciam in mea studia collocant, multum temporis impendendum sit. Accedunt crebrae excursiones ad loca vicina, & publicorum & priuatorum negotiorum causa suscipiendae. Auet cumulum laborum munus Assessoris curiae Hannoueranae. Immo ipsa Reipublicae Hildesiensis compages, & unio, quae veterem inter & nouam ciuitatem pacta est, sollicitudinem peculiarem efflagitat. Haec ut inconcussa stet, prospiciendum est. Hoc ipsum vero vel ideo saepius molestiam & temporis iacturam non modicam adfert, quod aduersarii per varias technas & vulpina blandimenta & illos circumuenire soleant, qui vindices & assertores iurium ac libertatis agere volunt. Hi autem saepius a semita in regiam reduci possunt viam.

### §. IX.

Maxima autem animi disturbia inde oriuntur bono viro, vbi tunc non solum contradictiones experitur, vbi super bono publico consulit & cauet; sed & contumelia, ignominia, immo

## PRAEFATIO.

---

immo iniuriis petitur. Auget moerorem, quod illi quidem, qui vera & recta amant, & aequali lance omnia ponderant, assensum praebent; Sed alii, qui, quae libent, sibi licere putant, & fluctus in simpulo quaerunt, in alia plane ruant. Verum quum mens recti conscia nec fulmina timeat; parui etiam merito pendet tales nectas nefariosque ausus. Turbari tamen inde non nihil animi requiem, non diffiteor; sed de illa reducenda mox cogito, quod & philosophia & religio id iubeant. Cognosco me hominem esse, adeoque & scio, me etiam tunc, ubi optimum elegisse puto, a vero & recto ex imbecillitate naturali aberrare posse. Vbi vero meliora video, deteriora non sequor, licet adparens rei familiaris commodum me flectere vellet. Tale quid hominem probum, honestum, iustum & ad clauum Reipublicae sedentem, non decet. Vbi itaque consulo & caueo, saluti Reipublicae & civium prospicere cupio. Si contingeret, me ab hoc scopo aberrare; sola naturalis & connata mentis imbecillitas in causa est. Me enim a partium studio, a *δωροφαιίας*, ambitus, repetundarum criminibus, alienum esse, puras manus, innoxiam mentem habere, eordium scrutator noscit.



## PRAEFATIO.

---

### §. X.

Dehinc non modicum temporis quandoque aufert litterarum commercium, quod vel ob muneris rationem effugere nequeo. Dandum deinde est aliquod tempus amicis, concedenda quandoque animo requies, faciendae laborum induciae. Debent enim lassae corporis membra vires recuperare, & mentis virtutes aliquando laxamenta operationum sentire. Denique licet in ipsa muneris executione supremo Numini cultus exhibeatur; officia tamen Christianorum praeterea efflagitant quotidiana sacrificia deprecationum, orationum, precum, gratiarum actionum. Inde facile est intellectu, paucillum temporis ad curas posteriores operis huius, mihi relictum fuisse. Praestiti tamen quantum potui. Priores quinque Tituli, licet quaedam contineant, quae in prima editione occurrunt, noui plene sunt iustiorumque ordinem & maiorem variorum dogmatum seriem exhibent. Scholia noua subinde sunt adpersa, alia quandoque aucta. Accessere deinde variae allegationes optimorum auctorum, unde plenior notitia eorum, quae strictim exposui, hauriri potest. Quo concatenata opusculi

## PRAEFATIO.

---

sculi structura etiam tunc conspici possit, ubi titulorum ordo materias connexas segregat, infinitae adiectae fuere remissiones. Denique copiosior & iustior adparet index, a me quidem haut adornatus, ad preces tamen meas a consultissimo viro Dr. ENGAVIO compositus, cui me propterea obstrictum profiteor.

### §. XI.

Sic itaque habitu magis culto & composito prodeunt haec mea elementa, saltem si prolegomena respicias, accuratiori methodo digesta. Pauca etiamnum addo. Quum enim iam sub prelo sudaret opusculum, ad manus meas perlata est *Historia Ecclesiae Gandersheimensis diplomatica*, a viro clarissimo, IO. CHRISTOPH. HARENBERGIO, amico & fautore, concinnata, variisque observationibus egregiis passim illustrata. Inde etiam nonnulla, quae meis studiis inserviunt, decerpere potuissem, si mox vastum hoc opus ad manus fuisset. Quae enim in *Part. I. §. CV. \*\* de Bullis, Breuiis, Rescriptis Pontificum*, speciatimque de *Bullis plumbeis & annulo Piscatoris* disserui, ex operis Harenbergiani *Tom. I. diss. VII. cap. 7. sect. 2.* illustrari possunt. Quae de *Canonicorum origine*

## PRAEFATIO.

---

gine, iuribus & officiis a me *Part. I. §. CCCC LXIX. seq.* obseruata sunt, lucem nonnullam foenerantur ex illis, quae HARENBERGIUS *cit. l. diff. V. §. 1. sequ.* differit. Egregia etiam sunt, quae *cit. l. diff. IV. §. 1. sq.* de vita Canoniarum, Praepositarum, Decanissarum, Custodum & Scholasticarum obseruat, adeoque ad illustrationem *Part. I. §. DX. seq.* conducunt. Monasteria olim Episcopis subiecta, sensim tamen eorum iurisdictioni subtracta fuisse, docet HARENBERGIUS *cit. l. Diff. VI. §. 1. & 2.* vnde meis elementis *Part. I. §. DCCCXIII.* plenior lux affunditur.

### §. XII.

Quae denique ad ornatum libelli pertinent, puta, charta elegans, saltem non vulgaris aut lituraria, typi noui & dentati, sphalmatum & vitiorum typographicorum sollicita emendatio, de his Bibliopola fidem dedit, quam etiam obseruabit. Fruere itaque Lector beneuole his meis laboribus, quibus in secundis hisce curis etiam illis obiectionibus obuiam itum est, quae Acta eruditorum Germanica. de notione ecclesiae legibusque ecclesiasticis obmouerunt. Non doctis, sed scientia iuris ecclesiastici imbuedis, haec elementa prodesse debent. In-  
gratum

## PRAEFATIO.

---

gratum illis non fuisse meum conatum, vel distractio exemplarium intra triennium & quod excurrit facta, testimonium perhibet. Nunc in adornanda historia ecclesiastica, in gratiam eorum, qui paulo pleniorum iuris ecclesiastici notitiam sibi comparare cupiunt, ubi otium conceditur, desudo. Prodibit, ut spero, ipsis nundinis Lipsiensibus autumnalibus Primum seculum, seu specimen mei instituti, sub rubro: Versuch einer Kirchen-Historie, so ferne solche als eine Einleitung zu gründlicher Erlernung der Geistlichen Rechts-Gelahrheit kann angesehen werden. Vale Lector bene-

uole, & meis studiis porro faue. Dab.

Hildesiae prid. cal. Maii Ao.

MDCCLXXXV.



ELE.



ELEMENTORVM  
IVRIS CANONICI  
ET PROTESTANTIVM EC-  
CLESIASTICI

LIBER TERTIVS,

DE  
VNIVERSA TRITVRA FORENSI.

TIT. I.

DE ORIGINE IVRISDICTIONIS ECCLE-  
SIASTICAE ET CONCILIIIS.

§. I.

**Q**Vum ecclesia sit instar reipublicae, Connexio.  
suos peculiare imperantes habentis, (P.I. §. II. seq.) & in antecedentibus de *personis & rebus ecclesiasticis*, quae iuris ecclesiastici obiectum constituunt, actum sit; nunc de exercitio huius iuris, seu de *iudiciis*, adeoque simul de *vniuersa tritura forensi*, an-

te omnia vero de origine *iurisdictionis ecclesiasticae*, agendum erit.

### §. II.

Quid iurisdictionis ecclesiasticae?

Vox vero iurisdictionis hic non aestimanda est ex sensu iuris Romani, sed ex significato, ecclesiis proprio, ut sic denotet: *Potestatem iudicandi, decernendi & determinandi omnia, quae salutem ecclesiae & negotia eidem propria concernunt.* Vides, sic imperium, sub iurisdictionis voce comprehendi, quum tamen, hanc potestatem mere *spiritualem* esse,\* contendant.

\* Verum si *spiritualis* esset ecclesiae potestas, non esset *iurisdictionis*, maxime non talis; prout illam delineavi. Haec enim *imperium coactivum & suprematum* quendam inuoluit, adeoque iurisdictionis spiritualis est *ουδ' αὐτοῦλον*. Spiritualia enim *coactionem* respuunt; (P. I. §. LIX.) iurisdictionis vero etiam in sensu Romano sine imperio esse nequit.

### §. III.

Origo illius.

Efformata illa fuit his fere gradibus: I. Ecclesia tanquam collegium vel ipsa directionem negotiorum exercere, de rebus ad collegium spectantibus cognoscere; vel hoc ipsum certis personis committere potest. (P. I. §. XXII. 5.) II. Sic itaque ecclesia primitiua directionem Episcopis commisit, simulque *cum illis* de rebus ecclesiae cognouit. a) III. Introdūta confoederata disciplina, in tuitu eiiciendorum & recipiendorum, *forma*  
quae.

a) BLONDELL, *de iur. pleb. in regim. ecclesiast.*

quaedam *iudiciorum* inualuit. *b*) IV. Inde Episcopi *audientiam Episcopalem* exercebant, tanquam arbitri quidam iuris in causis civilibus: *c*) cum V. in puniendis *delictis*, per receptam eiectionem, depositionem, poenitentiam, absolutionem, *tota ecclesia* cognosceret, dirigente tamen *Episcopo*: & si VI. grauitas causae id postulare, per *synodos prouinciales*, iudicium quoddam exerceret. *d*) VII. Verum iam seculo III. quidam Episcopi *iudiciariam potestatem* priuatiue adfectabant; *e*) quod licet VIII. tunc plerique improbant; mox tamen eandem sibi vindicabant, & ipsam scripturam in suas partes vocabant. *f*) IX. Ipsi Imperatores christiani, vt varia *negotia ciuilia* coram Episcopis, simplici quadam *notione*, citra admixtum imperium peragerentur, voluerunt. *g*) X. Abhinc id egerunt Episcopi, vt *clericos* a secularibus iudiciis abstraherent, quem in finem etiam varia priuilegia indultu Imperatorum obtinuerunt. *b*) XI. Ipsa iudicia synodalia tempore Imperatorum christianorum *publicam aucto-*

(A) 3

*rita-*

*b*) III. BOEHMER *iur. eccl. antiqu. diff.* 3.

*e*) ESPEN. *iur. eccl. P. III. tit. 1. c. 1. §. 1. sequ.* BASNAGIUS *annal. Tom. II. diff. de tribun. eccl.*

*d*) III. BOEHMER *cit. loc. §. 70. sequ.*

*e*) EUSEBIUS *hist. eccl. L. VII. c. 30.*

*f*) Matth. XVIII. 15. sequ. c. XXVIII. 18 sequ. Ioh. XX. 22. sequ.

*g*) vid. tit. C. *de Episc. audient.*

*b*) vid. L. 13. & 29. C. *de Episc. aud.* L. 51. C. *de Episc. & cler.* BINGHAM *Orig. L. V. c. 2.*

*ritatem* acceperunt, & ab hoc tempore Episcopi quaeuis pro imperio agere coeperunt: *i*) adeoque XII. se ipsos in conciliis cum clero a ciuili potestate omni *exemptos* pronuntiarunt: *k*) XIII. Causas etiam laicorum seu *ciuites* sub variis praetextibus sibi vindicauerunt: *l*) XIV. Olim vero ipsi Episcopi his iudiciis praefuerunt, & saltem leuiores causas *Archi Diaconis* (P.I. §.CCCCXX. seq.) delegarunt: sed XV. sec. XII. & XIII. confistoriis suis *officiales* & *vicarios* praefecerunt, (P.I. §.CCCCXXXIX. seq.) per quos *iurisdictionem contentiosam* explicarunt. *m*) XVI. In propugnanda hac iurisdictione ineptissima argumenta cumularunt. *n*) \* XVII. Accessere denique varii generis concilia, immo fuere olim, ceu iam vidimus, ipsa iudicia ecclesiastica, & dehinc in *dioecesana*, *prouincialia*, *occumenica*, & denique *nationalia* distributa; tractu vero temporis rursus neglecta fuerunt, cum non amplius hierarchiae conducere viderentur.

\* Im-

---

*i*) SOCRATES *hist. eccl.* L. VII. c. 9.

*k*) c. 46. C. II. *qu.* 1. Concil. Chalced. c. 9. Concil. Carthag. III. c. 43. Concil. Aurelian. III. c. 32. IV. c. 20. c. 11. X. *de for. comp.*

*l*) BASNAGIUS *cit. loc.* MORNACIUS *ad* L. 8. C. *de Episc. audient.* FLEURY *histoire de l'eglise* Tom. XIX. *disc. praelim.* §. 8.

*m*) ESPEN. *cit. loc. tit.* V. c. 1. *nr.* 21. *sequ.* THOMASSI-NUS *de* V. & N.E. D. P. I. L. II. c. 8. §. 4.

*n*) THOMASII *hist. content. inter Imp. & sacerdot.* §. 109. *sequ.*



\* Immo Vir alias doctissimus, ANT. DADIN. ALTESERRA, in *eccl. iurisdic. vindic* vbi Episcoporum Iurisdictionem e iure diuino deducere allaborat, ineptias prodit.

## DE IURISDICTIONE ECCLESIASTICA INTER PROTESTANTES.

### §. IV.

Quodsi ad trutinam euangelii, ea, quae de iurisdictione ecclesiastica dicuntur, reuocanda forent, vti inter Protestantes fieri congruum est; tunc 1) nulla plane iurisdictione de ecclesia ceu *collegio aequali* (P. I. §. XVIII. seq.) praedicari potest: sicque 2) omne *imperium* hic exfulare debet, (P. I. §. XIV. seq.) quorsum etiam Christi & Apostolorum doctrina collineat. o) Accedit, 3) quod, licet primae ecclesiae quaedam singularia habuerint, tamen ab ecclesia *pressa* ad ecclesiam *pacatam* argumentatio haut procedat. p) Quum vero his non obstantibus 4) etiam inter Protestantes *iurisdictione ecclesiastica* occurrat, de huius indole circumspicendum erit.

Generalis observatio de iurisdictione eccles. Protest.

### §. V.

Decepti fuere tempore reformationis Protestantes principiis iuris canonici, putantes: dari omnino *peculiarem potestatem ecclesiasticam externam*, quod 1) duplicia iudicia, *secularia & ecclesiastica*, sub ipsis initiis re-

Origo consistoriorum eorumque potestas.

(A) 4 for-

o) *Matth. XVIII. r. XX. 21. sequ. Marc. IX. 34. Luc IX. 46. I. Petr. V.*

p) SECKENDORF *hisor. Lutheran. Lib. III. §. 119. nr. 4. seqq.*

formationis deprehenderent: deinde 2) quum per transactionem Passäuiensem suspensa fuerit Episcopalis potestas intuitu Protestantium, illam mox Principes sibi vindicarunt, seque *Episcopos*, intuitu territoriorum, dixerunt: hinc 3) *duplex persona* Principibus adscripta, & sic etiam *duplex iudicium* efformandum esse creditum, & pro *consistoriorum* necessitate mox pugnatum fuit: sic 4) iuxta iuris canonici tradita consistoria adornata fuerunt: q) ita, vt 5) in dubio a potestate *officialium* inter Pontificios (P. I. §. CGCCXLII. seq.) ad *consistoria* Protestantium argumentatio procedat: ita tamen, vt 6) a consistorio *recursus ad Principem* in saluo sit. qq)

## §. VI.

*Episcopis.* Quum vero omnis iurisdictio pars sit civilis imperii, & superioris potestas intra terminos territorii fundatam intentionem habeat, (P. I. §. LXXVIII. seq.) sequitur: 1) vt etiam ecclesiastica iurisdictio *pars civilis imperii* sit: r) 2) vt proinde consistoria *necessaria* haud sint, nec, vt constituantur, semper *consultum* sit: vt tamen 3) vbi vel *legibus imperii* vel *conuentione* cum statibus prouincialibus aliud cautum fuit, necessitatis ea esse, dici queat: (P. I. §. XCVII.) 4) vt regulari-

q) STEPHANI *de iurisd.* Lib. IV. c. 1. sequ.

qq) CONF. B. MART. SCHRADERI, olim Proto-Synd. Reipubl. Hildes. eruditus tractatus, *de causis consistorial.*

r) MVGO *de stat. regn. Germ.* c. 3. §. 18. sequ.

lariter a *Principe*, non vero ab ecclesia dependeant: 5) vt causae ecclesiasticae non necessario *clericos* requirant, quum etiam *laici* eas diiudicare possint: denique 6) vt *Princeps* consistorium haud constituat qua *Episcopus*.

TIT. II.  
DE IVDICIIS.  
§. VII.

**I**urisdicio omnis eo potissimum tendit, vt *Connexio.*  
ius cuique reddatur, ordine iudiciario obseruato; adeoque ad *iudicia* seu *ordinem iudiciarium* in genere ducimur. Est vero *Quid iudicium?*  
iudicium: *Legitima causae disceptatio & decisio, a iudice competente facta.*

§. VIII.

Diuiditur in *ecclesiasticum & seculare*; in *ordinarium & extraordinarium* seu *summariam*; in *ciuile & criminale*. Taceo alias diuisiones in doctrina *Pandectarum* obuias.

§. IX

*Ecclesiasticum* est: *Quod coram iudice ecclesiastico contra personam ecclesiasticam aut de causa ecclesiastica peragitur.* 5) *Seculare* est: *Quod coram laico iudice, inter personas seculares, aut de causa seculari exercetur.* 1) *Ordinarium* est: *Vbi praescriptus sollempnis ordo iudiciarius accurate est obseruandus.* 2) *Extraordinarium* est: *In quo de simplici & plano sine*

*Quid ecclesiasticum?*  
*Quid seculare?*  
*Quid ordinarium?*  
*Quid extraordinarium?*

(A) § stre-

5) c. 2. X. de iudic. c. un. X. de iur. comp.

1) c. . X. de iudic.

2) Clement. 2. de V. S.

*strepitu & figura iudicii proceditur, obseruatis saltem substantialibus processibus, sollemnibus*  
 Quid ciuile? *omissis, x)* Ciuile est: *Vbi de causis ciuilibus, vel ad singulorum patrimonium pertinentibus disceptatur.* Criminale denique est: *Vbi de disciplina in delinquentes & facinorosos exercenda agitur.*

§. X.

Axiomata. Ex tradita de iudiciis definitione notanda axiomata: I. Iudicium constituunt *actor, reus, iudex.* II. Iudex debet esse competens quotiescunque causae cognitione opus est.

§. XI.

Quid actor? Per *actorem* intelligo eum: *Qui in iudicio sibi velius in re esse, vel ab alio sibi dari oportere intendit.* Per *reum* illum denotari volo: *Vnde aliquid petitur.* Denique *iudex* erit: *Vir bonus & habilis, publica auctoritate iuris dicendi causa constitutus.*

§. XII.

Diuisio iudicium. Missis illis, quae circa actorem & reum moneri possunt, quum ea iam aliunde nota sint, ad iudicem statim progredior, & palmariam diuisionem, ut vel *ordinarius* sit, vel *delegatus* seu *extraordinarius*, neglectis aliis, commemoro. Est vero *ordinarius*: *Qui vi officii vel proprio quodam iure, vel superioris voluntate iurisdictionem vniuersaliter exercet. y)* *Extraordinarius* vero seu *delegatus* est:

x) Clement. 2. eod.

y) c. 1. D. 22. tit. X. de offic. iud. ordin.

est: *Qui non proprio iure, sed alterius delegatione, mandato aut commissione iurisdictionem exercet.* \* 2) Quis extrordinarius?

\* Non loquor itaque de *delegatis a lege*, qualem delegatam potestatem Episcopi in pluribus casibus exercent, quia alias reseruatii sunt Pontifici. WIESTNER *institut. iur. can. tit. de offic. & potest. iud. deleg. nr. 7.*

### §. XIII.

Ex his iudicum descriptionibus noua Specialia axiomata de iudiciibus. axiomata exsurgunt: I. Ordinarius in quocunque loco territorii per se tribunal exercere potest. II. Integrum etiam est illi, iurisdictionem aliis delegare III. Pontificis delegati ampliori gaudent potestate. IV. Fit delegatio omnis diuersimode. V. Delegantur regulariter subditi. VI. Praesupponit delegatio in delegato certas qualitates. VII. Est omnis delegatio stricti iuris. VIII. Varia ratione expirat.

### §. XIV.

Quum itaque omnis ordinarius in territorio per se *tribunal exercere* possit, (§. XIII. I.) sequitur: 1) vt *causas* audire & *decidere*, 2) *personas*, si merita exposcant, *punire*, & 3) omnia ad officium pertinentia exercere possit: a) 4) vt ei integrum sit, iudiciis *personas*, quoad omnes causas iurisdictionem exercentes, praeficere: 5) vt, licet superiorem agnoscat, ille tamen in subditos ordinarii

2) c. 33. *de offic. & potest. iud. deleg.*

a) c. 7. *de offic. iud. ordin. in 6.*

rīi in prima instantia nullam iurisdictionem exerceat. b)

## §. XV.

Generalia  
de delega-  
tis ordina-  
riorum.

Quumque ordinario integrum sit, iurisdictionem aliis delegare, (§. XIII. 2.) sciendum est: 1) hic sermonem esse de delegatis *ad certam causam*: 2) hinc ordinariorum delegatos *subdelegandi* facultate non gaudere, nisi α) id expresse *inductum*, aut β) *causarum vniuersitas* illis delegata, & γ) quoad actus *particulares* delegatio facta fuerit: c) 3) in delegatis ab ordinario nullam requiri *dignitatem*, modo alias sint habiles.

## §. XVI.

De delega-  
tis Pontifi-  
cis.

Quum vero Pontificis delegati ampliore potestate gaudeant, (§. XIII. 3.) notari debet: 1) *praxin* delegationum a curia Romana originem trahere, & radicatum factam fuisse, ex quo ordinariorum ordinarius esse coepit Pontifex: \* 2) Pontificem saltem delegare in *dignitate* aut *personatu* (P. I. §. DCCC LXI. 2.) constitutos: d) 3) hos delegatos *instar ordinariorum*, hoc est, *Episcoporum* esse, adeoque & iure *subdelegandi* gaudere: e) 4) quum *legati a latere* omnia Pontifici speciatim non reseruata sibi vindicent, (P. I. §. CCCCLV. 6.) vt & hi *delegare*, & vbi in dignitate constitutos delegauerint, illi rursus  
*sub-*

b) c. 9. & 11. X. *de offic. iud. ordin.*

c) ESPEN. *iur. eccl.* P. III. tit. 5. c. 2. §. 8.

d) 11. *de rescript. in 6.*

e) c. 3. & 27. X. *de offic. & pot. iud. deleg.*

*subdelegare* possint: f) §) hoc ipsum etiam in praxi ratione delegatorum ab *Imperatore*, ubi vel *Statibus imperii*, vel *uniuersitatibus* commissionem mandat, obseruari, & facultatem *subdelegationis* tacite subintelligi.

\* Inualuere delegationes Pontificis, ex quo appellationes ad sedem Papalem admiffae fuerunt.

### §. XVII.

Quum deinde omnis delegatio diuersi. Modus delegationum diuersus. modo fieri soleat, (§. XIII. 4.) inde discimus: 1) delegari posse vel totam causam, vel partem illius: g) 2) posse & *modum procedendi* praescribi: 3) fieri delegationem vel *motu proprio*: b) vel ad *petitionem* alterius: 4) vel *simpliciter*, vel cum aliqua *clausula*: §) vel *vnus* delegatur, vel *pluribus* negotium committitur: 6) plures ubi dati, respiciendum: utrum *indefinite*, an *definite* dati fuerint? quia exinde dependet, quatenus vel omnes *coniunctim*, vel *vnus sine altero* procedere in causa possit. i)

### §. XVIII.

Quum dehinc regulariter saltem subditi Quatenus delegati cogi possint ad commissionem. delegentur, (§. XIII. §.) sequitur: 1) ut delegari ad delegationem suscipiendam *cogi* possint: k) 2) ut illis multo minus integrum sit,

f) *cont. c. 18. d. de sentent. & re iud. c.*

g) *CORVINVS institut. iur. can. L. III. tit. 2. §. 23.*

b) *MEVIVS P. III. dec. 217. STRYK dissert de motu propr. Princ.*

i) *STRYK diss. de clausulis commission.*

k) *MEVIVS P. V. d. 400.*

fit, delegationem semel *susceptam deserere*, l) dummodo  $\alpha$ ) delegatus *iustas causas* allegare nequeat, quibus commisionem declinare possit; &  $\beta$ ) *conditio* commissariorum coactionem non respuat. m)

## §. XIX.

Qui delegari possint?

Quumque alterius delegatio in delegato certas qualitates supponat, (§. XIII. 6.) notari debet: 1) arceri omnes, qui *iudicis munere* fungi nequeunt. n) In specie vero desiderari  $\alpha$ ) legitimam *aetatem*; o)  $\beta$ ) in delegatis a Pontifice *dignitatem*; (§. XVI. 2.)  $\gamma$ ) considerandum esse statum, quum ad ecclesiastica negotia *laici* delegari nequeant; p)  $\delta$ ) respici ad integritatem morum, ut haud sint *suspecti*, q) quum hi *recusari* possint.

## §. XX.

Potestas delegatorum.

Quumque delegatio sit stricti iuris, (§. XIII. 7.) sequitur: 1) ut potestas delegatorum ad rescriptum seu *mandatum commissoriale* sit adstricta: (conf. §. XVII. 2) r) 2) ut proinde ipsi citationi *exemplum mandati* adnectere debeant, quo partes exinde videant, quid in commissis habeant: s) 3) ut tamen ea

---

l) RVLANDVS *de commissar.* P. I. Lib. II. c. 25.  
 m) conf. c. 21. *de offic. & potest. iud. deleg.* in 6.  
 n) conf. CORVINVS *cit loc* §. 12 *seqq.*  
 o) c. 41. X. *de offic. & potest. iud. deleg.*  
 p) c. 2. X. *de iudic.*  
 q) c. 17. X. *de offic. & potest. iud. deleg.*  
 r) c. 21. 32. 37. 40. X. *cod.*  
 s) conf. c. 31. X. *cod.*



ea omnia facere possint, sine quibus *ipsa commissio* expediri nequit: *t*) 4) vt ad totam causam dati etiam *mixto imperio* gaudeant: *u*) 5) vt nulla forma praescripta *iuris formam* obseruent: *x*) 6) vt etiam remedia suspensiu a delegatis permessa sint. *y*)

## §. XXI.

Quum denique delegatio varia ratione exspiret, (§. XIII. 8.) tenendum est: 1) officium delegati cessare *morte delegantis*, re adhuc integra, seu si delegatus, eo viuente, iurisdictione nondum vñs fuerit: 2) *morte delegati*, nisi forsàn *dignitatis* intuitu delegatio facta fuerit: *a*) 3) *temporis* lapsu, si illa ad tempus restricta, nec a partibus *prorogatio* facta fuerit: *b*) 4) finito negotio, ad quod dati fuerunt: *c*) 5) *recusatione* ob suspicionem facta: (§. XIX. *d*) 6) *reuocatione*, quae Principi & ordinario semper; legatis vero Pontificis (§. XVI. 4.) demum re integra competit: *d*) 7) *contrario rescripto*: *e*) 8) quodammodo etiam *impedimento*. *f*)

Quando cesset delegatorum officium.

## §. XXII.

*t*) c. 21. X. eod. WIESTNER *instit. iur. can. tit. eod. nr. 48.* CORVINVS *cit. loc. §. 28.*

*u*) c. 4. 5. & 28. X. eod.

*x*) c. 13. & 27. X. eod.

*y*) c. 3. eod. in 6.

*z*) c. 30. X. eod. c. 6. eod. in 6.

*a*) c. 14. X. eod.

*b*) c. 4. X. eod.

*c*) c. 9. X. eod.

*d*) c. 28. & 37. X. eod. c. 6. eod. in 6.

*e*) c. 3. X. de rescript.

*f*) c. 13. X. eod.

## §. XXII.

Quis iudex  
competens?

Quia vero iudex competens esse debet, quoties causæ cognitione opus est, (§. X. 2.) sciendum est: 1) *competentem* illum dici, qui reum *cogere & coërcere* potest: 2) ut proinde actoris sit, sequi *forum rei*: g) 3) ut reo, ad iudicem incompetentem vocato, impune liceat *emanere*: saltem 4) ei in mundo sit exceptio *incompetentis iudicis*.

## §. XXIII.

Fori com-  
petentia  
quotuplex?

Quandoquidem itaque actor forum sequitur rei, (§. XXII. 2.) notari debet: 1) forum dici: *Locum, ubi lites & controuersiae iudiciales exercentur*: b) 2) forum quemque sortiri, aut ex *iure communi*, aut ex *iure singulari*; 3) quod ex iure communi quis habet, vel *generale* esse, ad omnes causas pertinens; vel *speciale*, certis causis proprium: 4) generalia esse fora *originis & domicilii*: 5) specialia fora *contractus, delicti, rei sitae, continentiae causarum & prorogatae iurisdictionis*.

## §. XXIV.

De foro do-  
micii.

Primum forum generale itaque in *domicilii loco* agnoscimus, quod 1) vel *proprium* est, vel *commune*: 2) commune sicuti olim *Roma* fuit omnium ciuium Romanorum; ita hodiernum quilibet *clericus Romae deprehensus* forum ibi sortitur in prima instantia: i) 3) *proprium domicilium* vel *voluntarium* esse,

g) c. 5. & 8. X. de for. comp.

b) c. 10. X. de V. S.

i) c. fin. X. de for. comp.

esse, vel *necessarium*: 4) ad hoc requiri animum cum actuali habitatione: 5) ibi institui posse *omnes actiones* speciatim non exceptas. k)

## §. XXV.

Inter fora vero specialia quum forum *Contractus* contractus referatur, (§. XXIII. 5.) notari debet: 1) ita adpellari illud: *Vbi quis daturum facturumve promisit*; vel *vbi contractus est perfectus*: 2) hoc quempiam fortiri, si ibi *reperiatur*. l)

## §. XXVI.

Forum delicti (§. XXIII. 5.) esse, vbi quis *Delicti* delictum, 1) vel *inchoavit*, vel 2) *perfectit*, vel 3) eo perpetrato *deprehenditur*. m)

## §. XXVII.

Forum rei sitae (§. XXIII. 5.) obtinere in *Rei sitae* actionibus *in rem*, siue corporalis, siue incorporalis; siue mobilis, siue immobilis sit. n)

## §. XXVIII.

Forum continentiae caussarum obtinere: *Continentiae caussarum* Si caussae ita sint connexae, ut commode separari nequeant. o) Denique prorogatae iurisdictionis forum esse: *Prorogatae iurisdictionis* Vbi quis vel ultro incompetens forum agnoscit, vel ob reconvencionem agnoscere tenetur.

## §. XXIX.

k) conf. c. 8. X. eod. c. 3. X. de dol. & contum.

l) c. 1. de for. comp. in 6.

m) conf. ZIEGLER de for. comp. delinqu.

n) c. fin. X. de for. comp.

o) c. pen. X. de in integr. restit.

## §. XXIX.

Forum pri-  
uilegiatum  
intuitu  
causae.

Quum vero quis etiam ex iure singulari seu priuilegio forum sortiatur, (§. XXIII. 2.) priuilegia vero vel ad *personam*, vel ad *causam* pertineant; (P. I. §. CXLVI.) sciendum est, 1) ratione causae forum fundari citra *distinctionem* personarum: p) 2) proinde in specie *ecclesiasticas* in foro ecclesiastico tractandas esse; q) maxime, si 3) in *petitorio* de illis agitur: r) adeo, ut 4) sic omnis *praeuentionio* cesset, quae tamen 5) in causis *mixtis* attendi solet: ut adeoque 6) *temporales* in seculari iudicio tractandae sint, nisi secularis iudex *iustitiam* facere negligat. s)

## §. XXX.

Ratione  
persona-  
rum.

Priuilegiato foro, qua *rei*, gaudent 1) *clerici* omnes; t) adeo, ut 2) nequidem *uoluntaria prorogatione* (§. XXVIII.) iudicis secularis cognitioni, ex vulgi sententia, se submittere possit: u) 3) hoc priuilegiato foro etiam gaudere eorum *familiam* x) & 4) *seruos dotales*. y) 5) Priuilegiato porro gaudere foro Consiliarios Principis, Professores,

Do.

p) CONF. BOHNII *dissert. de laic. for. eccl.*

q) C. 8. X. *de arbitris.*

r) ESPEN. *iur. eccl. P. III. tit. 2. c. 4. nr. 39. sequ.*

s) THOMASIVS *diss. de denuntiatio. euangel.*

t) C. 2. X. *de for. compet.*

u) C. 12. X. *de for. comp.*

x) MEVIVS P. III. *dec. 137.*

y) C. 69. C. 12. *qu. 1.*

Doctores, Studiosos, alios: 6) priuilegiata fora reorum cessare *α)* ob *continentiam causae*; (§. XXVIII.) *β)* in *litis denuntiatione*; *γ)* *reconuentione*; *δ)* *reali actione*, (§. XXVII.) *ε)* *successione non priuilegiato facta*; *z)* *ζ)* *delicto grauiori*; *α)* *η)* *caussa feudali*: *b)* 7) *actoribus priuilegiatum forum tribuitur, si sunt personae miserabiles. c)*

## TIT. III.

## DE CITATIONE.

## §. XXXI.

**I**N iudiciis occurrunt *actiones*; harum ve. Connexio.  
ro fundamentum & principium est, in *ius vocatio* seu *citatio*: \* immo constituit hodie *initium iudiciorum*, adeoque ante omnia huius indoles enucleanda erit.

\* Olim differebat in *ius vocatio* a *citatione*, & quodammodo adhuc hodie ab inuicem differunt. Hic vero promiscue vocibus utor.

## §. XXXII.

Est vero *citatio*: *Legitima rei vocatio, iussu* Quid citatio?  
*iudicis, rogatu actoris facta, ad rei notitiam legitime perducta.*

(B) 2

## §. XXXIII.

*z)* GAILIVS *Lib. I. Obs. 37.*

*a)* CONF. HILLIGER *dissert. de for. cler. delinqu.*  
STRYK *de for. ministr. eccl.* ZIEGLER *de for. priuil.*

*b)* c. 5. & 13. X. *de iudic.* LVDER MENCKE *de for. compet. vasall.*

*c)* THOMASIVS *de acquit. L. vn. C. quand. Imp. inter pupill. &c.*

## §. XXXIII.

Diuisio.

Varie illa diuidi solet. I. In citationem *iuris*, puta, vbi *lex vel canon certum terminum, intra quem quis quid per agere debet, praefixit; d)* & in citationem *hominis*, quae fit, vbi *quis iussu iudicis vocatur. e)* II. Vtraque ex his vel *generalis* est, vbi *omnis, qui interesse sua putauerit, vt negotio adfit, monetur; f)* aut vbi fit *in primordio litis, ad totam causam; g)* vel *specialis*, qua mediante *certa persona, aut ad singulos actus, in iudicio expediendos, vocatur. III.* Alia est *priuata*, seu, quod eodem recidit, *ordinaria*, vbi *reo citatio insinuat; b)* vel *publica*, seu *extraordinaria*, quae per *edictum, vocem praeconis, aut alia ratione* proponitur. *i)* IV. Alia fit *viua voce*, alia per *scripturam.\** V. Alia est *mediata*, vbi per *requisitionem subsidialem aliquis citandus est; alia vero immediata*, vbi *iudex suae iurisdictioni subiectos euocat. VI.* Alia est *dilatatoria*, vbi *iudex non statim emanente reo in causa procedit; alia vero peremptoria*, vbi *in contumaciam absentis procedere solet. Denique VII.* alia *monitoria* est, vbi *non abscessse comparere tenetur citatus; alia vero arctatoria*, in qua *praesentia & comparitio citati requiritur.*

\* Ad-

d) Clement. 2. de poen.

e) c. 6. X. de dol. &amp; contum. c. 15. X. de accusation.

f) conf. c. 1. de election. in 6.

g) c. 5. X. de in integr. restit. c. 10. X. de dol. &amp; contum.

b) Clement. 1. de iudic.

i) Clem. vn. de for. comp. Clem. 3. de elect.

\* Addunt alii diuisionem in *verbalem & realem*, & de reali integrum tractatum concinnauit POSNER *de citat. real.* Sed realis est potius medium praecauendi, ne citatio inutilis fiat, quam citatio.

## §. XXXIV.

Tenenda de his axiomata: I. Citatio Axiomata. omnis fit praeepto iudicis. II. Fieri debet legitime. III. Perducenda est ad rei notitiam. IV. Producit varios effectus.

## §. XXXV.

Quum itaque citatio fiat praeepto iudicis, (§. XXXIV. 1.) sequitur: 1) vt citare possint & *ordinarius & delegatus*: (§. XII.) k) 2) vt citare debeant intra *limites iurisdictionis*, & 3) ad *locum iudicii*: l) 4) vt exaranda sit a *iudice competente*, m) & 5) ad *partium instantiam*: n) nisi 6) *caussa ita comparata*, vt ex officio procedere iudex possit. o)

Quis decernat citationem?

## §. XXXVI.

Quumque citatio fieri debeat legitime, Quomodo? (§. XXXIV. 2.) sciendum est: 1) eam continere debere *nomen citantis iudicis, actoris & rei*: p) 2) *causam*, ob quam quis sistere se debeat: (B) 3

k) c. 1. X. de *causs. possess.*

l) c. II. de *rescript. in 6.* BEYER *de expedit. actuum iudic. extraiudic.*

m) Clem. 2. de *sent. & re iudic.*

n) c. 18. X. de *for. compet.*

o) III. BOEHMER *diss. de iud. ex offic. proc. in proc. civil.*

p) c. 31. X. de *off. & pot. iud. del. c. 2. de rescr. in 6.*

beat: q) 3) *locum*, vbi ius dicendum sit: r) 4) *diem*, quo reus adesse debet: s) 5) fieri de-  
bere citationem, si in contumaciam proce-  
dere velit iudex, *tribus edictis*, vel *vno per-  
emptorio* tantum temporis, quantum alias tria  
interualla largiuntur, continente. t)

## §. XXXVII.

Quinam ci-  
tandi &  
quomodo.

Quumque porro ad citati notitiam legi-  
time perduci debeat, (§. XXXIV. 3.) conse-  
quens est: 1) vt citandi sint omnes, quorum  
*interest*, quorumque *caussa agitur*, & quidera  
2) vel *in faciem*, vel *ad domum*, u) vel 3) si ne-  
mo citationem recipere velit, *aedibus* ea *ad-  
figenda* sit: x) 4) vt *edictalis* citatio tunc de-  
mum fieri debeat, si quis alia ratione citari  
nequit: y) 5) vt tunc fieri debeat in locis *vi-  
sinis*, seu illis, ex quibus verosimiliter ad no-  
titiam citandi peruenire possit: z) vt cita-  
tio non solum in *singulis causis*, sed etiam in  
*singulis actibus* fieri debeat: a) nisi 7) ab ini-  
tio generalis citatio ad *totam causam* exarata  
fuerit: b) 8) vt ex actis adparere debeat, ci-  
tationem

q) c. 2. X. de dilat.

r) c. 11. De reser. in 6.

s) c. 6. X. de dol. & contum.

t) c. 5. §. fin. X. de in integr. restit. c. 6. X. de dol. &  
contum. c. 1. X. de dilat.

u) c. 3. X. de dol. & contum.

x) L. 4. §. 5. ff. de damn. infect.

y) c. 3. X. de dol. & contum. Clem. 1. de iudic.

z) Clem. vn. de for. comp. c. 3. de elect. in 6.

a) c. 1. X. de caus. possess. Clem. 2. de sent. & re iud.

b) c. 6. X. de dol. & contum.



tationem legitime fuisse infinuatam, vel *nunci relatione*, vel *confessione* citati: c) 9) ut si quis extra territorium citandus sit, iudex *alterius subsidio* uti debeat.

## §. XXXVIII.

Quum denique citatio varios producat <sup>Effecta cita-</sup> effectus, (§. XXXIV. 4.) sciendum est: 1) quod citatum obstringat cogatque, se *sistere* iudicio: d) ita tamen, ut 2) ubi non comparuerit, *legitima impedimenta* deducere possit: e) 3) quod operetur *Præventionem*; f) 4) perpetuet *iurisdictionem*; g) 5) *suspendat* iudicis potestatem per interuallum termino datum; 6) inducat *litis pendentiam*: b) 7) faciat, in actionibus in rem, *rem litigiosam*. (§. LXXI. d)

## TIT. IV.

De

## PACTIS ET TRANSACTIONIBVS.

## §. XXXIX.

**C**itati ad forum competens non semper <sup>Connexio.</sup> *liti se committunt*, sed saepius iudiciorum.

(B) 4

rum

c) MARANTA *in spec. aur. tit. de citat. nr. 55.*d) c. 19. X. *de for. comp.* c. 6. X. *de dol. & contum.*e) STRYK *diff. de legit. imped.*f) c. 10. X. *de for. compet.*g) c. 20. X. *de offic. & pot. iud. del.* Clem. 2. *Ut lit. pend.*b) Clement. 2. *Ut lit. pend.*

rum metu ad *pacta & transactiones* veniunt, de quibus ea, quae huc faciunt, adnotanda sunt.

### §. XL.

Quid hic  
pactum?

Per pactum vero hic non intelligo quamlibet conventionem, mutuo consensu factam; sed: *Gratuitam remissionem iuris, ad evitandum litigium, deliberato animo factam.*\*

Quid trans-  
actio?

Transactionem dico: *Conventionem, qua res dubia, dato aliquo vel retento, vel promisso, deciditur.*

- \* Pacta omnia deliberata iure naturali & gentium obligationem producere, ne Romani quidem ambigebant, licet ex certa status ratione *pactis nudis* obligatoriam vim denearent. Sed canonica iura relicta hac subtilitate rem ad naturalem simplicitatem reducerunt, & ex pacto, quod Romani nudum dixere, actionem concesserunt. vid. Illustr. BOEHMER *Lib. I. tit. 35. §. 4. seqq.*

### §. XLI.

Axiomata.

Notanda proinde axiomata: I. *Pacifici* possumus de rebus in litigium deducis, nisi lex aut boni mores repugnent. II. *Transigitur* de re dubia, dato aliquo vel retento, vel promisso. III. *Pactis & transactionibus* lites ab ipsis partibus deciduntur.

### §. XLII.

## §. XLII.

Quandoquidem itaque pacisci possumus Quae pacta  
sint valida?  
de rebus litigiosis, vbi nec lex, nec mores  
boni repugnant, (§.XLI.1.) consequens est:  
1) vt saltem de rebus *privati arbitrii* pactio-  
nes valeant: 2) vt de rebus *ecclesiasticis* illi  
saltem pacisci possint, quibus *alienandi* fa-  
cultas competit: (P. I. §.DCCCXXXVII.) i)  
3) vt tamen pacisci possimus de *beneficiis*  
*omnibus*, & 4) omnibus rebus in commer-  
cio existentibus: 5) vt tamen pactio *invalida*  
sit, si  $\alpha$ ) inde *periculum animae* inferatur;  $k$ )  
aut  $\beta$ ) ea *turpitudinem* inuoluat;  $l$ ) aut  $\gamma$ )  
*impossibilis* sit;  $m$ ) aut  $\delta$ ) *ecclesiae damnum* at-  
trahat:  $n$ ) 6) vt de reliquo pacta etiam *apo-*  
*stolicis privilegiis* derogent:  $o$ ) 7) vt iniri so-  
leant *saluo iure tertii*:  $p$ ) 8) vt proinde exce-  
pta censeatur *superioris auctoritas*:  $q$ ) 9) vt  
denique Pontifex ex causa a pacto *absolvere*  
possit.  $r$ )

## §. XLIII.

Quum deinde transigatur de re dubia, da- Quae trans-  
actiones?  
to aliquo vel retento, vel promisso, (§.XLI.2.)

(B) §

con.

i) vid. c. fin. de pact. in 6.

k) c. 4. 5. &amp; fin. X. de pact.

l) c. 5. 8. 12. 17. 20. &amp; 21. C. 22. qu. 4.

m) c. fin. X. de pact.

n) c. 7. X. eod.

o) c. 3. X. de decim. Clement. 2. de sepult.

p) c. 8. X. de censib. c. 5. &amp; 8. X. de transact.

q) c. 19. &amp; 22. X. de iureiur. c. 19. X. de rescr.

r) c. 2. 3. 4. C. 15. qu. 6. c. 2. X. de vor.

consequens est: 1) vt sufficiat *metus litis* imminens; adeoque, 2) vt ex *laesione* transactiones impugnari nequeant: 3) vt tamen saltem de rebus *priuati arbitrii* transigere possimus, adeoque non valeat transactio  $\alpha$ ) contra matrimonium,  $\beta$ ) nec  $\gamma$ ) pro lubitu de rebus *ad ecclesiam pertinentibus*;  $\delta$ ) nec  $\epsilon$ ) de causis *fidei*; (P. I. §. LXXXV.) nec  $\zeta$ ) indistincte de *criminibus*.

## §. XLIV.

Effecta  
transactio-  
nis.

Quum denique partes transactione lites decident, (§. XLI. 3.) facile reddideris rationem, cur 1) *iudex* ipse ad transactionem litigantes *ex officio* deducere debeat:  $x$ ) immo 2) pro re nata quadantenus *cogere* ad concordiam possit, si *publica utilitas* hoc efflagitet:  $y$ ) 3) cur non solum similem firmitatem habeat, ac pactum;  $z$ ) sed & 4) neque ob *laesionem*, nec ob *instrumenta* nouiter reperta, nec per *rescriptum Principis* impugnari possit: dummodo  $\zeta$ ) non *metu, dolo, aut falso instrumento* extorta: nec  $\delta$ ) *error in calculo* commissus fuerit,  $a$ )

## TIT. V.

1) KNORR *de non rescind. transact. ob laes. ultr. dimid.*

2) c. fin. X. *de transact.*

3) c. 2. 7. & 8. X. *cod.*

$x$ ) conf. c. 1. X. *de mut. petit.*

$y$ ) conf. MEVIUS P. III. *dec.* 217. a 1d. P. I. *dec.* 224.

$z$ ) c. 1. X. *de transact.*

$a$ ) conf. tit. ff. & C. *de transact.*

TIT. V.  
DE ARBITRIS

§. XLV.

**M**etu iudiciorum, & ubi nec amicabilis Connexio.  
compositio, nec transactio locum in-  
uenit (§. XXXIX.) *compromittunt* quandoque  
partes, & sic ad arbitros ducimur. Est vero  
arbiter: *Vir bonus, qui partium compromisso* Quis arbi-  
*electus, causam cognoscendam definiendamque* ter?  
*recepit.*

§. XLVI.

Sunt vel *ordinarii*, quorum referunt *iudices* Diuisio.  
*prorogatos*; vel *arbitrarii*, quorum po-  
testas a *compromisso partium* pendet; vel *iuris*,  
qui ex legis dispositione adsumendi, hodie  
autem fere incogniti sunt.

§. XLVII.

Notanda de illis axiomata; I. Est arbiter Axiomata.  
loco iudicis, non tamen iudex. II. Ut arbi-  
ter quis sit, requiritur ex parte litigantium  
compromissum, ex parte electi receptio.  
III. Cognoscit in causa, & eam definit. IV.  
Stare tenentur partes eius sententiae.

§. XLVIII.

Quum itaque arbiter loco iudicis, nec ta- Qui eligi  
men iudex sit, (§. XLVII. 1.) consequens est: pollit?  
1) ut, qui causam cognoscere & definire  
non posse intelliguntur, nec arbitri esse pos-  
sint; adeoque 2) *feminae*, si iurisdictione or-  
dina-

dinaria praeditae haud sint; b) nec 3) *laici* in causis spiritualibus, nisi simul *in clericum* compromissio facta; c) nec 4) manifeste *excommunicati*; d) nec 5) *monachi* sine superioris licentia; nec 6) qui alias *iudices* esse *prohibentur*, hoc officio fungi possint: de reliquo vero, 7) quum res ad voluntatem compromittentium redeat, sequitur, vt compromitti possit in omnes, etiam 8) in *infames*, 9) in *filios familias*, in causa patris; e) 10) in *iudicem ordinarium*. \* f)

\* Tunc tamen circumspectendum: vtrum compromissum in iudicem *qua talem*, an *qua priuatum*. LAVTERBACH *diff. de arbitr. comprom.*

### §. XLIX.

A quibus  
& quomodo?

Quum deinde ex parte litigantium compromissum, ex parte electi receptio requiratur, (§. XLVII. 2.) sequitur: vt 1) compromittere possint, qui *liberam rerum administrationem* habent, adeoque a) *procuratores* sine speciali mandato; g) β) *Praelati* sine consensu capituli, in causa ecclesiae cathedralis; b) γ) *arbitri* electi in alios arbitros, i) compromittere nequeant: 2) vt compromisso accedere possit *poena conuentionalis*,  
ad-

b) c. 4. X. de arbitr.

c) c. 8. & 9. X. cod.

d) c. 12. X. de excomm.

e) c. 2. C. 3. qu. 7.

f) c. 7. X. de arbitr.

g) c. 9. X. de arbitr.

b) LAVTERBACH *de arbitr. comprom. §. 15.*

i) c. 13. X. de arbitr.

aduersus non seruantem; vel 3) *iusiurandum* de eo obseruando, *k*) licet 4) & *nudum pactum* sufficiat (§ XL.\*) *l*) 5) vt electis in arbitros quidem integrum sit, velint suscipere arbitrium, nec ne? *susceptum* tamen declinare amplius non possint: *m*) 6) vt eligi possint *vnus* vel *plures*. *n*)

## §. L.

Ex eodem axioma sequitur: 7) vt com- De quibus  
promitti possit de quacunque causa priuati causis.  
arbitrii, *o*) adeoque  $\alpha$ ) non de causis *matrimonialibus* & *criminalibus*; *p*) nec  $\beta$ ) *spiritualibus* & *beneficialibus*, nisi quatenus de illis transigi possit; *q*) nec  $\gamma$ ) de causa *restitutionis* in integrum; *r*) nec  $\delta$ ) de *re ecclesiastica*, in praeiudicium ecclesiae; *s*) nec  $\epsilon$ ) de causa *status*. *t*)

## §. LI.

Quum deinde arbiter cognoscat in causa, Officium  
eamque definiat, (§. XLVII.3.) sequitur: 1) arbitri.  
vt procedere debeat obseruato *iuris ordine*:  
2) vt sententiam ferat de causa *in qua com-*  
*pro-*

---

*k*) c. 9. X. eod.

*l*) c. 1. X. de pact.

*m*) conf. c. 30. C. II. qu. 1.

*n*) c. 1. X. de arbitr.

*o*) conf. c. fin. X. de transact.

*p*) c. 9. X. de in integr. restit.

*q*) c. 7. X. de transact. c. 2. X. de arbitr. c. 21. X. de praeb.

*r*) conf. c. 11. X. de arbitr.

*s*) c. 5. X. eod.

*t*) c. 9. X. de in integr. restit.

*promissum*, non de alia: u) 3) vt non dicant sententiam plures arbitri, quibusdam *absentibus*, nisi etiam in hunc casum diserte litigantes compromiserint: x) 4) vt, si plures arbitri in *re ipsa* dissentiant, id, quod *pars maior* iudicauit; sin in *quantitate* omnes dissentiant, id, quod *minimum* est, praefertur: y) 7) vt si pares numero arbitri dissentiant, tertiam personam tanquam *super-arbitrum*, qui nomine eius Obmanns venit, eligere possint, dummodo id ipsum compromisso indultum: z) 6) vt compromisso pendente *ordinarii* iurisdictio quiescat: a) 7) vt arbitri *sententiam* iuxta iura recepta *ferre*, & debite *publicare* teneantur.

## §. LII.

Finiunt litem.

Quum denique partes stare teneantur sententiae arbitratorum, (§. XLVII. 4.) consequens est: 1) vt per illam *lis finiatur*, & partes deciso stare debeant, siue aequum sit, siue iniustum; adeoque 2) inde non detur *appellatio*; b) 3) vt nec reductio ad *arbitrium boni viri*, nec aliud *remedium* in mundo sit, nisi quod partes sibi reseruarunt: c) vt tamen 4) competant exceptiones a) *peccati irremissibilis* per par-

u) c. 6. X. de arbitr.

x) c. 1 eod. in 6. c. 24. de offic. iud. del.

y) conf. BOECLER *diss. de calcul. Minerva.*

z) vid. c. 39 X. de offic. iud. del. c. 12. X. de arbitr.

a) Clement 3. de appellat.

b) c. 2. X. de arbitr.

c) LUDOVICI de effect. & oblig. laudi.



partes; d) β) *illiciti praecepti*; e) γ) *pronuntiationis contra formam iuris & compromissi*, f) quibus addi debent δ) *doli* & ε) *sententiae per sordes pronuntiatæ.*

## §. LIII.

De reliquo ex natura & indole arbitrii, Quomodo arbitri officium finiatur. hæcenus exposita, fuit, finiri arbitri officium: 1) *morte alterutrius litigantium*, nisi etiam *heredum* nomine compromissum: 2) *morte alterutrius arbitrorum*: 3) *lapsu temporis* compromisso inserti: 4) *sententiae definitivæ pronuntiatione*: 6) *mutua remissione*: 7) *novo compromisso*, aliisque modis. b)

## TIT. VI.

## DE POSTVLANDO.

## §. LIV.

**V**Bi neque pactis & transactionibus, (§. Connexio. XXXIX. seq.) neque compromisso (§. XLV. seq.) lites componi possunt, tunc iudicem adeunt partes, & desideria sua exponunt, quod *postulare* dicitur. Est nimirum Quid postulare? *postulare*: *Desiderium suum vel amici, in iure, apud eum, qui iurisdictioni praeest, exponere, vel alterius desiderio contradicere.* i) Pro se itaque postu-

d) c. 2. X. de arbitr.

e) c. 3. X. eod.

f) c. 7. X. de confirm. util.

g) c. 10 & fin. X. de arbitr.

h) Excell HEINECCIUS in Pandect. P.I. § DXLIII.

i) c. 2. C. 3. qu. 7.

postulabant *actor & reus*; pro aliis *advocati* vel *causarum patroni*.

## §. LV.

**Axiomata.**

Notanda de his axiomata: I. Postulatio est officium civile, & ita non omnes promiscue ad postulandum admittuntur. II. Regulariter advocati in omni causa admittendi sunt. III. Advocatorum officium est honorificum.

## §. LVI-

Qui postulare nequeant.

Quum itaque ad postulationem seu officium civile non omnes promiscue admittantur, (§. LV. 1.) sciendum est: 1) arceri omnes, qui *edicto, lege, sententia iudicis* aut *canone* prohibentur: 2) tradita iuris civilis ex Digestis etiam in Decreto repetita esse: k) 3) iure canonico in specie prohiberi a) *haereticos*; l) quod ipsum tamen nec ad tres adprobatas in Imperio religiones, nec ad alios dissentientes, qui publice tolerantur, applicari potest; m) (P. I. §. XLIII.) β) *excommunicatos*; n) quod tamen secus inter Protestantes; γ) *Iudaeos*; o) δ) *clericos* vero in *sacerdotio* constitutos, *regulares & monachos* faltem

k) c. 2. C. 3. qu. 7.

l) c. 13. X. de haeret.

m) Illustr. BOEHMER de effect. toler. relig.

n) c. 7. X. de iudic. c. 8. de sentent. excomm. in 6. c. 17. C. 6. qu. 1.

o) c. 16. & 18. X. de Iudaeis.

saltem in certis casibus in iudicio ecclesiastico; alios vero, iisdem in casibus, in seculari, in ecclesiastico vero indistincte admitti; p) id quod rursus a moribus Protestantium, qui semper *clericos arcent*, alienum est: denique ε) illos, qui non *in numero* sunt, ubi talis introductus.

## §. LVII.

Quum deinde regulariter in omni causa aduocati admittantur, (§. LV. 2.) notari debet: 1) id potissimum fieri, ut partibus ea, quae *iuris* sunt, suggerant, adeoque 2) ea, quae *facti* sunt, merito a partibus proponi debeant: q) licet 3) hic ipsi Pontificii a iure canonico recedere soleant: r) 4) ut tamen in *criminalibus*, si responsio ad articulos facienda; 5) in *matrimonialibus* saltem in primo termino: 6) in *veritate dicenda*: 7) alicubi in *Iureiurando calumniae* praestando, aut 8) alia *necessitate* urgente partes in *persona* comparere teneantur: s) 9) ut de reliquo quandoque *ex officio* aduocati partibus dandi sint: t) & 10) ut *carentia aduocati* non semper inter legitima *impedimenta* referri debeat. u)

In quibus causis aduocati non admittantur?

## §. LVIII.

p) c. 1. 2. & fin. X. de postul.

q) c. 14. X. de iudic.

r) ESPEN *iur. eccl.* P. III. tit. 6. c. 2. § 2.

s) c. 1. de iudic. in 6. BRVNNEMANN *iur. eccl.* L. III. c. 3. §. 1.

t) c. 1. X. de offic. iud. WILLENBERG *de aduoc. Pauper.*

u) MEVIUS P. II. dec. 108.

(C)

## §. LVIII.

Munus ad-  
uocatorum  
honorifi-  
cum:

Quum denique aduocatorum officium sit honorificum (§.LV.3.) sequitur: 1) vt non debeat malis rabularum artibus dehonestari: x) 2) vt illis debeat *honorarium*: 3) vt varia illis competant *pruilegia*. y)

## TIT. VII.

## DE PROCVRATORIBVS.

## §. LIX.

Connezio.

Quis Procuv-  
rator?

**A**B aduocatis differunt *Procuratores*. Illi personae adstant; hi causam suscipiunt, & loco Principalis sunt. Est vero generatim sumta voce, Procurator: *Qui aliena negotia mandato domini, & hinc etiam Praelati aut alterius clerici, vicem domini gerentis, administrat.* z)

## §. LX.

Diuisio.

Quum vero aliena negotia vel in iudicio vel extra illud peragantur, inde Procuratores diuiduntur: 1) in *iudiciales* & *extraiudiciales*. Quia porro modo omnium, modo certorum negotiorum, bonorumque administratio alicui mandatur; inde 2) sunt vel *vniuersales*, vel *singulares*. Quum denique modo priuatus, modo vniuersitas, modo Princeps negotia alteri committat, hinc, 3) iste proprie & in strictiori sensu *Procurator*; ille

x) vid ZIEGLER in *rabbulist.*

y) STRYK *diss. de priuileg. aduocat.*

z) c. 1, X. *de Procurat.* c. 11, X. *de restit. spol.*

ille *actor* vel *syndicus*; hic *Procurator Principis* vel *rationalis* vocatur. a)

## §. LXI.

Nos hic de *iudicialibus* agimus, scilicet *illis, qui in iudicio dominorum mandato negotia peragunt*: de quibus notanda axiomata: I. Procurator constituitur a domino: II. Intercedente mandato: III. Rite constitutus per *litis contestationem* fit *litis dominus*. Quis iudicialis?  
Axiomata.

## §. LXII.

Quum itaque Procurator constituatur a domino, (§. LXI. 1.) consequens est: 1) ut ipse *Procurator* ante *litem contestatam* *Procuratorem* constituere nequeat: b) 2) ut tamen *Episcopi* alique *Praelati* vi *ordinariae potestatis*, (P. I. §. CCXLIV.) & quod iam olim bona ecclesiae administrarint: (P. I. §. DCCG XXXV. 2. seqq.) modo *soli*, modo cum *consensu capituli*, quod iam olim in multis, maxime in alienatione suscipienda concurrebat, (P. I. §. DCCCXXXVII. 2.) *procuratorem* constituere possint: 3) ut eadem potestas illis, qui *vicem Praelati* in aliquo districtu gerunt, *de non Vice*. Dom vindicari certo modo debeat: 4) ut nec *capitulo*, quatenus separatum collegium constituit, (P. I. §. CCCCLXXXV.) haec facultas denegari queat: 5) ut *singulare proinde* sit, quod *excommunicatus*, ubi *actoris vices* sustinet, *Procuratorem* constituere Quinam Procuratores constituunt?

(C) 2

tuere

a) Excell. HEINECCIUS *Pand. P. I. §. CCCCXVI. seq.*

b) c. 1. de *procurator. in 6.*

tuere nequeat; tanquam *reus* vero abscisse per Procuratorem comparere debeat. *c)*

§. LXIII.

Quomodo.

Quumque constituatur intercedente mandato, (§.LXI.2.) sequitur: 1) ut illi demum constituentur, qui *mandare*, & res suas administrare possunt: 2) ut modo *vnus*, modo *plures* constitui queant, & quidem ad normam iudicum delegatorum, (§.XVII.6.) vel *definite*, vel *indefinite*: *d)* exceptis tamen 3) *causis spiritualibus*, ubi vel in *solidum* dandi, vel vnus ex pluribus eligendus est. *e)*

§. LXIV.

Qui procuratores esse non possint?

Ex eodem infero, 4) ut *habiles* constituendi sint Procuratores, quales omnes sunt, qui specialiter non prohibentur: *f)* 5) ut proinde etiam *laici* Procuratorem spiritualium causarum gerere possint: 6) ut etiam *clerici* in illis causis, ubi postulant, (§.LVI. *d)*) Procuratorum locum occupent: *g)* 7) ut etiam *Abbatissa* in causis monasterii sui munus Procuratricis obeat: *h)* prohiberi vero 8) in totum *a)* *minores*, *i)* *β)* *infames* *k)* & quodammodo *γ)* *excommunicatos* (§.LXII.5.)

§ LXV.

*c)* c. fin. X. de Procurat.

*d)* c. 6. de Procurat. in 6.

*e)* cit. c. 6. §. fin. conf. c. 19. de iudic.

*f)* c. 1. de procur in 6.

*g)* conf. c. vii. X. de synd. c. 4. X. ne cler. vel mon.

*h)* c. 4. X. de confirm. vit.

*i)* c. 5. de Procurat. in 6.

*k)* c. 1. & 2. C. 3. qu. 7.

## §. LXV.

Mandatum autem vel *verum* est, vel *praesumptum*, adeoque 1) verus Procurator est: Qui vero mandato instructus litigat, siue *expresso*, siue *tacito*: l) 2) *vt in iudicio*, & 3) *extra iudicium* mandari possit, dummodo 4) mandatum omnia, quae ad illud requiruntur, contineat: m) 5) *vt personam suam Procurator mandato legitimare teneatur*: n) 6) *vt generaliter ad lites constitutus quidem comparere, non autem actus, qui speciale mandatum desiderant, peragere queat*: o) 7) *vt proinde distinctio inter mandatum cum & sine libera in foro attendi non soleat*: p) 8) *vt ea, quae vi mandati legitimi agit Procurator, in iudicio rata sint*. q)

Ratio mandati Procuratorii.

## §. LXVI.

Quum denique rite constitutus Procurator per litis contestationem dominus litis fiat, (§. LXI. 3.) consequens est: 1) *vt in illis tantum causis locus sit Procuratori, in quibus alius personam domini sustinere potest*: 2) *vt proinde non tantum in secularibus, sed etiam in spiritualibus, adeoque & 3) in matrimonialibus admittatur*: r) 4) *vt etiam in*

In quibus causis admittatur.

(C) 3

cri-

l) Clement. 1. de procurat.

m) CORVINVS *instit. iur. can.* L. III. tit. 9. §. 11, 12, 13.

n) c. 1. X. de Procurat.

o) c. 4. seqq. de Procur. in 6.

p) illustr. BERGER *Oecon. iur.* L. IV. tit. 9. nr. 11.

q) c. 1. de Procur. in 6.

r) c. fin. de iudic. in 6. c. 5. & 10. X. eod.

*criminali caussa, si civiliter agatur, s) non, 5) si criminalis actio intentata, constitui possit: t) nisi a) illustris persona iniuriarum conven- ta; aut β) suspecti Praelati accusatio intentata fuerit; u) aut γ) rei absentia excusanda sit.*

## §. LXVII.

**Domi iii**  
*itis eff. etc.*

Ex dominio autem suscepto inferebant: 1) *sententiam* concipiendam esse in Procuratorem: 2) quod ex pluribus constitutis *litem occupans*, ceteros excludat: 3) quod *culpa* Procuratoris noceat domino: 4) quod Procurator sibi *actionem directam* adquirat: 5) quod *substituere* alium possit: 6) quod temere *reuocari* nequeat; nec temere mandato *renunciare* ille possit; & quae sunt alia plura, quae tamen, cum dominium litis in plerisque foris evanuerit, in praxi hodie se in plurimis aliter habere solent. x)

## TIT. VIII.

## DE OBLATIONE LIBELLI.

## §. LXVIII.

**Connexio.**

**S**ive in persona, siue per Procuratorem reus compareat, actor coram iudice, quid petat, exponere; immo hodie plerumque ante comparitionem, reum certiore de iure reddere debet; adeoque ad libellorum mate-

s) c. 15. sequi. X. de accusat. c. 5. X. de Procur.

t) c. 40. C. 2. qu. 6.

u) c. 18. C. 3. qu. 9. c. 3. X. de dol. & contum.

x) Illustr. BOEHMER diff. de domin. litis.



materiam ducimur. Est vero libellus: <sup>Quid libellus?</sup>  
*Scriptura, intentionem aëtoris complectens, contra reum necessario concludens. y)*

## §. LXIX.

Varie libellus diuiditur, potissimum vero <sup>Diuisio.</sup>  
 I. in *conuentionalem* seu *postulatorium*, qui in ciuilibus; & in *accusatorium* seu *querimoniam*, qui in criminalibus causis occurrit. z)  
 II. In *solemnem*, qui *scriptura* efformatur, & *non solemnem*, ubi *nuncupatiue* iudici desiderium proponitur. III. In *conuentionalem* de quo hic, & *reconuentionalem*, de quo *tit. sequ.*

## §. LXX.

Tenenda axiomata: I. Aëtor edere tenetur suam intentionem. II. Si scriptura intentionem complexus est, perspicue illam proponere debet. <sup>Axiomata.</sup>

## §. LXXI.

Ex priori colliges, 1) aëtozem statim ab initio edere debere, quid a reo petat: 2) illum in quibusdam causis *uerbo* hoc tantum facere posse, & quidem 3) vel *per se*, vel *aduocatum*: a) 4) in quibusdam causis *scripturam* requiri: 5) & reo & iudici hanc intentionem exponendam esse: 6) nullo existente libello *nullum* etiam *reddi processum*. b) <sup>Quatenus aëtor intentionem suam proponat?</sup>

(C) 4

§.LXXII.

y) vid. c. fin. X. de oblat. lib.

z) c. 1. & fin. X. eod. c. 5. C. 2. qu. 8.

a) CORVINVS *instit. iur. can. Lib. III. tit. 10. §. 1.*

b) c. 15. X. de iudic. c. 1. X. de oblat. lib.

## §. LXXII.

Libelli ma-  
teria & vir-  
tutes.

Ex posteriori intelliges: 1) cur ita ador-  
natus esse debeat, vt de *genere actionis* inten-  
tatae inde constet: 2) cur proinde comple-  
cti debeat *a) facti narrationem*, *β) causam pe-*  
*tendi*, & *γ) conclusionem* seu *petitionem* factio  
congruam: 3) cur, quae ad *rei exceptionem*  
pertinent, libello admiscenda haud sint: 4)  
cur in *personali actione* causa petendi *specialis*  
desideretur; *ε) 5) in reali* vero causa *genera-*  
*lis* sufficiat, res tamen specificè designanda &  
circumscribenda sit: *d) 6) praestare* tamen,  
vt etiam in reali *specialis* causa adiungatur:  
7) cur petitio *certa* esse debeat, non *vaga*, li-  
cet in quibusdam causis generalis petitio  
sufficiat: *e) 8) cur nomen actoris, rei, iudicis,*  
*rei petitae*, quandoque etiam locum & tem-  
pus continere debeat: *f) 9) cur inter libelli*  
virtutes pertineat, vt sit *brevis, clarus, aptus,*  
*certus*: 10) cur pleraeque *clausulae* libello-  
rum sint supervacuae: denique 11) cur actor  
libellum *emendare*, & suo modo *mutare* illum  
possit. *g)*

TIT. IX.

c) c. 3. X. de obl. lib.

d) c. 2. X. eod.

e) Excell. HEINECCIUS *Pand. P. I. §. 335.\*\**

f) CORVINUS *cit. loc. § 5. sequ.*

g) CONF. STRYK *de iur. libell. A. B. CARPZOV. de*  
*clausul. libell.*

## TIT. IX.

## DE MUTVIS PETITIONIBVS.

## §. LXXIII.

**D**ixi, libellum vel esse *conuentionalem*, vel *reconuentionalem*, (§. LXIX. 3.) adeoque proxima est *reconuentionum*, seu mutuarum petitionum materia.\* Est vero reconuentionio: *Mutua litigantium coram eodem iudice petitio.* Connexio.  
Quid reconuentionio?

\* Est quidem & tunc mutua petitio, vbi reus actorem in alia caussa in proprio foro conuenit; de qua vero hic non agitur.

## §. LXXIV.

Est vel *propria*, quae ante litem contestatam instituta, effectu *simultanei processus* gaudet; b) vel *impropria*, quae post litem contestatam proponitur, & saltem *prorogationem iurisdictionis* necessariam operatur. i) Diuisio.

## §. LXXV.

Circa hunc titulum probant leges & canones axioma: Cuius in agendo actor seruat arbitrium, eum & contra se habere iudicem non dedignari debet. k) Axioma.

## §. LXXVI.

Exinde sequitur: 1) vt quilibet aduersarium suum in *conuentionis foro* reconuenire possit: 2) vt id locum habeat, siue *ordinarius* sit iudex, siue, ad *instantiam* reconuentionis natura. Reconuentionis natura.

(C) 5

dele-

b) c. 1. X. de mut. petit.

i) c. 3. de rescr. in 6. c. 2. X. de ord. cogn.

k) c. 1. C. 3. qu. 1. c. 1. &amp; 2. X. de mut. petit.

*delegatus* datus fuerit: l) 3) ut nec coram arbitro, nec 4) coram *adpellationis iudice* institui possit: m) nisi 5) tantum *extraiudicialis adpellatio* mota fuisset: n) 6) ut locum habeat in *omni causa*, speciatim non prohibita: o) 7) ut prohibita sit in totum α) in *criminalibus*, p) β) in *spiritualibus* coram laico, q) γ) in *spolio*, nisi rursus de alio spolio; r) (§. CXIV. sequ.) δ) in aliis causis *summariis* quoad effectum *simultanei processus*: 8) ut *requisita ordinarii libelli*, (§. LXXII.) etiam hic obseruanda sint.

## TIT. X.

## DE LITIS CONTESTATIONE.

## §. LXXVII.

Connexio.

**A**ctione per libellum proposita, (§. LXXI.) reus, si nullas vel non fundatas *dilatorias*, nec *peremptorias* litis ingressum impediens, (§. CXC. seq.) habeat, ad causam tenetur respondere, inde *litis contestatio* necessaria, quae est: *Responsio seu contradictio rei, super petitione actoris, animo litem contestandi facta.* s)

Litis contestatio quid sit?

- 
- l) c. 1. X. *cod.* c. 3. *de rescr. in 6.*  
 m) c. 6. X. *de arbitr.* c. 59, *de adpell.*  
 n) c. 1. *de elect. in 6.*  
 o) c. 1. & 2. X. *de mut. petit.*  
 p) c. 1. C. 3. *qu. 11.*  
 q) c. 2. X. *de iudic.* c. 21. X. *de iur. patron.*  
 r) c. fin. X. *de ordin. cognit.*  
 s) conf. c. 54. X. *de elect.* c. vn. *de Lit. contest. c. 4.*  
 X. *de dol. & contum.*

## §. LXXVIII.

Hinc fluunt axiomata: I. Reus semper Axiomata. contradicit intentioni actoris. II. Contradicit animo litem contestandi. III. Fit sic professio iudicii vtriusque suscepti.

## §. LXXIX.

Quum itaque in litis contestatione reus Quotuplex sit liris contestatio? semper contradicat intentioni actoris, (§. LXXVIII. 1.) exinde patet: 1) eam semper esse *negatiuam*, adeoque 2) diuisionem illius in *adfirmatiuam* & *negatiuam*, cum aliis similibus, esse inuentum doctorum: 3) sufficere de iure ciuili ac canonico *generalem contraditionem*: t) indeque 4) vsum *positio- num* ad declarandam generalem contraditionem inualuisse: u) §) generalem contraditionem autem iure Imperii reprobata, & *specialem* introductam fuisse. x)

## §. LXXX.

Quumque reus contradicat animo litem A quibus & quomodo fiat? contestandi, (§. LXXVIII. 2.) consequens est: 1) vt vel *ipsi rei*, vel nomine eorum *procuratores, tutores, syndici, aduocati* litem contestari possint: y) 2) vt animus colligatur *ex verbis* ad litem contestandam aptis: quum 3) nec *nuda facti narratio*, nec 4) *opposita ex.*

t) c. 6. X. de iuram. cal.

u) STRYK Vj. modern. Pand. tit. de iur. in iur. fac.

§. 41. §. 11.

x) Rec. Imp. de 30. 1654. §. 37.

y) c. 15. X. de restit. spol. c. 6. X. de iur. cal. c. vii.

X. de lit. cont. c. 62. de adpell.

*exceptio peremptoria* litis contestationem inferat:  $\alpha$ )  $\zeta$ ) ut proinde *per errorem* advocati facta litis contestatio *reuocari* possit.  $\alpha$ )

## §. LXXXI.

Vbi &  
quando fieri  
debeat.

Quum denique sit iudicii vtrimque suscepti professio, (§. LXXVIII. 3.) sequitur: 1) ut fieri debeat coram *iudice competente*:  $\beta$ ) 2) ut facienda sit intra *terminum* a iudice praefixum:  $\gamma$ ) 3) ut tamen hodie in primo termino lis vel *pure*, vel *eventualiter* contestanda sit, nisi 4) reus *fori declinatorias* (§. CXCI. seq.) allegare queat;  $\delta$ )  $\zeta$ ) ut contradictio talis in omni causa etiam *summaria* necessaria sit; licet 6) ibi etiam minus *sollemnis* sufficiat;  $\eta$ ) (§. CCLXIII.) 7) ut proinde varia effecta producat, adeoque  $\alpha$ ) perpetuet *iurisdictionem & actiones*;  $\beta$ ) prohibeat *innouationem*;  $\gamma$ ) interrumpat *praescriptionem*;  $\delta$ ) faciat in personalibus rem *litigiosam*;  $\epsilon$ ) (§. XXXVIII. 7.)  $\epsilon$ ) constituat

Effecta eius.

$\alpha$ ) c. 2. *de lit. cont* in 6.

$\beta$ ) c. 62. X. *de adpell.*

$\gamma$ ) c. 4. X. *de iudic* c. 3. X. *de consuet.*

$\delta$ ) c. 4. X. *de excepti.*

$\epsilon$ ) Rec. Imp. *de ao.* 1654. §. 37. & 40. STRYK *de lit. cont. euent.*

$\zeta$ ) conf c. 1. X. *ut lit. non cont.* BLASIVS ALTIMARVS *de nullit. sentent.* P. II. qu. 312. nr. 3. *sequ.*

$\eta$ ) c. 19 X. *de off. iud. deleg.* L. ult. C. *de praescr.* 30. ann.

$\theta$ ) tit. C. *ut lit. pend. nihil. innou.*

$\iota$ ) c. 9. C. 16. qu. 3.

$\kappa$ ) L. 2. C. *de reb. litig.*

possessorem in *mala fide*; k) ζ) inducat *nouationem*; l) η) excludat *exceptiones dilatorias*. m) (§. CXCII.)

## TIT. XI.

DE

## IURAMENTO CALVMNIAE.

## §. LXXXII.

Quandoque ex pruritu quodam partes Connexio. litigant, ad quam malitiam compescendam *iuramenta malitiae*, etiam in exordio litis praestanda, introducta fuerunt. n) Est vero iusiurandum calumniae: *Religiosa adse-* Quid iusiurandum calumniae.  
*ueratio de caussa bona fide suscepta & deinceps*  
*prosequenda.* o)

## §. LXXXIII.

Sic itaque malitiae suspicionem a se re- Diuisio. mouent litigantes. Hoc vel faciunt intuitu totius litis vel ratione *quorundam punctorum*; inde in *generale* dispesci solet & in *speciale*.

## §. LXXXIV.

Inde notanda axiomata: I. Iusiurandum calumniae est iusiurandum legale. II. Praestant illud litigantes. III. Quaedam personae sunt exemptae.

## §. LXXXV.

k) L. 10. C. de *adquir. rer. poss.*

l) L. 11. & 29. ff. de *nouat.*

m) L. 19. C. de *probat.*

n) L. 1. C. de *iureiur. propt. calumn.* c. 1. §. *fin. de iuram. cal. in 6.*

o) conf. *VMIVS Proc. disp. 12. §. 7.*

## §. LXXXV.

Quando  
praestan-  
dum §

Quum itaque sit iusiurandum legale, (§. LXXXIV. 1.) sequitur: 1) ut *partes* non solum illud exigere possint, sed & 2) *iudex* ex officio illud iniungere queat: p) 3) ut *iudex* illud etiam ex causa *remittere* possit: 4) ut tamen, ubi receptum est, *partes* illud sibi *remittere nequeant*: 5) ut de reliquo, ubi *omissum* fuit, processum non vitiet: q) 6) ut proinde *abrogari* etiam possit: r) 7) ut haec etiam in *speciali* iuramento malitiae quadatenus obtineant.

## §. LXXXVI.

A quibus.

Quumque illud praestent litigantes, (§. LXXXIV. 2.) consequens est: 1) ut illud *iniunctum recusari* nequeat, nisi actor actione cadere, reus pro confesso haberi velit: s) 2) ut omnis etiam *uniuersitas, clericus*, in propria causa illud praestare teneatur: t) 3) ut perinde sit, siue in *propria persona*, siue per *procuratorem*, speciali mandato instructum, praestetur: u) 4) ut praestari debeat in *omnibus causis*, tam in prima, quam secunda instantia: x) adeoque & 5) in *criminalibus* &

In quibus  
causis.

ppii •

p) c. 1. de iuram. cal. in 6.

q) vid. STRYK de remiss. iur. cal.

r) vid. ESPEN. iur. eccl. P. III. tit. 7. c. 4. nr. 4. seq. GAILIUS Lib. 1. Obs. 87.

s) c. fin. §. fin. X. de iuram. cal.

t) c. 4. §. 5. & ult. X. de iuram. cal. c. 2. eod. in 6.

u) c. ult. de iur. cal. in 6. GUNDLING. P. IV. art. 3.

x) c. 1. de iuram. cal. in 6.



*spiritualibus*: γ) 6) vt *speciale*, lite pendente, in quacunque parte super puncto quodam & a parte *peti*, & a iudice *iniungi* possit.

## §. LXXXVII.

Quum denique quaedam personae ex-  
emtae sint, (§. LXXXIV. 3.) sciendum est, id Qui ab illius  
praestatione  
examini?  
tunc in quibusdam obtinere, vbi *officii* ratio-  
ne ad iudicium profiliunt, adeoque immu-  
nes esse 1) *clericos*, causas ecclesiae agentes: 2)  
2) *consiliarios Principum*, horum causas de-  
fendentes: a) 3) ex vsu fori *aduocatos fisci*.

## TIT. XII.

## DE DILATIONIBVS.

## §. LXXXVIII.

Citatis ad iudicium, deliberatoriae indu-  
ciae sunt concedendae, adeoque de Connexio.  
*dilationibus* differendum erit. Sunt vero di-  
lationes: *Tempora ad actum iudiciale per-* Quid dila-  
tio?  
*gendum destinata.* b)

## §. LXXXIX.

Sunt 1) vel *conuentionales*, vbi partes sibi Diuisio.  
inuicem prorogationem concedunt; vel  
*lega-*

γ) c. 2. X. de iur. cal. c. 1. §. fin. eod. in 6.

2) c. 1. X. de iuram. cal.

a) Rec. Imp. de ao. 1654. §. 43. Illustriss. comes  
de LINAR *diss. de iuram. cal.*

b) c. 1. *seqq. de dilat.*

*legales*, si ab ipsa lege indulgentur: 2) vel *iudiciales*, ob actum iudiciale; vel *extraiudiciales*, ad actum extra iudicium peragendum concessae: 3) iudiciales rursus in *legales & arbitrarias*, a iudicis arbitrio pendentes, dispescunt, de quibus hic potissimum loquimur.

## §. XC.

Axiomata.

Notanda de his axiomata: I. Dilatio concedenda est, vt praeparatae in iudicio partes comparere queant. II. Spatia dilationum sunt vt plurimum arbitraria.

## §. XCI.

Citatis delib-  
eratoria  
dilatio in-  
dulgentia.

Ex priori sequitur, 1) vt *conueniens terminus* citatis ad causam aut actum peragendum assignari debeat: 2) vt, ob nimis *breuem*, adpellationi; c) saltem 3) *exceptioni* angusti termini locus sit: (§. CXCI. 7.) 4) vt proinde pro qualitate variorum in iudicio expediendorum actuum etiam *varia dilatio* detur. d)

## §. XCII.

Sunt vt plu-  
rimum ar-  
bitrariae.

Ex posteriori consequens est: 1) vt a iudice etiam *legales* ex iusta causa *arctari & prorogari* possint; e) nisi 2) a lege *praecise* praescriptae fuerint, vt nulli mutationi obnoxiae essent: 3) vt *ulterior dilatio* tertia aut quarta, absque sollemnitate legali, vix concedenda

b) c. 1. seqq. de dilat.

c) c. 1. X. de dilat.

d) CORVINVS instit. iur. can. Lib. III. tit. 15. §. 4.

e) c. 15. X. de sent. &amp; re iudic. c. 57. X. de adpell.

cedenda sit: *f*) 4) ut in quibusdam causis non facilis esse debeat iudex, ad *praeccludendam* partem.

## TIT. XIII.

## DE FERIIIS.

## §. XCIII.

**O**Mnium litium dilationes & proroga. *Connexio.* tiones sunt *feriae*, referunturque inter iustas causas, quae a contumacia excusant. Sunt vero *feriae*: *Dies, qui a forensibus negotiis dant vacantiam.* *g*) *Quid feriae*

## §. XCIV.

Sunt autem, 1) *aliae divinae*, & religioni *Diuisio.* & cultui diuino dicatae, (P. I. §. DCXIV.) *aliae humanae*, hominum negotiorumque causa institutae: 2) *aliae sollemnes*, seu *ordinariae*, quae certo spatio quotannis recur- runt; *aliae repentinae*, quae causa aliqua vr- gente extra ordinem indicuntur: 3) *aliae mobiles*, quae pro diuersitate decursus singulo- rum annorum variant; (P. I. §. DCXIII.) *aliae immobiles*, quae eodem die singulis an- nis redeunt: 4) *aliae plenae*, quae totum diem feriatum faciunt; *aliae minus plenae*, ubi per aliquas saltem horas feriatum est.

(D)

§. XCV.

*f*) c. fin. X. de test. R. I. de ao. 1654. §. 50.  
*g*) c. ult. X. de feriis.

## §. XCV.

Axiomata. Notanda de illis axiomata : I. Feriae dant vacationem a negotiis forensibus. II. Diuinae cultui diuino sunt dicatae : III. Humanae hominum caussa sunt inuentae.

## §. XCVI.

Quis ferias indicat?

Quum itaque feriae dent vacationem a negotiis forensibus, (§. XCV. 1.) sequitur : 1) vt ius adornandi ferias ad *summam potestatem* spectet : 2) vt, quum *Pontifici* suprematus per vniuersum orbem competat, (P. I. §. CCLXXXV. 1.) in diuinis vero liturgia occurrat, (P. I. §. DCXIV.) ille *vniversales* ferias diuinas indicere possit : b) 3) vt *Episcopi* ea, quae ad politiam ecclesiasticam pertinent, adornare, (P. I. §. CCXLVIII.) ipsam liturgiam mutare, (P. I. §. DCXV.) & in *sua dioecesi*, dies festos indicere queant : i) 4) vt *Principibus* secularibus hic nihil iuris competat, quam quod iam indictas ferias *obseruari praecipere* ; sed 5) *humanas* pro lubitu adornare possint : k) 6) vt tamen id inter Protestantes etiam *Princeps* circa diuinas ferias disponat, (P. I. §. XCII. 5.) l) & quidem 7) citra vllum concursum *ministerii* : 8) vt ex hac de feriis dispositione etiam ius *reformandi calendarium* dependeat : 9) vt *Princeps* circa ea, quae alias diebus feriatis prohibita sunt, *dispensare* possit : (P. I. §. DCXXI. \*\*\*\*)

10) vt

b) CO. F. BVTRIO ad c. fin. X. de fer. nr. 27.

i) GONZALEZ TELLEZ ad c. fin. X. de fer. nr. 18.

k) WIESTNER *instit. iur. can. tit. de fer. nr. 6.*

l) I. S. STRYK *de iur. Sabb. c. 2.*

10) vt proinde eo magis *repentinas & humanas* ferias indicere & *determinare* queat.

## §. XCVII.

Quum deinde feriae diuinae cultui diuino sint destinatae, (§. XCV. 2.) consequens est: 1) vt tunc silere debeat *strepitus forensis*, (P. I. § DCXIV. e) omnesque actus iudiciales, iis diebus explicati, *ipso iure nulli* sint, m) nisi α) *sine causae cognitione* peragi possint; aut β) *pietas*, vel γ) *necessitas* aliud suadeat: n) 2) vt nequidem partes sacris feriis *renuntiare* possint: o) 3) vt *citatio* ad talem diem facta ipso iure nulla sit: p) 4) vt his diebus etiam *operae manuales*, cum aliis, quae cultum diuinum *turbant*, quiescere debeant: (P. I. §. DCXIV. α seq.) \* 5) vt tamen haec de *plene* feriis intelligenda sint.

Quid feriae diuinis licet cogat?

\* Feriae sacrae computantur *de vespera in vespervam*, more iudaico, id quod de ipsa feriarum celebratione intelligendum, conf. c. 1. & 2. X. *de fer.*

## §. XCVIII.

Quum denique feriae humanae hominum causa sint introductae, (§. XCV. 3.) facile patet: 1) eas quoque coniunctas esse cum *iusticio*, siue iudex ferias habeat, siue litigantes: q) 2) speciatim ferias *messium & vindemiarum* omnibus prodesse: 3) *cognitiones*

Quid humanis?

(D) 2

nes

m) c. fin. X. *de fer.*

n) CORVINUS *inst. iur. can.* L. III. tit. 16. §. 10 seq.

o) c. fin. X. *de fer.*

p) WIESTNER *cit. loc. nr.* 28 seqq.

q) LAVIERBACH *diss. de feriis* §. 12.

nes & sententias, tempore feriarum publicatas, nullas esse: 4) partes tamen annuente iudice his feriis *renuntiare* posse: r) §) illa, quae *moram non ferunt*, valide his diebus expediti. \*

\* Dies iuridici computantur ab *ortu solis usque ad occasum*. Quandoque etiam feriae profanae & repentinae, immo certi dies *de media nocte in mediam noctem* computari solent. WESEMBECIVS *ad C. tit. de fer. nr. 25.*

## TIT. XIV.

### DE ORDINE COGNITIONVM.

#### §. XCIX.

Connexio.

**S**icuti dilationes & feriae remoras iniiciunt, quo minus citius in causa progredi iudex possit; ita etiam quaestiones *incidentes*, quas feruor litigantium excitat, causae principalis decisionem remorantur, adeoque, quo ordine hic procedendum sit, circumspiciendum est. Est quippe ordo cognitionum: *Dispositio cognitionum, qua vnum iudicium alteri anteponitur.*

Quid ordo cognitionum?

#### §. C.

Axioma.

De hoc ordine notandum, quod tunc respiciendus sit: vbi plures quaestiones aut actiones a litigantibus in iudicium deducuntur; & vbi causarum, aut fori, in discussione earum, ratio haberi solet.

#### §. CI.

r) c. 3. & fin. X. *de fer. c. 12. X. de for. comp. c. 15. X. de sent. & re iudic.*

## §. CI.

Hoc ipsum autem cum contingat I. Si *Præiudicialis* *caussa & incidens,* *caussa principalis & præiudicialis* concurrunt, in eodem processu, tunc prius decidenda venit *præiudicialis.* s) Idem etiam obtinebit, si *incidens* *caussa* alia ratione, ad *principalem,* *præiudicialis* *decisionem* *viam parat,* licet *præiudicialis* proprie dici nequeat. z)

## §. CII.

II. Occurrunt quaestiones se *non contingentes,* *ciuiles,* & tunc a) proponuntur vel per modum *conventionis,* vbi separato processu quaelibet tractatur, nisi alterius *conventio* super spolio instituta fuerit; u) (§. CXVIII.) vel β) vna per *conventionem,* altera per *reconventionem* proponitur, de quo β) *Reconventionem.* *concursum* iam dixi; (§. LXXIV. sequ.) vel γ) vna per *conventionem,* altera per *exceptionem* in iudicium deducitur, & tunc iuxta diuersam *exceptionis* indolem iudicandum, simulque vtrum *priuelegiata* sit *exceptio,* respiciendum est. x)

## §. CIII.

III. Concurrunt *caussa criminalis,* vel *Ordo in criminalibus caussis.* inter se, vel cum *ciuili.* Priori casu *maior* *minor* praeponebitur; posteriori *criminalis* *ciuili* praefertur, nisi *criminalis* *decisio* ex *ciuili* pendeat. y)

(D) 3

§. CIV.

s) c. 1. X. de ord. cognit.

z) conf. STRYK de causs incid.

u) c. fin. X. de ordin. cognit.

x) conf. HERTIVS de ord. causs. in iudic.

y) c. 3. &amp; 4. C. 3. qu. 11. L. 1. de adpell.

## §. CIV.

Aliquando  
quaestio  
incidens  
in diuerso  
iudicio tra-  
ctatur.

IV. Ratio denique habenda est *fori*, puta, si *incidens* caussa ad alterius *fori* decissionem spectet. Tunc si in caussa seculari incidenter emerferit *ecclesiastica*, iudex secularis de ea cognoscere nequit, sed iudex ecclesiasticus prius eam decidet; 2) quod si vero caussae ecclesiasticae incidat ciuilis, iudex ecclesiasticus de vtraque cognoscere potest. 4)

## TIT. XV.

## DE PLUS PETITIONIBVS.

## §. CV.

Connexio,  
& quid plus  
petitio.

REmoratur etiam iudicium *plus petitio*, vbi scilicet actor a reo vel *re*, vel *caussa*, vel *loco*, vel *tempore plus petit*. Olim caussa propterea cadebat; b) sed alios modos coërcendi inuenit ius canonicum.

## §. CVI.

Quomodo  
plus petitio  
coerceatur.

Sic *re plus petens*, vbi aduersarius verum debitum agnoscit, in *expensas* condemnatur: c) *Caussa plus petens*, vbi reus rursus paratus est, praestare, quod promisit, *tripulum expensarum & omne damnum*, quod reus ex actione tulit, praestare tenetur: d) *Loco plus petens* tenetur, *quanti interest* conuento loco non soluisse: & denique *tempore plus petens* aduersario

2) c. 5. & 7. X. qui fil. sint legit.

a) c. 2. X. de coniug. seruo. c. 1. X. qui fil. sint legit.

b) §. 33. Inst. de act.

c) c. vn. X. de plus petit.

d) §. 33. Inst. de act.



fario concedet *duplicatas inducias*, nec denuo illum conueniet, nisi *expensis restitutis. e)* Effugiet vero actor poenas, si ante litis contestationem a plus petitione desistit.

## §. CVII.

Ex usu vero plerorumque iudiciorum, ubi loco & tempore plus petitur, reus *ab instantia*, refusus *expensis*, absoluitur, & integrum est auctori, eum in debito loco & tempore rursus conuenire. Qui causa plus petit, *expensas* erogatas refundere tenetur, nec liberatur, licet ante actionem a plus petitione desistat. *f)*

## TIT. XVI.

## DE

CAVSSA POSSESSIONIS ET  
PROPRIETATIS.

## §. CVIII.

**P**lures etiam obueniunt quaestiones (§. C.) *Connexio,* ubi causa possessionis & proprietatis, seu *possessorii & petitorii* simul mouetur, aut haec remedia cumulantur; \* quo casu denuo ordo in cognitione obseruandus est. Est vero possessorium: *Vbi de facto possessionis vel antiquiori & minus vitioso; vel de ultimo actu quiete exercito quaritur.* *Quid possessorium?* Petitorium autem est: *Vbi super dominio controuersia mouetur. g)* *Quid petitorium?*

(D) 4

\* Cu-

e) c. vn. X. de plus petit.

f) conf. FABER in Cod. L. III. tit. 9. CARPZOV P. I. C. 3. d. 12.

g) conf. III. BOEHMER *diss. de rem poss. ord. & sum.*  
Excell. LEYSER *diss. de hodiern. possess. iud. faci.*  
B. COCCEIUS *diss. de his, quae facti sunt.*

\* Cumulatio horum remediorum incognita iure ciuili. Instituto petitorio recursus quidem in mundo erat ad possessorium, sed non aliter, nisi *dimisso petitorio*. L. 18. ff. *de vi & vi armat.* L. 3. C. *de interd.* In alia iuit Pontifex, cum Glossatore Martino, *cumulationem* quodammodo admittens c. 5. X. *de caus. possess.* quae sententia in praxi triumphat.

### §. CIX.

Axiomata.

Ratione horum remediorum notanda axiomata: I. Cumulatio possessorii & petitorii regulariter admittitur. II. Cumulari etiam potest possessorium ordinarium cum summario. III. Facta cumulatione prius in possessorio, dehinc in petitorio pronuntia-  
tur. IV. Qui saltem possessorio egit & succubuit, potest adhuc agere petitorio.

### §. CX.

Quousque  
possessori-  
um cum pe-  
titorio cu-  
mulari pos-  
si.

Quum itaque hodie regulariter possesso-  
rium cum petitorio cumulari possit, (§. CIX.  
I.) facile patet: 1) id saltem obtinere in  
possessorio *adipiscendae & recuperandae*, non  
vero recte in *retinendae*: b) 2) admittendam  
tamen esse & hic cumulationem, α) si actor  
*alternatiue* petitionem formet, vt vel posses-  
sor vel dominus declaretur: i) β) si *confessoria*  
cum *retinenda remedio* cumulata fuerit, quum  
confessoria etiam possessori competat: k)  
3) cu-

b) CARPZOV P. II. C. 7, d. 10.

i) III. BERGER *Oecon. iur.* L. IV. tit. 30. §. 5.  
NOT. 12.

k) SCHILTER *exerc.* XVIII. §. 44.

3) cumulationem tunc saltem procedere, si  
 a) possessorium & petitorium coram *eo-*  
*dem iudice* institui potest; 3) si ante *conclusio-*  
*nem* in caussa, aut 4) post eam ex *iusta aliqua*  
*caussa* fiat. l)

### §. CXI.

Quum deinde & ordinarium cum sum- Et summa-  
rium cum  
ordinario.  
 mario cumulari possit, (§. CIX. 2.) sciendum  
 est: 1) summarium dici: *vbi sine longo litis*  
*sufflamine saltem inquiritur, quis, quomodo cum-*  
*que praesentem possessionem docere possit: m)* 2)  
 ordinarium vero esse: *Vbi de antiquiore &*  
*qualificata possessione disputatur. \* n)* 3) recte  
 proinde petere posseactorem, vt in *ordinario*  
*tamdiu defendatur*, donec reus in *petitorio*  
*aliud euicerit*; praetereaue pro *praesente*  
*possessore* declaretur: o) 4) inde profluxisse  
*cumulationes aliorum remediorum. p)*

\* Summarium, quatenus pro *provisionali* quo-  
 dam remedio sumitur, nec a iure communi  
 exorbitat. Formam vero suam perfectam  
 demum ex ordinatione *cameralis iudicii*  
 accepit.

### §. CXII.

Quumque porro facta cumulatione prius Effectus cu-  
mulationis  
possessorii  
& petitorii.  
 in possessorio, dehinc in petitorio pronun-  
 cietur, (§. CIX. 3.) sciendum est: 1) hoc et-  
 (D) § iam

l) CORVINVS *instit. iur. can.* L. III. tit. 19. §. 8.

m) MEVIUS P. I. dec. 139.

n) III. BERGER *El. Proc. Poss.* §. 1.

o) III. BERGER *cit. loc.* §. 41.

p) BRVNNEMANN *de conc. & cumul. act.*

iam tunc fieri, vbi prius in petitorio executio decernenda est: q) quum 2) ex definitione possessorii peculiaris effectus quoad praeteritum fluere possit; 3) iudicem tamen seorsim & prius de possessorio pronuntiare, & proprietatis causam vltiori deductioni referuare posse.

## §. CXIII.

Quatenus,  
qui in pos-  
fessorio  
succubuit,  
petitorio  
agere pos-  
sit.

Quum denique in possessorio succubens adhuc petitorio agere possit, (§ CIX. 4.) notari debet: 1) petitorium cum effectu institui non posse, nisi sententiae in possessorio latae plene quis satisfecerit. r) Petitorium in eodem iudicio ob causae continentiam (§. XXVIII.) instituendum esse, nisi a) iudex petitorium coram se intentatum aliis delegare congruum ducat; aut β) ipsa necessitas diuisionem continentiae causae exigat, puta, si petitorium causam ecclesiasticam concernat. s)

## TIT. XVII.

## DE RESTITVTIONE SPOLIATORVM.

## §. CXIV.

Contencio.

Vidimus cumulationem possessorii & petitorii: verum quum interdictum vnde vi, seu remedium recuperandae possessionis non solum quaedam singularia iure canonico acc-

q) c. 6 X de causis possess.

r) CARPZOV Lib. I Resp. 76.

s) conf. GAILIUS Lib. I Obs. 38.

ceperit, verum etiam cum proprietatis causa varie *concurrat*; speciatim de *spolio* eiusque *concurſu* cum petitorio agi debet.

### §. CXV.

Est vero spolium: *Omnis iniusta possessio- nis priuatio.* 1) Quum vero haec priuatio fieri possit vel *cum* vel *sine vi*; inde spolium diuidi solet in *qualificatum & simplex*; de quo hic potissimum sermo est.

Quid spolium?

Diuisio.

### §. CXVI.

Notanda de illo axiomata: I. Spolium *ca-* dit in omne id, quod possidetur. II. Possu- mus de eo conqueri conueniendo, reconue- niendo, excipiendo.

Axiomata.

### §. CXVII.

Ex priori intelligimus: 1) spolium com- mitti non solum in rebus *immobilibus & mobi- libus*, quorum intuitu vera possessio datur; sed & 2) ubi quis rerum *incorporalium & iu- rium* vsu, quorum intuitu quasi possessio ad- est, priuatus fuerit: u) 3) spolium per se non imputare *infamiam*, aut *maculam*, sed *causam eius.* x) 4) Spolium etiam commit- tere *iudicem*, ubi praetermissio iuris ordine quempiam suo iure priuat: y) nec non 5) qui spolium *mandauit*, aut 6) suo nomine fa- ctum

Varie spolium com- mittitur.

t) c. 7. & 9. X. de restit. spol. c. 3. C. 3. qu. 1.

u) ZIEGLER ad c. redintegr. 6.

x) CAKPEBON E. I R. 3. nr. 3.

y) c. 7. X de restit. spol. STRYK diss. de facto iud. de facto c. ult.

Etum ratum habuit, aut 7) rem a spoliatore accepit, z)

§. CXVIII.

Qua ratione de eo experiatur.

Ex posteriori notari debet: 1) spolio per modum *actionis* proposito, summarie rem tractari, nec 2) *reconuentionem*, nisi super alio spolio, a) nec 3) *exceptionem*, quae peritorium tangit, hic respici; b) nisi 4) actor *consentiat*, vel alia *iusta causa* suadeat, spoliatum ante omnia restituendum haut esse: c) 5) spolio per *reconuentionem* proposito, vtramque causam simul tractari: (§. LXXIV.) d) 6) illo per *exceptionem* proposito, hoc eo effectu fieri, vt respondere actori spoliatus non teneatur, priusquam *restitutus* sit: e) dummodo 7) exceptio haec *intra XV. dies* probata fuerit. f)

TIT. XVIII.

DE CONTVMACIA.

§. CXIX.

Connexio.

**A**Daccidentalia processus pertinet *contumacia*, quae quum iudicium tam in principali, quam incidente causa remorari possit,

z) c. 15. & 18. X. de restit. spol.

a) c. fin. X. de ordin. cognit.

b) c. 1. 2. 3. 5. 6. X. de restit. spol.

c) GABRIEL de restit. spol. L. V. Concl. 1.

d) c. 2. X. de ordin. cognit.

e) c. 2. X. eod. Clementin. vn. de caus. poss.

f) c. 1. de restit. spol. in 6.

possit, proxime enucleanda venit. Est autem contumacia: *Inobedientia, ubi litigantes & Quid contumacia? citati, vel non comparent, vel illud hanc agunt praestansque, quod praestare & agere debent. g)*

## §. CXX.

Est contumacia *vel vera & qualificata, vel Diuisio. praesumpta & simplex. Illa est: Vbi constat de intentione & dolo inobedientis; haec vero: Vbi quis propterea quod non comparuerit, vel id, quod agere debebat, omiserit, pro contumacitanis per habetur, donec se purgauerit.*

## §. CXXI.

Hinc fluunt axiomata: I. Contumax est, *Axiomata. qui non in ius venit constituto die, aut ibi peragenda non agit. II. Contumacia varie coërcetur. III. A poena contumaciae excusant iustae causae.*

## §. CXXII.

Quum itaque contumax sit, qui non in *Quis & quando contumax dici possit?* ius venit constituto die, aut ibi peragenda non agit, (§. CXXI. 1.) inde patet: 1) contumaciam committi posse vel ab *actore, vel reo, vel iustibus*: 2) ut quis contumax dici possit, varia requiri, nimirum *a) eum legitime vocatum; b) β) vocationem insinuatam; γ) terminum cum dilatione elapsam; i) δ) contuma-*

g) c. 5. X. de temp ord. n. c. 1. §. fin. de appell. in 6.

b) c. 1. X. de dol. & contum.

i) c. 6. X. eod.

tumaciam legitime *accusaram*; k) & e) vocatum nullo *impedimento* obstrictum fuisse. l)

§. CXXIII.

Poena contumaciae.

Quum deinde contumacia varie coerceatur, (§. CXXI. 2.) sciendum est: 1) actoris contumaciam coërceri aliter *ante*, aliter *post litem contestatam*: adeoque a) priori casu illi ulterio<sup>r</sup>em *audientiam* denegari, nec prius admitti, nisi reo *expensas* refuderit, & *cautionem* de lite prosequenda praestiterit; m) ß) posteriori casu *testes* recipi, & ad sententiam definitivam procedi posse: n) 3) *Rei* contumaciam varie coërceri, maxime si citatio saltem *dilatoria* fuerit; (§. XXXIII. 6.) o) sed 4) ubi ad *peremptoriam* emanferit, *litem* pro *negatiue contestata* plerumque adsumi: ç) ubi *post litem contestatam* contumax reus est, tunc vel iuxta *probationem* actoris, vel iuxta *confessionem* rei pronuntiari.

§. CXXIV.

Purgatio contumaciae.

Quum denique a poena contumaciae excusent iustae causae, (§. CXXI. 3.) per se patet: 1) id saltem obtinere in *praesumpta*, non autem in *vera* contumacia: p) 2) omnem *causam* videri *iustam*, quae excusat a *dolo* & *com-*

k) MEVIUS P. III. dec. 390.

l) c. 6. X. de dol. & contum.

m) c. 1. de dol. & contum. in 6.

n) c. 3. X. de dol. & contum.

o) CORVINUS instit. iur. can. Lib. III. tit. 21. §. 9.

p) Gloss. ad Clement. 1. de dol. & contum. 1. seqq. X. de dol. & contum.



*contemptu iudicis, adeoque a) casum & infirmitatem; b) vim maiorem; c) officii rationem; d) ferias, (§. XCVII. 3. XCVIII. 1.) e) purgationem morae confestim factam; f) absentiam innoxiam, aliaque. g)*

## TIT. XIX.

## DE MISSIONE IN POSSESSIONEM.

## §. CXXV.

**E**st etiam modus coercendi contumaciam Connexio. rei, *missio in bonorum possessionem, quae autem cum per Rec. Imp. & in Saxonia abrogata sit, r)* licet in quibusdam adhuc locis obtineat, strictim percurrenda erit.

## §. CXXVI.

Est autem missio: *Modus coercendi contumaciam rei, ut cuius auctor iussu iudicis in bona eius ire iubetur.* Quid missio?

## §. CXXVII.

Notanda de illa axiomata: I. Fit missio Axiomata. diuersimode, prout lis vel contestata, vel non contestata est. II. Fit aliter in reali, aliter in personali actione. III. Decernitur modo ex primo, modo ex secundo decreto.

## §. CXXVIII.

Quum itaque missio diuersimode fiat, Quatenus prout vel lis contestata, vel non contestata est, (§. CXXVII. 1.) sciendum est: 1) lite contestata post & ante litem contestationem fiat.

g) STRYK *diss. de legit. imped.*

r) Rec. Imp. de a. 1654, §. 36. SCHILTER *exerc. 46.*

*refata* contra reum ita procedi, vt actor, vbi iudici nondum de causa liquet, in rem petitam eo effectu mittatur, vt verus efficiatur possessor, sola *proprietatis* quaestione reo relicta: 2) vbi vero iudici de causa liquet, ipsa *sententia* pronuntietur: 3) reum, vbi postea venerit, & *absolutoriam* reportauerit, tamen actori ad refusionem *expensarum* teneri: 4) *lite non contestata*, semper contra contumacem missionem in possessionem decerni. u)

## §. CXXIX.

In reali & personali actione.

Quum vero missio aliter fiat in reali, aliter in personali actione, (§. CXXVII. 2.) notari debet: 1) in *reali* actione, quia ibi semper res certa petitur, fieri missionem in rem, ita vt quidem *possessor* efficiatur actor, non tamen intra annum fructus lucretur: x) 2) reum intra annum venientem, contumaciam *sadisdatione* & *expensarum* refusione purgantem, rem recuperare: y) 3) in *personali* actione missionem fieri pro mensura debiti, 1) in *mobilia*, deinde si talia non adsint, etiam in *immobilia*, & tandem in *incorporalia*. yy)

## §. CXXX.

s) c. 4. X. ibique Glossa de dol. & contum.

t) VMMIVS disp. Proc. VI. §. 3. nr. 11.

u) c. 5. X. vt lit. non contest.

x) c. 1. X. de eo, qui mitt. in poss.

y) c. 5. X. vt lit. non cont. c. 1. X. de sequ. poss.

yy) c. 5. X. vt lit. non cont.

§. CXXX.

Quum denique missio, modo ex primo, <sup>Ex primo & secundo Decreto.</sup> modo ex secundo decreto, decernatur, (§. CXXVII. 3.) tenendum est: 1) primum decretum esse: *primam a iudice iussionem, vi cuius actor ob contumaciam rei in bonorum possessionem custodiae causa mittitur*: 2) hoc aboleri, si postea contumax intra tempus compareat, & praestanda praestet: (§. CXXIX. 2.) 3) si non compareat, secundum decretum seu secundum iussum iudicis decerni, qui vero quatenus obtinere debeat, ipsi interpretes iuris determinare nesciunt: a) 4) secundum iussum interponi α) modo ad *distraktionem bonorum*; modo β) *ad dationem in solutum*; modo γ) *ad faciendum actorem dominum*; modo δ) *pro possessorem*. b)

TIT. XX.

VT LITE PENDENTE NIHIL INNOVETVR.

§. CXXXI.

**T**Radunt iura regulam: *lite pendente esse nihil innouandum*; fit vero innouatio, <sup>Connexio.</sup> vbi missio in bona (§. CXXV.) decernitur. Sed quum haec regula, quatenus illa per *exceptiones* non est restricta, per totum processum  
(E) sum

z) c. l. X. de eo, qui mitt. in poss.

a) VMMIVS cit. loc. §. 5. nr. 25. CORVINVS cit. loc. tit. 22. §. 11. ibique BOEHMERVS.

b) VMMIVS cit. l. §. 6. CORVINVS cit. l. §. 14. sequ.

sum se diffundat, vsus & sensus illius antequam ad reliquas processus partes progressus fiat, docendus est.

## §. CXXXII.

Quid litis  
pendentia?

Lis vero pendere dicitur: *Ex quo iusta citatio reo legitime fuit insinuata, (§. XXXVIII. 6.) duratque vsque ad rem iudicatam. c)*

## §. CXXXIII.

Axiomata.

Inde fluunt axiomata: I. Litis pendentia oritur ex legitima citatione. II. Producit varios effectus.

## §. CXXXIV.

Qualis cita-  
tio illam  
operetur?

Ex priori intelligimus: 1) ad *litis pendentiam* efficiendam desiderari illa omnia, quae de *legitima citatione* iam obseruata sunt: (§. XXXV. seq.) 2) *litis pendentiam* non nasci ex citatione, ubi quis ex L. *diffamari* prouocatur: d) nec 3) ubi *supplicatio* porrecta, citatio autem nondum exarata fuerit: 4) de reliquo effectus, olim *litis contestationi* adscriptos, hodie recte *citationi* legitimae insinuatæ, saltem quoad hunc effectum tribui.

## §. CXXXV.

Effecta litis  
pendentiae.

Ex posteriori discimus: 1) neminem *possessione* sua vel quasi esse *priuandum*: e) nec 2) iudicem aut aduersarium, nisi causæ cognitio praecesserit, aliquid *innouare* posse, quod ipsum per varios articulos se diffundit:

c) Clementin. 2. *Ve lit. pend. c. 28. §. praeterea X. de offic. & pot. indic. deleg.*

d) MEVIUS P. I. dec. 198.

e) c. 1, X. *vsq. lit. pend.*

dit: 3) actionem iam motam ad *aliud forum* trahi non posse: 4) rem sic fieri *litigiosam*: (§.XXXVIII.7.) f) 5) litem decidendam esse secundum *iura*, quae fuere tempore *motae litis*: g) 6) requiri tamen, ut de statu *causae* vel *rei* satis constet: 7) id, quod innouatum est, statim *reuocandum* esse. b)

## TIT. XXI.

## DE SEQUESTRATIONE POSSESSIONIS ET FRUCTVVM.

## §. CXXXVI.

Qum regula de prohibita innouatione Connexio. exceptiones patiatur, (§.CXXXI.) quale quid in *sequestratione* contingit; deinde ea loco *missionis*, (§.CXXV.) quandoque decerni soleat, ad huius considerationem ducimur. Est vero sequestratio: *Custodia* Quid sequestratio? *rei litigiosae, decreto iudicis ex iusta causa alicui demandata, \*i)*

\* Plerumque doctores sequestrationem in *conuentionalem* & *iudicialem* diuidunt; sed illa non differt a *deposito*, nec huius loci est,

## §. CXXXVII.

Inde fluunt axiomata: I. Sequestratio re. Axiomata. regulariter est prohibita. II. Vbi locum habet, regulariter circa omnes res, immo personas, decerni potest. III. Datur inde actio sequestraria. (E) 2 §.CXXXVIII.

f) c. 3. &amp; 4. X. eod.

g) c. fin. X. eod.

b) L. pen. &amp; vlt. C. ut lit. pend. null. lic.

i) L. 7. §. vlt. ff. qui satisd. cog. L. 110. ff. de V. S.

## §. CXXXVIII.

Quando  
permissa?

Quum itaque sequestratio regulariter sic prohibita, (§. CXXXVII. 1.) sequitur: 1) ut saltem ex *iustis causis* decernenda sit, quorum referunt *α) metum fugae, β) dilapidationis, γ) armorum, δ) saevitiarum*, aut *ε) ubi alia iusta causa illam tuadeat, κ) 2) ut, utrum talis causa subsit, causae cognitione opus sit: 3) ut regulariter possessionem in sequestrem non transferat. l)*

## §. CXXXIX.

In quibus  
rebus?

Quum deinde regulariter circa omnes, immo & personas, decerni possit, (§. CXXXVII. 2.) est: 1) ut sequestrari possint *res mobiles, 2) immobiles, 3) iura m)* adeoque & 4) *beneficia* tam ob communes causas, quam ob contumaciam: *n) 5) ut sequestrari possint feminae, adeoque α) uxores ob maritorum saevitiam; (P. I. §. DCCCLXIII. 6.) β) quandoque si sint praegnantes, γ) puellae ob vim parentum, (P. I. §. DCCXXXIV. 10.) aut si duo proci de puella contendunt. o)*

## §. CXL.

Actiones  
inde resul-  
tantes.

Quum denique inde detur actio sequestraria,

k) c. 2 & 3. X. de sequestr. possess. c. 8. & 13. X. de restit. spol. c. 14. X. de sponsal. L. 13. §. 3 ff. de usufr.

l) CORASIVS miscell. L. III. c. 2.

m) c. 1. & 2. X. de sequestr. possess. c. 15. X. de iudic. L. 5. C. quorum appell. non.

n) Clement. vn. de sequestr. c. 2. X. de dol. & cont. c. 8. X. de rest. spol. LVCA theatr. verit. & iust. tr. de benef. disc. 98.

o) c. 4. X. de spons. duor. COCCEIVS de sequestr. femin.

ria, (§. CXXXVII. 3.) sciendum est: 1) eam demum dari *lite finita*: p) & 2) duplicem esse, *directam & contrariam*: 3) illam dari *victori* aduersus sequestrem, hanc *sequestri* aduersus victorem. q)

## TIT. XXII.

## DE CONFESSIS.

## §. CXLI.

**V**idimus liti contestationem omnem esse Connexio. negatiuam; (§. LXXIX. 1.) vbi vero aliquid negatur, in quo aduersarius intentionem collocavit, probatione opus est. Probatio autem etiam fieri potest per *confessionem* aduersarii, quae *notorium* seu manifestum inducere dicitur. r) Est autem confessio: *Adfirmatio facti, ab ipso faciente, sciente & intelligente, in iure facta.* Quid confessio?

## §. CXLII.

Diuidunt illam I. in *veram*, quae expressis verbis fit; & *fielam*, quae iure inducitur. Diuisio.  
II. In *simplicem*, vbi quis aduersarii intentionem *pure & sine adiectione* fateretur; & *qualificatam*, vbi aduersarii intentio addita *conditione, modo, aut alia qualitate* confitetur. s)

## §. CXLIII.

Hinc axiomata: I. Is se onerat sua confessione, qui sciens & intelligens factum suum adfirmat in iure. II. Confessus habetur pro iudicato. Axiomata,

(E) 3

## §. CXLIV.

p) L. I. §. 21. ff. deposit.

q) conf. ZIEGLER de iur. sequestr.

r) c. ult. X. de cohabit. cl. vi.

s) LAVTERBACH diff. de confess. §. 54.

## §. CXLIV.

Qualis con-  
fessio conti-  
nentem  
aneret.

Ex priori intelligimus: 1) nocere confes-  
sionem tantum ei, qui *confessus est*, non tertio,  
siue quis crimen confiteatur, siue aliud fa-  
ctum indifferens: 2) fieri debere eam a *do-  
mino litis, maiorenni, sanae mentis*, coram iu-  
dice competente, praesente *aduersario, libere,  
sponte, scienter*: 3) confessionem ab aduer-  
sario esse *acceptandam*, sed 4) qualificatam  
aut *totam rejiciendam*, aut *totam acceptandam*  
esse: 5) eam continere debere *certum*, vel  
*incertum*; 6) *in continenti*, & ubi 7) per *er-  
rorem* facta fuerit, reuocari posse: 8) nul-  
lius momenti esse confessionem repentinam  
& *calore iracundiae*, aut 9) *extraiudicialiter* \*  
factam. a)

\* Sed si *deliberata & specifica* est extraiudicialis  
confessio ab aduersario *acceptata & probata*,  
cur effectu destituta esse debeat? non video,  
conf. c. 10. X. *de probat.*

## §. CXLV.

Eius effe-  
ctus.

Ex posteriori colligo: 1) iudicalem con-  
fessionem habere vim *sententiae*, b) ita, vt 2)  
sententia proprie dicta ferenda haud sit: sed  
3) saltem *declaratio*, iudicis super confessione  
facta, accedere debeat: c) 4) dari inde *actio-  
nem confessoriam*. TIT.

t) c. 1. & fin. X. *de confess.*

u) CORVINUS *instit. iur. can. Lib. III. tit. 25. §. 5.*

x) LAVTERBACH *cit loc §. 55.*

y) c. 2. & 3. X. *de confess.*

z) c. 7. X. *de testib. cog. c. fin. X. de confess.*

a) c. 6. X. *de except.*

b) c. 7. D. 21.

c) CUIACIUS *Observat. L. XX. c. 30.*



## TIT. XXIII.

## DE PROBATIONIBVS ET PRAESUMPTIONIBVS.

## §. CXLVI.

**Q**vacunque ratione reus intentioni actio. Connectio:  
 ris contradicit, (§. LXXIX.) *probatione*  
 opus est; quae quum varia sit, de ea nunc  
 agi debet. Est autem probatio: *Actus iudi.* Quid probatio?  
*cialis, quo iudici de causa dubia in licem deducta*  
*ex idoneis argumentis fides fit. d)*

## §. CXLVII.

Diuiditur probatio I. in *artificialem*, ubi Diuisio:  
 argumenta e facti visceribus ingeniose eru-  
 untur; & *inartificialem*, argumentis extrin-  
 secus petitis. II. In *plenam*, ubi plena fides fit  
 iudici; & *minus plenam*, ubi aliquid dubii re-  
 linquitur. Hanc subdividunt in *semplena*  
*maiolem, semplenam & semplena minorem. e)*  
 III. In *solemnem*, in qua obseruandus a iure  
 praescriptus modus; & *non solemnem*, quae  
 in qualiquali & quomodocunq; facta fide  
 consistit, & *demonstratio* dici solet. *f)*

## §. CXLVIII.

Inde fluunt axiomata: I. Probatione fides Axiomata:  
 fit iudici. II. Probandum factum dubium.  
 III. Fieri debet probatio in iudicio.

(E) 4

## §. CXLIX.

d) conf. c. 10. X. de V. S.

e) conf. STRYK *diff. de semplena probat. exist.*f) III. BERGER, *El. Proc. Exf.* §. 2.

## §. CXLIX.

In omni  
caussa pro-  
batio desi-  
deratur.

Quum itaque probatione fides fiat iudici, (§. CXLVIII. 1.) consequens est: 1) vt in *omni caussa*, in iudicium deducta, ea necessaria sit: vt tamen 2) in caussis *maioribus & arduis* maior & clarior probatio desideretur: g) 3) vt ad fidem eiusmodi conciliandam etiam *plures semiplenae* coniungi possint. b)

## §. CL.

Quid pro-  
bandum?

Quum deinde probandum sit factum dubium, (§. CXLVIII. 2.) facile inde patet: 1) non probanda esse *iura communia*, quae iudici iam nota esse debent; nec 2) quae *iuris praesumptione* munita sunt; i) (§. CLIV.) nec 3) *notoria*; \* k) nec 4) a parte *confessa*; (§. CXLIV. seq.) sed 5) *facta*, de quibus iudici *non constat*, dummodo si probata fuerint, probanti sint profutura: l) adeoque 6) & *consuetudines* (P. I. §. CXXXVI.) & 7) *iura parium*: m) 8) probationem debere esse *specificam & concludentem*.

\* Ita vulgo. Quod si vero notorium negetur? Illud probandum esse aiunt; & quidem per plures testes. Sed *veritas* potius probanda est, cuius probatio etiam compendiosiori via expediri potest. conf. I. S. STRYK *de notor.*

## §. CLI.

g) III. BOEHMER *diss. de causs. mai. & ard. c. 2. §. 10.*

b) MYNSINGER. *Cent. II. obi. 100.*

i) c. ult. *de restit. in 6.*

k) c. 3. X. *de testib. cog. c. 9. X. de accusat.*

l) c. 32. X. *de Simonia.*

m) L. 1. C. *quae sit long. consuet. L. 3 ff. de probat.*

## §. CLI.

Ex eodem consequitur: 9) ut quicumque intentionem factio superstruit, *factum* illud probare teneatur: 10) ut tunc perinde sit, *adfirmatiua*, an *negatiua* sit propositio: \*  
n) 11) ut a probatione immunis sit, qui vel *praesumptionem* pro se habet, vel *possessionem*. o)

\* Sic carere possumus distinctionibus Glossae, inter *negatiuam iuris, facti, qualitatis*, in quibus exponendis alias doctores defudant. CORVINVS *inst. iur. can. Lib. III. tit. 26. §. 10. sequ.*

## §. CLII.

Quum denique probatio in iudicio fieri debeat, (§. CXLVIII. 3.) sequitur: 1) ut lite demum *contestata*; (§. LXXVII.) 2) coram iudice controuersiae *in iudicio*; 3) intra *tempus* probationi praefinitum, vel a *iudice, p*) vel 4) a *lege* peragenda sit: 5) ut, termino hoc elapso, super *desertione probationis* pronuntiari debeat: 6) ut, ubi partes determinationem iudicis anteuertunt, illis, ubi plene non probauerunt, *melior probatio* iniungi possit. q)

## §. CLIII.

Tandem ex fine probationis (§. CXLVI.) intelligitur: 1) Effectum probationis esse, ut actore probante reus *condemnetur*: 2) actore non probante reus *absoluatur*: 3) ut proinde  
(E) 5 inde

n) COCCIVS *de directa probat. negat.* ZOLLIVS *de except. non num. pec. th. 5. §. 12.*

o) L. 11. C. *de petit. hered.* L. 28. C. *de rei vind.*

p) L. 1. C. *de dilat. c. 4. C. 3. qu. 3. Rec. Imp. de no. 1654. §. 50.*

q) STRYK *de probationis probat. meliori.*

inde iudex de *viribus probationis* iudicare debeat: 4) vt hoc iudicio tunc potissimum opus sit, vbi vterque litigantium probauit, & *collisio* adest, vel α) inter *testium depositiones inter se*; vel β) inter *testium* depositionem & productionem *documentorum*; vel γ) inter *documenta* vtrimque producta: 5) vt tunc quidem respiciendum sit: quis litigantium *meliozem & magis sufficientem* probationem pro se habeat; 6) in determinando autem hoc ipso consideranda veniat α) *testium qualitas*; β) eorum *depositio*; 5) γ) vtrum de rebus *antiquis*, aut, δ) quae *scriptura* expediuntur, lis sit, quos casu *documenta* praeferenda; ε) vtrum instrumenta sint *contradictoria*, an saltem *derogatoria*; ζ) quis *principaliter* probare debuerit; η) cuius causa *fauorabilior*. 1)

## §. CLIV.

Quid praesumptio?

Diuisio:

Quum vero a probatione liberent praesumptio & possessio, (§. CLI. 11.) sciendum est, *praesumptionem* nihil aliud esse, quam *coniecturam ductam ab eo, quod fieri vel contingere solet vt plurimum. u)* Haec vero coniectura vel a lege inducitur, vel ab *homine*. Quae a lege inducitur, vel ita comparata est, vt *probationem contrarii haud admittat*; vel vt *eadem possit elidi*. Prior a doctoribus vocatur

1) c. 9. X. de probat.

5) c. 32. X. de testib.

6) Illustr. BOEHMER *diff. de collis. probat.*

u) CUIACIUS *parat. ff. de probat.*

tur *iuris & de iure*; posterior praesumptio *iuris*. Hominis praesumptio semper *contrarii probationem* admittit, quamvis si alicuius momenti sit, probandi onere releuet. \* x)

\* Sic superfedere possumus diuisionibus: inter *temerariam, probabilem, violentam, necessariam*. CORVINVS *instit. iur. can.* L. III. t. 30. §. 4. seqq. Dummodo notes, praesumptionem habere *suos gradus* & quandoque saepius, quandoque rarius fallere posse.

### §. CLV.

Exinde struo axiomata: I. Praesumptio Axiomata. fundatur rationibus naturalibus generalibus, quae vt plurimum in vita communi contingere solent. II. Quae iuris & de iure est, pro veritate reputatur.

### §. CLVI.

Ex priori intelligimus: 1) *naturalia* in- Fundamen-  
ta. esse subiecto, praesumi: 2) *pro regula* praesumi, donec exceptio probata fuerit: 3) in dubio *mutationem* non praesumi: & 4) praesumptionem in *meliolem partem* fieri debere: y) 5) *speciales* praesumptiones, cum ex factis oriantur, esse *infinitas*: z) 6) admittere talem probationem semper *contrarii probationem*: 7) in *collisione* praesumptionum respiciendum esse: α) quae *specialior*, aut β) *naturae rei* conuenientior, γ) quae *humanior*, δ) quae

x) Excell. HEINECCIUS *ad ff. P. IV. §. 124.*

y) Ill. BOEHMER *iur. Eccl. Proz. L. II. tit. 13.*

z) CORVINVS *instit. iur. can. L. III. t. 30. §. 12. seqq.*

d) quae *evidentioribus* instructa *rationibus*. a)

§. CLVII.

Præsumtio  
iuris & de  
iure.

Ex posteriori facile intelligis: 1) omnem *probationem contrarii* hic excludi, quae tamen in probatione vera admittitur: b) 2) requiri ad illam verba legis *dispositiva*, ubi ex facto quodam *conclusio* hac intentione eruitur, ut *illa se sic*, & non aliter habere debeat: 3) hos, qui hic probationem contrarii admittendam putant, confundere cum hac *præsumptione* illam, quae *violenta* dici solet.

TIT. XXIV.

DE

TESTIBVS ET ATTESTATIONIBVS.

§. CLVIII.

Connexio.

**I**Nter inartificiales probationes (§. CXLVII.

Quid testis?

1.) frequentissima illa est, quae fit per testes. Est autem testis: *persona fide digna, quae ea de causa producitur, ut testimonio suo de facto probando fidem faciat iudici.*

§. CLIX.

Axiomata.

Ex hac definitione fluunt axiomata: I. Testes debent esse fide digni. II. Tales coguntur dicere testimonium. III. Dicunt illud in iudicio. IV. An fidem fecerint iudici, modo ex numero eorum, modo ex conditione, attestationibus aliisque circumstantiis iudicatur. §. CLX.

a) III. BOEHMER *diss. de collis. praesumpt.*

b) COCCIVS *diss. de direct. prob. negat. c. 3. § 13.*

## §. CLX.

Quum itaque testes debeant esse fide digni, (§. CLIX. 1.) inde inferitur: 1) ut quidam *absolute inhabiles*; quidam *secundum quid*: 2) in omnibus causis inhabiles reputari *a) haereticos*, contra orthodoxum productos; *b) excommunicatos*, nisi ad cautelam absoluti, aut contra haereticos producti sint; *d) corruptos & periuros*; *e) delinquentes*, licet saltem accusatio contra illos mota fuerit; *f) ε) hos*, quos *aetas* aut *insania* arceat; *g) ζ) infames*; *h) η) Iudaeos & Paganos* contra Christianum; *i) (§. CCLXXXVIII. 15.) θ) viliores & pauperes*, quamdiu aliorum est copia. *k)*

Quidam inhabiles in omnibus causis.

## §. CLXI.

Porro exinde colligitur: 3) quosdam in quibusdam causis inhabiles esse, puta, illos, quorum interest, alterutrum vincere, *l) quorum* referunt, *a) qui in propria* aut *socii* causa testimonium dicere volunt; *m) β) patrem* in causa *filii*, & vice versa, nisi quaestio sit de aetate,

In quibusdam causis.

c) c. 1. X. de haeret.

d) c. 8. de sens. excomm. in 6. c. 38. X. de testib. c. 5. de haeret. in 6.

e) c. 9. X. de testib. c. 18. C. 6. qu. 1.

f) c. ult. X. de testib.

g) §. 9. Inst. de inutil. stipul. L. 40. §. 1. ff. de re iudic. c. 1. C. 4. qu. 2. c. 14. C. 3. qu. 9.

h) c. 54. X. de testib.

i) c. 21. X. de testib. L. 21. C. de haeret.

k) L. 3. pr. ff. L. 18. C. de testib. Nou. XC. c. 1.

l) L. 10. ff. & C. de testib. c. 1. sequ. C. 4. qu. 4.

m) L. 10. ff. L. 10. & 11. C. de testib.

aetate, morte, consanguinitate, matrimonio; *γ) domesticos; n) δ) illos, quibus imperari potest, ut testes fiant; o) ε) laicos in causis clericorum criminalibus & vice versa; p) ζ) feminas in criminalibus; q) η) procuratores & mediatores in causa per illos gesta; r) θ) cognatos, adfines, amicos, inimicos; s) ι) quos in eandem rem iam testimonium dixisse constat; t) κ) confessionarium circa ea, quae in confessione reuelata. (P. I. §. DCLXXXVI. 3. sequ.) u)*

### §. CLXII.

Testes cogi possunt ad testimonium dicendum.

Quum deinde testes idonei cogi possint, (§. CLIX. 2.) facile patet: 1) regulariter *neminem*, ac ne magistratum quidem, excusari: *x) 2) nolentes aut tergiuerfantes cogendos esse, si 3) vel maxime iurauerint, se in causa testimonium non dicturos: y) 4) modum cogendi esse arbitrarium; z) 5) hos, qui testes*

*n) STRYK diff. de domest.*

*o) LANCELOTTVS inst. iur. can. L. III. t. 14. §. 10.*

*p) c. 14. X. de testib. c. 9. C. 11. qu. 1.*

*q) c. 10. X. de V. S.*

*r) c. 6. X. de testib. c. 1. eod. in 6.*

*s) L. 3. pr. ff. L. 5. & 17. C. de test. c. 1. C. 4. qu. 2. c. 1. 10. & 12. C. 3. qu. 5.*

*t) GVNBLINGIAN. P. IX. art. 2.*

*u) c. 12. X. de poenit.*

*x) L. 21. §. 1. ff. de test.*

*y) c. 1. X. de testib. cog. c. 18. X. de testib.*

*z) CONF. GONZALEZ ad c. 11. X. de test. cog. PAS-  
SERINVS in reg. tribun. qu. 15. art. 9.*



stes *impediunt*, quominus deponant, puniri: a) 6) a *coactione* tamen quosdam *immunes* esse, puta, α) illum, qui antea in ea causa *iudicis*, b) aut β) *advocati* munere functus est; γ) quos *ius commune* alias a testimonio dicendo *liberat*, ob *sanguinis* nexum, aut *ad finitatis*, c) licet & hi, si *veritas aliter haberi nequeat*, cogi possint; d) δ) prorsus compelli non posse, immo nec volentem admitti, *confessionarium*. (§. CLXI. k) e)

## §. CLXIII.

Quumque porro testes testimonium dicant in iudicio, (§. CLIX. 3.) consequens est: <sup>Eorum examen.</sup>  
 1) ut sint a *iudice* parte petente *vocandi*: f)  
 2) ut se sistere debeant *sumtibus producentis*: g)  
 3) ut tunc producendi sint *in iudicio* ab illo, qui probationem suscepit, nisi *domi* vel *examinari* possint, vel *debeant*: b) 4) ut *productio* fieri debeat *intra terminum probatorium*, si talis *praefixus*: (§. CLII. 3.) 5) ut ante omnia factum, quod probandum est, *succinctis* sit *includendum articulis*: i) 6) ut etiam *citandus* sit *adversarius*, tam ad proponendas

a) c. 37. &amp; 46. X. de testib.

b) c. 38. C. 2. qu. 6.

c) c. ult. C. 4. qu. 2. Excell. HEINECCIUS ad L. Iul. et Pap. p. 309.

d) c. 8. X. de testib. c. 3. &amp; 4. X. de testib. cog.

e) CARPZOV *iurispr. consist.* L. III. d. 25.

f) L. 1. §. ult. ff. L. II. C. de testib.

g) c. II. de rescr. in 6.

h) c. 8. X. de testib.

i) conf. c. 17. &amp; 42. X. de testib.

nendas suas *exceptiones*, quam ad *videndum iurare, & dandum interrogatoria*: k) 7) vt, vbi aduersarius in receptionem testium consentit, illi *iureiurando* obstringendi sint, in praesentia partium, praemissa *admonitione* de vitando periurio: l) 8) vt iusiurandum testibus *remitti* nequeat, nisi volentibus partibus: m) 9) vt postea testes examinandi sint *sigillatim*, non *turmatim*, adhibita debita diligentia, tam super *articulis*, quam *interrogatoriis*: n) 10) vt testes *praesentes verbis*, non per scripturam respondere teneantur: o) 11) vt testes per illum *corporis sensum*, per quem veritas concipienda est, deponere, & scientiae suae causam reddere teneantur: p) 12) vt iudex depositiones fideliter adnotare, adnotataque testibus *praelegere*: q) 13) testium dicta in monumentum publicum seu *rotulum* redigere: r) 14) ad petitionem partium rotulum sollemniter *publicare* debeat: s) 15) vt post publicationem vltior testium productio quiescat, etiam quoad *reprobationem directo contrariam*, non vero quoad probationem

---

k) c. 2. & 41. X. de testib. GVNDLINGIAN. P. IX. art. 4.

l) c. 1. X. de crim. fals. c. 51. X. de testib.

m) c. 39. X. de testib.

n) c. 52. X. & c. 2. de testib. in 6.

o) c. 15. C. 3. qu. 9. L. 3. §. 3. sequ. ff. de testib.

p) c. 27. 33. 37. & 47. X. de testib.

q) c. 37. X. de testib. c. . . X. de test. cog.

r) c. 43. X. de testib. R. L. de 20. 1654. s. 52.

s) c. 30. X. de testib.

tionem *peremptoriarum*: 1) 16) vt denique publicatione facta, super dictis testium possit *disputari*, qua disputatione peracta 17) iudex *pronuntiat*. u)

## §. CLXIV.

Ex eodem consequitur: 18) productio-  
nem testium fieri debere post litem conte-  
statam, (§. CLII. 1.) licet aliquando etiam  
antea productio permessa sit, x) puta, α) si  
reus praeuideat, se *conuentum iri*, & *pericu-  
lum* sit, ne testes, quibus exceptionem suam  
iudici probare queat, moriantur, vel alio  
migrent; β) si actor metuat, ne sibi *testimo-  
nium* vel propter testium morbum, vel ab-  
sentiam *pereat*. Talem productionem do-  
ctores vocant *probationem ad perpetuam rei  
memoriam*. y)

De extror-  
dinario tes-  
tium exa-  
mine.

## §. CLXV.

Quum denique, an fidem fecerint iudici,  
ex eorum numero, conditione aliisque cir-  
cumstantiis iudicandum sit, (§. CLIX. 4.)  
consequens est: 1) vt iuxta iura *testis vnus*  
admitti nequeat; 2) quamuis 2) in praxi ad  
*semplesnam probationem* illum sufficere (§.  
CXLVII. 2.) existiment: 3) vt tamen vnus  
testis plene prober, si α) de facto, quod *vi  
officii*

Testimoniū  
effecta.

1) c. 26. X. *de testib.* BRUNNEM. *Proc. ciu.* c. 10. nr. 81.

u) c. 15. & 32. X. *de testib.*

x) c. 41. & 43. X. *eod. tit.* X. *vt. lit. non cont.*

y) MEVIUS P. VIII. *dec.* 261. & 471. GAIL. L. I. *obl.*  
92. *sequ.* WERLHOF *de exam. test. extruord.*

\*) c. 23. 28. & 47. X. *de testib.*

*officii* peregit, testimonium dicat;  $\beta$ ) aut *qualitas causae* saltem unius testimonium exigat: *a*)  $\gamma$ ) ut de reliquo *duo testes* omni exceptione maiores, plenam probationem efficiant, nisi lex expresse plures requirat: *b*)  $\delta$ ) ut iudicis sit, examinare *testium personas*, & ad depositiones eorum *verosimiliores* respicere; *c*) adeoque  $\epsilon$ ) de *viribus* probationis accurate iudicare. (§. CLIII. 3. seqq.)

## TIT. XXV.

## DE

## FIDE INSTRUMENTORVM.

## §. CLXVI.

Connexio.

Quid instrumentum?

**I**nartificialis probatio (§. CXLVII. 1.) etiam instrumentis expediri solet. Est vero hic instrumentum: \* *Scriptura ad rerum gestarum memoriam fidemque confecta.* *d*)

\* In latiori significato instrumentum omne id, quod *causam instruit*, adeoque & testes denotat. L. 1. ff. de *fid. instrum.* c. 4. X. de *testib. cog.*

## §. CLXVII.

Dixitio.

Sunt instrumenta vel *publica*, auctoritate scilicet publica a personis illa pollentibus confecta; vel *privata*, quae auctoritate privata a privatis personis conficiuntur. Sic

pu-

*a*) HORN *diff. de prob. plen. per. un. test.* l. H. MEIER *de test. un. pleb. prob.*

*b*) c. 5, 10. & 23. X. *de testib.*

*c*) Illustr. BOEHMER *iur. eccl. Prot.* L. II, tit, 19, §. 17 *seqq.*

*d*) L. 4 ff, L. 14, & 17. C. *de fid. instrum.*

publica habentur instrumenta 1) libri eccle- Publica in-  
 fastici: e) 2) confecta a publicis personis, & strumenta,  
 sigillo publico munita: f) 3) acta publica a  
 personis publicis conscripta: g) 4) diploma-  
 ta & notitiae ex Archivio publico depromptae:  
 h) 5) scriptura testium subscriptione firmata,  
 modo testes adhuc viuant: i) 6) tabellionis  
 instrumentum rite confectum. k)

## §. CLXVIII.

Instrumentis vero *privatis* accensenda sunt Priuate,  
 1) chirographa, 2) syngrapha, 3) apochae, 4)  
 antapochae, 5) epistolae, 6) libri rationum. l)

## §. CLXIX.

Hinc intelliguntur axiomata: I. Instru- Axiomata,  
 menta publica modo authentica sint, ple-  
 nam fidem faciunt. m) II. Priuata probant  
 contra scribentem, si de auctore constet. n)  
 III. Producenda sunt debito modo.

(F) 2

§. CLXX.

- e) Concil. Trident. Sess. XXIV. de reform. c. 1.  
 f) c. 5. X. de probat. c. 9. X. de fid. instrum.  
 g) c. 11. X. de probat.  
 h) c. 13. X. de praeser. Auth. Ad haec C. de fid.  
 instrum.  
 i) c. 2. X. de fid. instrum.  
 k) L. 17. C. c. 15. X. de fid. instrum.  
 l) conf. Illustr. De LVDEWIG de nexu script. &  
 subscript. ZIEGLER de apoch. HORN de antapoch.  
 m) L. 2. ff. de fid. instrum.  
 n) L. 25. §. ult. ff. de probat.

## §. CLXX.

Publicorum  
effecta.

Quum itaque publica instrumenta, modo authentica sint, plenam fidem faciant, (§. CLXIX. 1.) consequens est: 1) vt *exempla* non probent, nisi *transsumtio* ex originali *facta*, secundum formam praescriptam: o) aut 2) ab *eodem notario*, qui originale fecit, sint exarata: 3) vt tamen exemplum in causa *antiqua*, si quaedam adminicula accedant, vi probandi non destituatur: p) 4) vt tunc demum probent, si nullo *vitio* aut *rasura* sint suspecta: q) (P. I. §. CXLIV. 1.) 5) vt, *testium auctoritate munita*, *testes in contrarium* regulariter non admittant: r) 6) vt nulla eorum *agnitione*, a parte aduersa facienda, opus sit.

## §. CLXXI.

Et priuato-  
rum.

Quum deinde priuata probent contra scribentem, si de auctore constet, (§. CLXIX. 2.) sequitur: 1) vt *pro scribente* non probent priuata instrumenta, s) nisi α) vel ab *aduersario* producantur, vel β) aliis *adminiculis* adiuuentur: t) 2) vt eorum *authentica* sint producenda, quo *recognitio* vel per aduersarium, vel per testes, vel per comparisonem litterarum fieri possit: u) 3) vt ex moribus sit vt

ex

o) c. fin. X. de *fid. instrum.*p) c. 13. X. de *probat.*q) c. 3. & 6. X. de *fid. instrum.*r) L. 1. C. de *testib.*s) L. 5. 6. & 7. de *probat.*t) L. 17. C. de *testib.* L. 6. C. de *probat.*u) L. 20. C. de *fid. instrum.*

ex *libris mercatorum* rite confectis, femiplena probatio pro scribente exsurgat. x)

## §. CLXXII.

Quum denique producenda sint debito modo, (§. CLXIX. 3.) facile intelligitur: Productio instrumentorum.

1) productionem regulariter fieri *post litem contestatam*: (§. CLII. I.) 2) produci posse vsque ad *conclusionem* in causa, si nullus probator us terminus praefixus; (§. CLI. 3. sqq.) 3) adeoque 3) post lapsum termini aut conclusionem productionem cessare, nisi  $\alpha$ ) causa sit *ecclesiastica*, aut  $\beta$ ) instrumenta *noviter reperta*: 2) 4) fieri productionem *iudicii*, coram quo litigatur; 4) ordinisque iudicarii rationem suadere, 5) ut factum, ex instrumentis probandum, certis includatur *articulis*: 6) quandoque ea non produci in totum, sed *intantum*, quoad causae conuenit: 6) 7) aliquando reum ab actore, immo & actorem a reo, *editionem* documentorum, quo producerentur, petere posse: c) 8) eandem habere vim testes ac documenta, quaedam tamen magis *per documenta* probari. (§. CLIII. 5. 7. sequ.)

(F) 3

§. CLXXIII.

x) KLEIN *de probat. per libr. mercat.* BODINVS *de libr. mercat. suspect.*

y) c. 9. X. *de fid. instrum.*

z) CORVINVS *inst. iur. can.* L. III. t. 29. §. 10. c. 4. X. *de except.*

a) c. 4. X. *de fid. instrum.*

b) c. 5. X. *eod.*

c) *conf. tit. ff. de edendo.*

## §. CLXXIII.

Instrumentorum vitia

Eorum amissio.

Ex ipsa tandem instrumentorum definitione liquet: 1) vt nihil probent instrumenta *facta*: d) 2) *cancellata* aut *rasa*: (§. CLXX. 4.) e) 3) *dicis causa* scripta: f) 4) *indiscreta*: g) 5) *testium* idoneorum testimonio, vel aliis *instrumentis* sinceris euerfa: b) 6) si *contradictoria* ab eodem producta: i) 7) si sint *non legibilia*: k) ex eadem definitione patet, 8) instrumentis *amissis*, ius non exspirare, nec vllam obligationem perimi, dum alia supersit probandi ratio. l)

## TIT. XXVI.

## DE IVREIVRANDO.

## §. CLXXIV.

Connexio.

Quid iusiurandum?

**A** probationis onere (§. CLI. 9.) quandoque releuat *iusiurandum*, quod pars parti deferre solet, & reuera probatio saltem per *indirectum* & *quoad effectus* per illud perficitur, adeoque inde omnis controuersiae finis dicitur; m) de quo proinde ex instituto agendum. Est autem iusiurandum: *Religiosa adseueratio, per inuocationem DEI tanquam vindicis, si iurans sciens se fellerit.*

## §. CLXXV.

d) c. 4. &amp; 10. X. de fid. instrum.

e) c. 3. X. eod.

f) tit. Cod. plus valere, quod agitur.

g) ENGELBRECHT *diff. de instrum. indiscre.*

h) c. 35. X. de testib. L. 14. C. de fid. instr.

i) c. 13. X. de fid. instr.

k) III. BOEHMER *diff. de script. non legibil.*l) STRYK *diff. de amiss. instrum.*

m) c. 26. X. de iureiur.



## §. CLXXV.

Diuidunt illud in *adfertorium*, quod de re. Diuisio.  
 bus vel factis praeteritis; & *promissorium*,  
 quod de futuris praestatur.\* Illud praestari  
 modo de facto *alieno*, quale esset v. g. iusiurandum  
 testium; modo de facto *proprio*, &  
 tunc dispesci in *voluntarium*, *iudiciale*, *necessarium*.

\* Si recte calculum ducis, omne iusiurandum est  
*promissorium*, licet vel maxime tertiam iuramentorum  
 speciem, puta, *confirmatoria*, addere velis.

## §. CLXXVI.

Ex tradita itaque definitione struo axio- Axiomata  
generalia.  
 mata: I. Iurant illi, qui aliquid possunt ad-  
 feuerare. II. Iurandum libere & ex animi  
 sententia. III. Praestandum est de rebus li-  
 citis; & IV. Formula sollempni ritibusque  
 consuetis.

## §. CLXXVII.

Ex primo itaque consequitur: 1) vt iu- Qui iurare  
possint?  
 rare nequeant, qui non intelligunt *vim iura-*  
*menti*, v. g. furiosi, mente capti, infantes, in-  
 fantiae proximi, ebrii, alii: 2) vt nec cogen-  
 di sint *pubertati proximi*: n) 3) vt tamen re-  
 cte iurent *puberes & maiores* siue per se, si-  
 ue per procuratorem. (§. LXXXVI. 3.)

## §. CLXXVIII.

Ex secundo (§. CLXXVI. 2.) patet: Quomodo  
iurandum?  
 1) iusiurandum *vi metuque iniuste exortum*  
 reuera esse *nullum*; licet 2) iura canonica  
 (F) 4 hic

n) L. 34. §. 2. ff. de iureiur.

hic *relaxationem*, modo Episcopi, modo Pontificis, quod sic Deo aliquid promissum sit, desiderent: o) 3) omnem cauillationem & fraudem iurantis *periuurium* esse: p) 4) iusiurandum attemperandum esse *cuiusuis religioni*. q)

## §. CLXXIX.

De quibus rebus ?

Ex tertio (§. CLXXVI. 3.) infero: 1) iusiurandum praestari non posse *contra leges & bonos mores*: r) 2) proinde non probandum per omnia axioma: *seruandum esse omne iusiurandum, quod salua salute aeterna seruari possit*. s) Sic α) non valebit in illis, quae non dependent ab *arbitrio* agentium; nec β) supplebit defectum *sollemnium*; nec γ) operabitur in *tertio praecudicium*; nec δ) habebit vim *certiorationis*; nec ε) trahetur ad *incogitata*, & quae sunt alia plura.

## §. CLXXX.

Qua formula quibusque sollempnitatibus ?

Ex quarto denique (§. CLXXVI. 4.) iuncto illo, quod iam obseruauimus, (§. CLXXVIII. 4.) discimus: *formulam* etiam accommodandam esse *cuiusuis religioni*: t) 2) adseuerationes diuersa formula, quam quae *publice recepta*, praestitas, iurisiurandi virtute, quoad *effectus ciuiles*, destitui: 3) obseruanda etiam *sollemnia externa*, legibus praescripta, si

o) c. 1. 6. & 15. X. de iureiur.

p) L. 18. ff. de iureiur.

q) L. 5. §. 1. ff. eod.

r) L. 5. C. de leg. c. 5. & 8. C. 22. qu. 4. c. 18. sqq. C. 22. qu. 5.

s) c. 28. X. de iureiur. LUDOVICI diff. an iuram. quae salu. sal. aetern. seru. poss. sint seru.

t) Rec. imp. de ao. 1555. §. 106.



Quo modo  
praestan-  
dum?

fit? a) 6) iurantem *actionem* habere aduer-  
sus deferentem, si deberi sibi iuravit: adeo-  
que 7) multo magis *exceptionem*, si se haut  
debere iuravit: b) 8) non praestandum esse  
sponte, sed altero *deferente*: c) 9) nihili esse  
si *aliter*, quam *alter detulit*, praestetur. d)

§. CLXXXIV.

Quid iudi-  
ciale §

Iudiciale (§. CLXXXV.) est: *Quod pars par-  
ti in iudicio loco probationis, iudice adprobante,  
per sententiam interlocutoriam defert.* \* e)

\* Alii hoc *necessarium* dicunt, & illud, quod nos  
necessarium adpellamus, *iudiciale* dicere so-  
lent. Quaecunque adpellatione utaris parum  
refert.

§. CLXXXV.

A quibus,  
cui, & super  
quo defe-  
ratur?

Exinde videre licet: 1) etiam hoc iusiu-  
randum, *transactionis* speciem (§. CLXXXII.)  
continere: f) adeoque 2) deferri saltem  
posse ab illis, qui liberam rerum suarum *ad-  
ministracionem* habent: (§. CLXXXII. 1.) &  
3) illis deferri, qui *iurare possunt*, (§. C  
LXXVII.) dummodo 4) super rebus transi-  
gere possit, seu privati arbitrii sint. (§ C.  
LXXXII. 2.) Hinc 5) non obtinere indiscri-  
mina-

a) L. 5. §. 2. L. 9. §. 1. ff. *cod.*

b) Illust. BOEHMER *iur. eccl. Prot. Lib. II. tit. 24.*  
§ 33. *sequ.*

c) L. 3. pr. §. 4. L. 5. ff. *de iureiur.*

d) L. 5. pr. §. 1. *cod.*

e) c. *fin X. de iureiur.*

f) L. 2. ff. *de iureiur.*

minatim ratione *sponsalium*, (§. XLIII. a) g) aut 6) in causa *beneficiorum & ecclesiasticis*: (§. XLIII. b) b) alias 7) actorem ratione *actionis*, reum ratione *exceptionis* illud deferre: i) sed 8) delationem non ratam esse, priusquam iudex super illa *interloquutus* sit: k) 9) deferentem iurare de *calumnia*. (§. LXXXIII.)

## §. CLXXXVI.

Quia vero praeuia sententia iudicis interloquutoria praestatur, (§. CLXXXV. 7.) facile patet, 10) illud aut *praestandum*, aut *referendum* esse: l) 11) praestandum esse in iudicio, nisi quod ad personas egregias & *valeudine* impeditas domum mittatur: m) 12) relationi tunc demum locum esse, si uterque rei vel facti *notitiam* habeat: 13) Semel *absolute* praestandum, nec exigendum esse a referente iusiurandum calumniae: n) 14) ferendam esse iuxta iusiurandum *sententiam*: o) nec 15) eam aut *adpellationi*, aut *querelae* de periurio locum dare. p)

## §. CLXXXVII.

g) Illustr. BOEHMER *iur. eccl. Prot. II. tit. 24. §. 60. seq.*

b) IDEM *ibid.* §. 68.

i) L. 35. pr. ff. L. 12. C. *de iureiur.*

k) L. 12. §. 1. C. *de reb. cred. § iureiur.*

l) L. 38. ff. *de iureiur.*

m) L. 15. ff. *cod.*

n) L. 34. §. 7. & 8. ff. *de iureiur.*

o) L. 34. §. *ult. cod.*

p) L. 12. § 1. sequ. C. L. 31. ff. *de iureiur.*

## §. CLXXXVII.

Quid neces-  
sarium?

Denique necessarium iusiurandum (§. CLXXXV.) est: *Quod partibus etiam non petentibus a iudice defertur, super facto dubio. Vbi iudex illud defert parti, pro qua semiplena probatio militat, suppletorium; sin illi, contra quem semiplena minor adest, (§. CXLVII.) vel praesumptio, purgatorium dici solet. (§. CCCXC. seq.)*

## §. CLXXXVIII.

Natura illius.

Inde patet: 1) *suppletorium* saltem illi deferri, qui semiplene probavit, siue actor sit, siue reus: 2) locum illi esse in *omnibus causis* speciatim non exceptis: q) 3) *purgatorium* etiam in omni causa obtinere: 4) iurare *renuentem*, pro confesso haberi; alias *pro iurante* semper esse pronuntiandum: 5) neutrum iusiurandum loco *transactionis* haberi: (§. CLXXXV. 1.) adeoque 6) sententiam iuxta illud latam varie *retractari* posse. r)

## §. CLXXXIX.

De periurio.

Quum itaque sententia, ad iusiurandum necessarium lata, varie retractari possit, facile intelligitur: 1) tunc & *de periurio* querelam institui posse, periuriumque 2) non solum *DEVM ultorem* habere, sed & *infamia*, remotione a *testimonii dictione*, aliisque *poenis* coerceri: s) 3) causam periurii iuxta principia

q) CORVINUS *instit. iur. can. L. III. tit. 31. §. 19.*

r) STRYK *diff. de prob. contr. praestit. iusiur.*

s) CORVINUS *cit. l. §. 40. sequ.*

cipia iuris canonici *mixti fori* esse; alias causam iuramentorum ceu *spiritualem*, ad iudicia *ecclesiastica* pertinere. 1)

## TIT. XXVII.

## DE EXCEPTIONIBVS ET REPLICATIONIBVS.

## §. CXC.

**P**robatione absoluta & ita peracta, vt Connexio. fundata actoris intentio satis inde adpareat, non tamen statim condemnatur reus, sed si quas opposuit *exceptiones*, intentioni actoris contrarias, ipsamque *litem perimentes*, ad earum probationem admittitur, qui iudicialis actus nomine *reprobationis* venit.\* Hinc generaliter de exceptionibus hic agendi occasio est.

- \* Datur tamen & reprobatio, vbi nullae peremptoriae oppositae, quae super articulis probationi *directo contrariis* suscipitur, & ante publicationem attestationum suscipienda est. Clement, 2. de testib.

## §. CXCI.

Est vero exceptio generali vocis significatione sumta: *Omnis allegatio, qua quis ad sui defensionem vitur.* Talis obiicitur modo Quid exceptione? *testibus* ad illos repellendos; (§. CLX. seq.) Quibus opponi possit? modo adhibetur contra *instrumenta*; (§. CLXXIII.) modo contra *iudicem*, quod non fit

C.C.M.

1) CORVINVS *cit. l. §. 43.*

competens (§. XXII. seq.) aut *suspectus*, *u*)  
 vsurpatur; modo tendit ad repellendum  
*actorem*, vel saltem ad iudicium *differendum*,  
 de quibus hic potissimum est agendum

## §. CXCII.

Exceptio-  
 num diui-  
 sio.

Itaque quae auctori obiiciuntur exceptio-  
 nes, vel in *perpetuum* obstant, & actionem  
 perimunt, vel ad *tempus* duntaxat nocent.  
 Illae *perpetuae* vel *peremptoriae*, hae *temporales*  
 vel *dilatoriae* vocantur. Dilatorias subdivi-  
 dunt in *declinatorias iudicii*, & *dilatorias so-*  
*lutionis*. Illae rursus concernunt vel *iudicem*,  
 quo casu tamen simul auctoris intentio differ-  
 tur; vel *litigantes*, vel *modum actionis* insti-  
 tuendae. *x*)

## §. CXCIII.

Dilatoriae,  
 quae *u*) ob  
 iudicem,

Ob iudicem resultant contra actorem I.  
 Exceptio *fori incompetentis*, (§. XXII.) *y*) II.  
*Praeventionis*; (§. XXXVIII. 3.) III. *Suspicionis*;  
*z*) IV. *Inhabilitatis*; (§. IX.) *a*) V. *Primae in-*  
*stantiae*; (§. XIV. 5.) VI. *Loci non tuti*; *b*) VII.  
*Termini angusti*; (§. XCI.) VIII. *Feriarum*;  
 (§. XCVII. seq.)

## §. CXCIV.

*β*) ob liti-  
 gantes,

Ratione litigantium exsurgunt I. Exceptio  
*causae connexae non diuidendae*; (§. XXVIII.)  
 II. *Spo-*

*u*) vid. infr. tit. de recusat.

*x*) CORVINVS cit. loc. tit. 32. §. 5.

*y*) c. 3. C. 3. qu. 6. c. 48. C. 11. qu. 12

*z*) conf. infr. tit. de recusat.

*a*) c. 1. C. 3. qu. 7.

*b*) c. 47. X. de adpell.



II. *Spoliationis*; (§.CXVIII.6.) III. *Contumaciae*; (§.CXXII. sequ.) IV. *Iusti impedimenti*; (§.CXXIV.) V. *Cautionis*; c) VI. *Inhabilitatis*; d) VII. *Legitimationis ad causam, quae & Principali & Procuratori obiici potest.* (§ LXIII. sequ.)

## §. CXCIV.

Modum actionis concernunt I. *Exceptio inepti & incerti libelli*; (§.LXXII.) II. *Pluspetitionis*; (§.CXV. sequ.) III. *Ineptae cumulationis*, aliaeque: nam potiores tetigisse iu- uabit. e)

γ) ob modum actionis opponantur.

## §. CXCVI.

Quum vero hae exceptiones ad tempus saltem noceant, peremptoriae contra ipsam actionem perimant, (§.CXCII.) notari debet, huc potissimum referri: I. *Exceptionem transactionis*; (§.XLI.3.) II. *Praescriptionis*; f) (§.CCL. seq.) III. *Iuris iuvandi*; (§ CLXXXIII. & CLXXXV.) IV. *Pacti*; (§.XLII.) V. *Rei iudicatae*; g) (§.CCXVI.2.) VI. *Vis, metus, doli*; h) (P.I. §.DCCXXXIV. sequ.) VII. *Non interesse agentis agere*; aliaeque plures, quae non solum *ex iure*, i) sed & *ex facti* circumstantiis peti possunt.

De peremptoriis.

## §. CXCVII.

c) ZANGER *de except.* P. II. c. 21.

d) CORVINUS *cit. loc.* §. 15. sequ.

e) conf. RIVINUS *de except. dilator.*

f) vid. *tit. sequ.* XXVIII.

g) vid. *tit. sequ.* XXIX.

h) vid. *tit. ff. C. & X. Quod met. caus.* L. 6. C. *de except*

i) conf. ZANGER *cit. loc.* P. III.

## §. CXCVII.

Axiomata. De exceptionibus itaque tenenda axiomata: I. Dilatoriae exceptiones regulariter ante litem contestatam sunt opponendae. II. Peremptoriae regulariter demum post litem contestatam.

## §. CXCVIII.

Quando opponendae dilatoriae?

Ex priori intelliges: 1) cur recte hodie exigatur, vt omnes *primo termino* opponantur: k) vt tamen 2) *fori declinatoriae* sint praemittendae: 3) vt nec in foris ecclesiasticis eae reiici queant, quae *substantialia* processus concernunt: (§. CLXIII. 4. seq.) 4) vt tamen post litem contestatam locus sit dilatorius, *nouiter emergentibus*: l) & 5) illis, quae iudicium *retro nullum* reddunt, aut 6) post litem contestatam demum ad *notitiam* peruenierunt, m) aut 7) *grauiamen successuum* continent. n)

## §. CXCIX.

Quando peremptoriae?

Ex posteriori patet: 1) recte iniungi, vt omnes *litis contestationi* sint adnectendae: o) 2) vt tamen ante litis contestationem proponi queant exceptiones *litis finitae*; p) dummodo 3) *in continenti* probari possint: 4) vt de

k) Rec. Imp. de anno 1654. §. 37.

l) L. 4. ff. de except. c. 25. X. de offic. iud. del.

m) c. 4. X. de except. c. 31. X. de testib.

n) vid. c. 47. X. de adpell.

o) Rec. Imp. de ao. 1654. §. 37.

p) L. B. de LYNCKER dec. 1102. c. 1. de lit. cont. in 6.

de reliquo sic excipiens, non propterea *confiteatur intentionem* aduersarii: q) §) vt variae peremptoriae etiam *post sententiam* locum inueniant. r)

## §. CC.

Quemadmodum vero exceptio est omnis De replica-  
allegatio, qua quis ad sui defensionem vtitur, <sup>tionibus</sup>  
(§. CXCI.) ita & exceptio contraria defensionis <sup>aliisque po-</sup>  
ne eluditur, quae *replicatio* audit. Hanc rur- <sup>sitionibus.</sup>  
sus eneruare potest *duplicatio*, hanc rursus  
*triplicatio*, hanc vltius *quadruplicatio*: qua-  
les defensiones in quacunque iudicii parte,  
vbi exceptio opponi potest, locum inue-  
niunt. s)

## TIT. XXVIII.

## DE PRAESCRIPTIONIBVS.

## §. CCI.

**I**Nter peremptorias exceptiones eminent <sup>Connexiq.</sup>  
praescriptio, (§. CXCVI. 2.) cuius cum  
singularis sit indoles, ex iuris canonici do-  
ctrina, quam praxis sectatur, de illa nunc dis-  
ferendi occasio est. Est autem praescriptio,  
quatenus cum vsucapione in vnam massam  
conflata: *Adiectio domini, per continuationem* <sup>Praescriptio</sup>  
*possessiois temporis lege definiti.* t) <sup>quid?</sup>

## §. CCII.

Fundamentum palmarium omnium prae- <sup>Fundamen-</sup>  
scriptionum est *negligentia domini ex vna, &* <sup>tum illius.</sup>

(G)

bona

q) L. 9. ff. de except.

r) RHETIVS de except. parat. execut. imped.

s) CORVINVS cit. l. tit. XXXII. §. 37. sequ.

t) L. 3. ff. de vsurp. &amp; vsucap.

*bona fides & iustus titulus ex altera parte; licet in longissima temporis praescriptione saepius sola negligentia domini sufficiat.*

## §. CCIII.

**Axiomata.**

Hinc notanda axiomata: I. Praescriptio est modus civilis acquirendi dominium. II. Nocet ea illis, qui in inquirenda re sua fuerunt negligentiores. III. Requirit possessionem bonae fidei, iustam & per tempus, lege definitum, non interruptam. IV. Quae longo tempore praescribi nequeunt, ea regulariter praescribi possunt longissimo tempore.

## §. CCIV.

Qui praescribere possint, & quas res?

Quum itaque praescriptio sit modus acquirendi dominium iuris civilis, (§. CCIII. I.) facile patet: 1) praescribere omnes posse, qui possunt *dominium* acquirere: 2) posse sic adquiri res omnes, quae in *dominio* esse aut *possideri* possunt: *u)* non autem 3) res hominum *commercio* exentitas, aut 4) *vicio* possessas; *x)* nec 5) eas, quarum *alienatio* lege vel testamento *prohibita*: *y)* sic 6) praescriptionis expertes sunt ex vulgari doctrina *a)* *decimae* (P. I. §. DCCCXLVIII. & DCCCLIV. 2.) *β)* *annui redditus*, circa quos vero mirifice doctores dissentiunt; *z)* *γ)* *bona ecclesiastica*,  
(P. I.)

*u)* c. 3. de R. I. in 6.

*x)* L 9 ff. de usurp. & usuc. L. 3. §. 22. de acquir. vel amitt. possess.

*y)* tit. C. de res domin. vel templ.

*z)* HERTIUS de praescr. iur. per temp. interu. renasc. III, BOEHMER *disj. de praescr. annuor. red. real.*

P. I. §. DCCCXXXVI.) maxime *mensalia*: a) d) *bona domanialia*; e) ea, quae *curam animae* concernunt, vt ius visitandi; (P. I. §. DLXXI. 7.) ζ) *procuratio* (P. I. §. CMXV. 7.) η) *iura spiritualia* quoad laicos; b) θ) *subiectio* Prae-  
latis debita; (P. I. §. DXL.) ι) *debita iurata*, id quod tamen alii in dubium vocant; c) κ) *actus liberi & merae facultatis*; d) λ) *limites dioecesium & parochiarum*; (P. I. §. CCCCLXII. 5.) e) μ) *matrimonia illegitima*; (P. I. §. DCCXXXVI. & §. DCCXLVII. \* fin.) v) *vota*. (P. I. CCCXCVIII. seq.)

## §. CCV.

Quumque noceat iis, qui in re sua inquirenda fuere negligentiores, (§. CCIII. 2.) sequitur: 1) vt res *merae facultatis* tunc de-  
mum praescribi possint, si accesserit alterius *prohibitio*, & *agentis patientia*, f) 2) vt *agere non valenti* non currat praescriptio: g) 3) vt nec *pupillo*, nec regulariter *minori* noxia sit. b)

Quibus  
praescrip-  
tio non  
currat

(G) 2

§. CCVI.

a) L. B. de LYNCKER *resp.* 2.b) SPERELLVS *decif. for. escl.* 2. nr. 126.c) CYRIACVS *controuers. forens.* DCXVIII. nr. 35. *sequ.*d) CONF. COCCREVS *diss. de reb. merae facult.*e) c. 4. X. *de parochiis.*f) L. 2. C. *de seruitut.*g) GRASS *diss. agere non val. non currit praescript.*h) L. §. C. *in quib. causis, in integr. restit.*

## §. CCVI.

Ad prae-  
script re-  
quir. bona  
fides.

Ex tertio axiomate (§. CCIII. 3.) discimus, requiri ad praescriptionem 1) *bonam fidem*, ut ignoret possessor, rem esse alienam, sed potius existimet, eum, a quo causam habet, tanquam dominum ius alienandi habuisse: i) 2) iure canonico, quod praxis sequitur, bonam fidem per *totum praescriptionis tempus* desiderari: k) 3) hanc tamen singularem dispositionem merito restringi ad casum, ubi *res aliena praescribenda est*. l)

## §. CCVII.

Iustus titu-  
lus.

Ex eodem intelligitur, 4) requiri *iustum titulum*, seu causam ad transferendum domini-um habilem. m) 5) hunc tamen in praescriptione quadragenaria tunc demum desiderari, si *ius commune* aut *praesumptio* praescribenti aduersetur: n) 6) iuncto axiomate primo (§. CCIII. 1.) sic magis perspicuum fieri, etiam id requiri, ut res sit *usucapionis eapax*, (§. CCIV. 2. seq.) 7) *Tempus lege definitum*, ut ut varium sit, completum esse debere: o) denique 8) ex tertio axiomate constat, requiri *continuam*, & *non interruptam* auctoris & successoris possessionem: p) adeoque

Rei quali-  
tas.

Tempus.

Continua  
possessio.

i) Glossa ad c. 17. X. de praescr. l. 109. ff. de V. S.

k) c. ult. X. de praescr. c. 2. de R. I. in 6.

l) COCCIVS de fin. bon. fid. in praescr.

m) Glossa ad c. 17. X. de praescr.

n) c. 1. X. de praescr.

o) CORVINVS cit. loc. Lib. III. tit. 33. §. 5.

p) L. 25 ff. de usurp. & usue.

que 9) interrumpi eam vel *naturaliter*, vel *ciuilititer*: q) 10) tandem possessionem non sufficere, nisi *suo nomine* se rem possidere sciat. r)

## §. CCVIII.

Quum denique ea, quae longo tempore praescribi nequeunt, longissimo tempore praescribantur, (§. CCIII.4.) sciendum est: <sup>Praescriptio longissimi temporis.</sup>  
 1) in hunc finem introductam fuisse praescriptionem modo *triginta*, modo *quadraginta*, modo *centum* annorum: 2) immo iuxta plerorumque doctorum opinionem, *immemorialem praescriptionem*; 3) licet, 3) si verum fateari velimus, adpellatio praescriptionis *immemorialis* *contradictionem* inuoluere videatur. t)

## TIT. XXIX.

DE SENTENTIA ET RE IV-  
DICATA.

## §. C C I X.

**P**ERORATA satis causa factaque conclusione, <sup>Connexio:</sup> *sententia* ferenda est, sub qua adpellatione iuxta ius ciuile potissimum *definitiu*a venit, quum mandata reliqua, iussus & alia ad directionem processus necessaria *interloquutio*.

(G) 3

tio.

q) L. 5. ff. eod. L. pen. & ult. C. de annal. except.

r) CORVINVS cit. loc. §. 23. sequ.

s) EXC. HEINECCIUS ff. P. VI. §. 223. sequ.

t) DN. HOHEISEL differt. de praescri. immemor.

Sententia  
quid?

*tionum* nomen gerere soleant. Est autem sententia in generali sensu sumpta: *Omnis pronuntiatio iudicis de causa principali vel incidente lata.*

§. CCX.

Diuisio.

Promiscue enim vitur ius canonicum voce sententiae, adeoque aliam dicit esse *definitiuam*, aliam *interloquutoriam*. Illa est: *Solemnis causae controversae per iudicem secundum acta & facta decisio*. Haec vero est: *Decretum iudicis super articulo quodam incidente. u)*

Quid definitiua?  
Quid interloquutio?

§. CCXI.

Axiomata.

Ex his definitionibus fluunt axiomata: I. Sententiam concipiunt iudices & quidem II. Secundum leges & acta, ita vt III. Sic lis finiat; IV. Concepta sententia publicatur vel pronuntiatu solemniter. V. Vbi in rem iudicatam transit, pro veritate habetur.

§. CXXII.

Quis concipiat sententiam?

Quum itaque iudicium sit, concipere sententias, (§. CCXI. i.) consequens est: 1) vt sententiam ferre non possit, nisi iudex *competens*: x) 2) vt proinde huc proprie non pertineat sententia, quae *a iure* lata esse dicitur, maxime cum illi plerumque accedere soleat *declaratio* iudicis: y) 3) vt tamen iudex acta etiam

u) c. 70. C. II. qu. 3. c. ult. C. 2. qu. 6. c. 49. X. de adpell. L. 39 ff. de minor.

x) tit. C. Si a non compet.

y) CORVINVS instit. iur. can. III tit. 34. §. II. sequ.



etiam ad *extranea collegia* ad ferendam sententiam transmittere possit: z) 4) vt, si plures sint iudices, *omnes* sententiam ferre debeant, a) id quod tamen hodie saltem ad *delegatos* (§.XVII,6.) & *arbitros* (§.LI.3.) quadrat: c) vt *plurimum suffragia* vincant pauciora. b)

## §. CCXIII.

Quumque sententia secundum leges & acta ferenda sit, (§.CCXI.2.) sequitur: 1) vt ferri debeat seruato iuris ordine, plena instructa causa: c) 2) vt eadem consentanea debeat esse legibus & consuetudinibus in republica receptis, siue *ecclesiasticae* sint, siue *ciuiles*, adeoque sententia contra leges lata *ipso iure nulla* sit: d) 3) vt tamen sententia contra *ius liuigtoris* lata stricto iure valeat: e) 4) vt *conformis* esse debeat *libello*, quod ad obiectum & causam petendi: f) (§.LXXII.2.) 5) vt ratio habenda sit *actorum & probatorum*. g)

Debet sententia esse conformis libello, iuri, actis.

## §. CCXIV.

Quumque sententia lis finiri debeat, Certa, pura: (§.CCXI.3) per se patet: 1) eam debere esse

(G) 4 se

- 
- z) B.GVNDLING *diff. de transmiss. act.*  
 a) c. 21. X. *de offic. & potest. iud. del.*  
 b) L. 36. & 39. ff. *de re iudic.*  
 c) c. 18. & 24. X. *de sentent. & re iudic.*  
 d) c. 1. & 8. X. *cod. L. 13. C. de re iudic.*  
 e) L. 2 C. *quando prouoc. non nec.*  
 f) c. 32. X. *de rescript. c. 2. C. 3 qu. 9. L. 18. ff. de commun. d' u d.*  
 g) c. 13. X. *de sentent. L. 6. §. 1. ff. de offic. Praesid.*

Quousque  
interloquu-  
toria defini-  
tina dici  
possit?

se certam; b) 2) puram non conditionatam, i) nisi forte ipsi rei naturaliter conditio insit, vel in continenti impleri possit: 3) etiam interloquutoriam peracta causae cognitione latam, quoad punctum, super quo fertur, definitivam dici posse, licet ex mente iuris canonici quoad iudicem in rem iudicatam non transeat: k) 4) sed hodie in plerisque locis talem interloquutionem, etiam quoad iudicem, in rem iudicatam transire.

### §. CCXV.

Quomodo  
sententia  
publicanda?

Quum deinde sententia etiam rite sit publicanda, (§. CCXI. 4.) notari debet, iura requirere: 1) ut citatio praemittatur ad audiendam sententiam: l) 2) ut publicatio fiat in loco iudicii, die non feriato: (XCVIII.) 3) ante solis occasum: m) 4) ut recitanda sit a iudice sedente ex scriptis: n) 5) ut tamen in summario processu solemnem publicatio non desideretur: o) (§. CCLXIII. 9.) 6) ut moribus plurimorum locorum inualuerit, ut sententia partibus in vim publicati transmittatur. p)

### §. CCXVI.

- h) L. vn. C. de sent. quae fin. cert. quant.  
i) conf. L. 37. ff. de excusat. c. 29. C. 2. qu. 6.  
k) c. 12. de appell. in 6.  
l) L. 47. ff. de re iudic.  
m) L. 59. ff. de iudic. L. 4. C. quom. & quand. iud. sent. Nov. LXXII, c. 3.  
n) L. 3. C. de sent. ex peric. recit.  
o) Clement. Saep. de V. S.  
p) MEVIVS P. III. dec. 269. P. V. dec. 167.

## §. CCXVI.

Denique quum sententia, postquam in rem iudicatum transit, pro veritate habeatur, (§. CCXI. 5.) consultum videbatur: 1) ei rei breue *decem dierum spatium* praefigi: q) quo elapso 2) *retractari* non potest, licet contra ius litigatoris lata: (§. CC XIII. 3.) sed 3) praesumptionem pro iustitia sententiae esse *iuris & de iure*: (conf. §. CLV. 2.) r) 4) non tamen transire in rem iudicatum sententias, quae *impugnari* possunt, quorum referunt α) sententiam *interimisticam*; s) β) sententias *arbitrorum interlocutorias*; t) γ) *nullitate* laborantes; u) δ) *contra rem iudicatum* latis; x) ε) *ex iuramento necessario* seu a iudice delato; (§. CLXXXIX.) y) aut ζ) *ex falsa causa* pronuntiatas; z) η) sententiam in *criminalibus*, accusati vel inquisiti *condemnationem* continentem; a) denique θ) sententias *falsis testimoniis, falsis instrumentis, conspiratione* aduersariorum, *corruptione* extortas & emendicatas. b)

Effectus  
sententiae,  
quae in rem  
iudicatum  
transiit.

Quaedam in  
rem iudica-  
tam non  
transeunt.

## (G) 5      §. CCXVII.

q) C. 15. X. de sentent.

r) C. 13. X. eod.

s) STRYK diff. de decret. interimist. c. 1. nr. 46.

t) L. 19. ff. de rec. qui arbitr.

u) ALTIMARVS de nullit. sent.

x) L. 1. C. sentent. fin. prou. resc. c. 20. X. de sent.

y) L. 31. ff. de iureiur.

z) L. 33. ff. de re iudic.

a) conf. tit. ff. de sent. pass.

b) L. 13. ff. de re iudic. L. fin. C. de poen. iud. male iud. add. III, BOEHMER de sentent. in rem iudic. non transeunt.

## §. CCXVII.

Actio iudicari & exsequutio.

Ex re iudicata datur *actio iudicati*, quae, intra quale tempus institui possit, ex locorum consuetudine addisci debet. Instituitur ad id, ut sententiae satisfiat, vel illa exsequutioni manderetur; c) adeoque tenendum: 1) iudicem, qui pronuntiauit, vel *per se*, vel *per alium*, sententiam exsequutioni mandare: d) 2) in specie *confistoria* implorato *brachio seculari* exsequutionem facere: e) 3) aliter exsequutionem fieri in actionibus *in rem*; aliter in actionibus *in personam*: f) 4) condemnatum, qui bona non habet, vel *in carcere* habitare, vel ad *manus creditorum* addici. g)

## TIT. XXX.

## DE ADPELLATIONIBVS.

## §. CCXVIII.

Connexio.

**S**ententia definitiua finit quidem *instanciam*, non vero *iudicium*. Potest enim *adpellari* superior, & hoc ubi factum, nec tranlit in rem iudicatam sententia, nec exsequutio.

c) c. 7. C. 2. qu. 1. l. 4. ff. de re iudic. l. ult. C. de exsequut. rei iud.

d) c. 4. X. de for. comp. c. 5. X. de sent.

e) c. 1. & 14. X. de offic. iud. ordin.

f) CORVINVS c. l. tit. 33. §. 4. sequ. Exc. HEINECCIUS ff. P. VI. §. 244.

g) SCHILTER Exc. XLVI. §. 6. VOGT de addict. deb. ad man. credit.

sequutioni mandari potest. Est vero adpellatio: *Legitima ad superiorem ab inferiore prouocatio, illati grauaminis caussa iusto tempore facta.* b) Quid adpellatio?

## §. CCXIX.

Caussa itaque & fundamentum adpellationis est *grauamen*. Hoc cum vel *in iudicio* inferatur, vel *extra iudicium*, inde adpellatio quoque in *iudicalem* & *extraiudicalem* diuidi solet, quamuis haec sit mera *prouocatio ad caussam*, & naturam simplicis querelae habeat; i) illa vero propria est *prouocatio*, ob grauamina *in iudicio* illata.\* Quotuplex?

\* Admodum fauet ius canonicum adpellationibus, quod sint *favorabiles* & *defensionis* species. Vera autem caussa est, vt eo copiosior ad aulam Romanam esset recursus. Olim enim incognitae adpellationes a sententiis Episcoporum & synodorum. ESPEN, *iur. eccl.* P. III. tit. 10. c. 1. §. 1. seqq. DVPIN *de discipl. eccl. dissert.* 2. Adhibuit illa iam olim ad adpellationes tales propugnandas, canones concilii Sardicenis, & cum minus ex voto conatus cederet, adparuit demum spuria collectio ISIDORI, quae adeo ad sedem Romanam adpellationes promovit, vt sec. XII. cordatiores graues querelas de adpellationum abusu mouerent. ESPEN, *cit. I. tit. 1. c. 1. s. 9. sequ.* Maxime cum Pontifices causas ad se euocarent, etiam in prima instantia.

## §. CCXX.

b) c. 1. & 2. C. 2. qu. 6. L. 30. & 32. C. de adpell.

i) c. 5. X. de adpell. L. B. de LYNCKER *de grauam. extraiudic.*

## §. CCXX.

Axiomata.

Ex adpellationis itaque indole fluunt axiomata: I. Quibus grauamen illatum, possunt adpellare. II. Adpellatur a iudice inferiori ad superiorem. III. Adpellatio rite est interponenda, apud superiorem iudicem introducenda, & ordine prosequenda. IV. Est ab inferiori regulariter recipienda, & ordinarie producit effectum suspensiuum.

## §. CCXXI.

Quis adpellare possit?

Quum itaque adpellare possint, quibus grauamen illatum, (§. CCXX. I.) consequens est: 1) vt omnes hoc possint, quibus sententia *damnum* illatum: k) 2) vt vnus adpellatio reliquis *litis consortibus* profit: l) 3) vt & is, cuius *interest*, prouocare possit: m) vt tamen 4) quidam adpellare nequeant, puta, α) ob *veram contumaciam*, (§. CXXIV. I.) condemnati; n) β) ille, qui se *non adpellaturum iurauit*, o) aut γ) sententiam *probauit*, p) aut δ) aduersarii *adpellationi* in eadem causa non *detulit*: q) 5) vt etiam ante definitiuam  
ab

k) L. 1. pr. C. de adpellat.

l) L. 1. &amp; 2. C. si vnus ex plur. adpell. STRIK diff. de commun. adpellat.

m) L. 4. § 2. sequ. ff de adpell.

n) HORN de contum. non adpell.

o) c. 21. X. de adpellat.

p) c. 20 X. de offic. &amp; pot. iud. del.

q) c. 23. &amp; 42. X. de adpell.

ab *interloquutione* vel alio *grauamine* hoc remedio vti quis possit: r) 6) vt etiam *post sententiam*, si in exsequutione *modus excedatur*, aut *exceptiones* paratam exsequutionem impediētes *reiciantur*, prouocationi locus fit. (§. CXGIX. 4.) s)

## §. CCXXII.

Ex eodem axiōmate (§. CCXX. I.) liquet: In quibus 7) adpellari posse in quacunque causa, siue <sup>caussis?</sup> *ciuilitis*, siue *criminalis* sit; t) siue *maior*, siue *minor*: u) nisi 8) expresse *prohibeatur*, quorum referuntur a) adpellationes contra *aperturas testamentorum*; x) β) contra *edicta perpetua*; y) γ) *possessorium momentaneum*, puta, quoad effectum *si. suspensiuum*, non vero *deuolutiuum*: z) Porro prohibent adpellationem, quae fit δ) ab *exsequutione*, (sed vid. §. CCXXI. 6.) aut ε) a *disciplinari correctione*, nisi & hic *modus excedatur*; a) ζ) a *sententia interdicti*, b) (§. CCCXLIX. seq.) sed rursus quoad effectum *suspensiuum*; η) in *caussis fiscali* vel *tributariae functionis*; θ) a *grauamine futuro*, nisi de eo *comminatio facta*, aut per *indicia*

r) c. 34. seqq. X. de resc. c. 4. X. vt lit. non cont.

s) L. 4. ff. de adpell. c. 15. X. de sentent.

t) c. 5. X. de adpell.

u) c. 11. X. de adpell.

x) c. fin. C. 2. qu. 6. L. 6. C. de adpell.

y) c. 17. X. de adpell. L. 7. s. pen ff. de adpell. recip.

z) c. 15. X. de rest. spol. Clement. vn. de caus. 1. off.

a) c. 3. 31. & 32. X. de adpell.

b) c. 37. X. de adpell.

dicia adpareat; c) 1) ab *electionis confirmatione*, (§. CCCXXIX. 1. sequ.) d) & denique x) a *rescripti concessione*. (P. I. §. CXXXII. 5.) e)

## §. CCXXIII.

Ad quem  
adpellatio  
dirigatur?

Quumque adpellatur a iudice inferiori ad superiorem, (§. CXX. 2.) consequens est: 1) vt *gradatim* ab inferiore ad superiorem, non *per saltum*, praetermisso intermedio, *prouocare* liceat: f) 2) vt tamen per saltum facta adpellatio, non quidem deserta, interim tamen ad intermedium *remittenda* sit: g) 3) vt vix ad *parem* dirigi queat, nisi *consuetudo eum maiorem* fecerit: b) 4) vt tamen ad Papam & eius legatum in foro ecclesiastico omnes, *intermissis mediis*, *prouocare* possint: (P. I. §. CCLXXXV. 3. & 7. §. CCCCLV. 2.) i) 5) quod ipsum tamen a *seculari iudice* non licet, nisi is sit de temporali ecclesiae Romanae iurisdictione: k) 6) vt a *delegato* iudice *ad delegantem* adpellatio dirigenda sit, l) nisi 7) *vniversitas caussarum* delegato mandata sit: (P. I. §. CCCCXLIII. 5.) 8) vt *prouocationes* tunc

e) c. 2. 18. & 60. X. eod.

d) c. 47. X. eod.

e) CONF. WILDVOGEL *de adpell. in causs non adpell.*  
STRYK *diff. de adpell. illicit.*

f) c. 66. *de adpell. c. 9. X. de offic. & pot. iud. ord.*

g) MEVIUS P. IV. *dec.* 104.

b) CORVINVS *cit. lib. tit.* 36. §. 15.

i) c. 45. C. 2. qu. 7. c. 4. sequ. C. 2. qu. 6.

k) c. 7. X. *de adpell.*

l) c. 27. X. *de offic. & pot. iud. del.*



tunc demum fieri possint ad superiorem, vbi eae *α*) nec *speciali rescripto*, puta, in commissionibus per clausulam *remota omni adpellatione*; *η*) nec *β*) lege *generali* aut *speciali* sublatae sunt: prius contingit, vbi *lex* omnem adpellationem interdicat; (§. CCXXII. 7. *α*. sq.) posterius per *privilegia* de plane non, vel certo modo non adpellando: *η*) denique *γ*) cessant adpellationes, vbi iudex superiorem non habet, vt *Papa*, (P. I. §. CCLXXXV. 8.) *Imperator*, aliique *Principes*.

## §. CCXXIV.

Ex tertio axioma (§. CCXX. 3.) notari debet: 1) adpellationem, quatenus non ab interloquutione fit, vel *viua voce*, vel *in scriptis* fieri posse: 2) *viua voce*, vbi interponitur, id *statim post publicationem* fieri debere; 3) in scriptis vero sufficere, si intra *decendum*, (§. CCXVI. 1.) a die *publicatae sententiae*, vel aliquando *scientiae specificae* computandum, interponatur: 4) grauamina saltem *in adpellationis iudicio* deducenda esse: 5) eadem obti-

Quomodo  
interponenda?

*m*) c. I. X. de rescript. c. 15. & 27. X. de off. & pot. iud. del.

*n*) LVDOVICI de summa adpellabili. Privilegia statuum de non adpellando adiecta sunt corpori iuris cameralis, quod anno 1724. Francofurti prodiit.

*o*) CARPZOV. Proc. tit. 18. art. 3. n. 17.

*p*) CONF. L. 14. C & L. 25. ff. de adpell.

*q*) c. 15. X. de sentent. c. 8. de adpell. in 6. Dn. 10. 100. BECKIUS de fat. interp. adpell.

obtinere in illa interlocutoria, quae *vim definitivae* habet; cum 6) in *simplici* abscisse in *scriptis*, & sub *grauaminum* allegatione, interpositio fieri debeat: r) 7) aliquando locum adpellationis nudum *protestationem* intrare: s) immo 8) etiam *factis* adpellationem interponi posse. t)

### §. CCXXV.

Petendi  
apostoli.

Interposita adpellatione 9) petendi sunt *apostoli* seu *libelli dimissorii*. Sunt autem apostoli: *Litterae, quibus iudex inferior adpellationem apud se interpositam testatur, causamque ad superiorem iudicem dimittit.* u) De his notari debet: α) petendos eos esse *instanter* & saepius intra *triginta dies*; x) β) hac petitione omissa adpellationi *renunciari*, eamque *desertam* fieri; y) γ) sufficere tamen, si simul & *vno contextu saepius* petiti fuerint; z) δ) vbi iudex inferior apostolos denegavit, *denuo adpellandum.* a)

### §. CCXXVI.

r) c. 1. de adpell. in 6. c. 51. X. eod.

s) c. fin. X. eod.

t) c. 9. X. eod. c. vn. X. de cleric. peregrin.

u) L. vn. pr. §. 1. ff. de libell. dimissor.

x) c. 8. de adpell. in 6. Clement. 2. eod.

y) c. 6. de adpell. in 6. Clement. 2. eod.

z) Clement. 2. de adpell.

a) CORVINVS cit. loc. tit. 36. §. 29.

## §. CCXXVI.

Ex eodem axiomate porro constat: 10) <sup>Introdu-</sup> adpellationem etiam debito modo <sup>ctionis rae-</sup> *introducendam* esse apud superiorem, & hinc  $\alpha$ ) adpellantem, qui apostolos impetrauit, aut eis non impetratis denuo adpellauit, (§. CC XXV.  $\delta$ ) porrigere *libellum adpellationis & grauaminum*;  $b$ )  $\beta$ ) tempus introductioni praestitutum sub poena *desertionis* obseruandum esse;  $c$ )  $\gamma$ ) ab eo subduci tempus *compromissi*;  $d$ ) (§. XLV. sequ.)  $\delta$ ) adpellatione recepta iudicem superiorem decernere processus adpellatorios, nimirum *citationem* ad partem aduersam, *litteras inhibitoriales* ad iudicem inferiorem, *compulsoriales* ad eundem.

## §. CCXXVII.

Inhibitoriales sunt: *Litterae, quibus iudex adpellationis iudici inferiori, a quo prouocatum, interdicit, ne adpellatione pendente quid in causa attentet, innouet, vel ulterius procedat.* De his notandum:  $\alpha$ ) eas saltem decerni, si prouocatum a *definitiuo*,  $e$ )  $\beta$ ) in adpellatione ab *interloquutoria* vero tunc demum, si prius iudex de grauaminum veritate cognouerit;  $f$ )  $\gamma$ ) plane non decerni, si non constet, vtrum-ue

Quid inhibi-  
bitio.

$b$ ) vid. Clementin. 1. de adpell. c. 3. eod. in 6.

$c$ ) c. 4. X. de adpell.

$d$ ) Clementin. + de adpell.

$e$ ) c. 3. & 7. de adpell. in 6.

$f$ ) c. 3. §. *quodsi obiicitur eod. in 6. Rec. Imp. de anno 1654. §. 93.*

ue ad iudicem *caussa perimeat* ? g) nec δ) in *extrajudiciali* adpellatione; (§. CCXIX.) nec ε) vbi *tertius* pro suo interesse interuenit; (§. CCXXI. 3.) nec ζ) in *interdicto retinenda*; (§. CCXXII. γ) nec η) in *caussa nullitatis*. (§. CCXVI. γ)

## §. CCXXVIII.

Quid compulforiales?

Compulforiales sunt: *Litterae, quibus iudex superior adpellatione recepta inferiori mandat, vt acta prioris instantiae edat.* De his notandum: α) inferiorem per *mandata poenalia* compelli posse, dummodo β) petens mandatum, docuerit, se in *requirendis actis* diligentiam adhibuisse. b)

## §. CCXXIX.

De iustificatione adpellationis.

Porro ex eodem axioma (§. CCXX. 3.) intelligitur: II) adpellationem *iustificandam* esse, tam quoad *formalia*, quam *materialia*, cui negotio modo anni, modo biennii spatium praestitutum. i) Hinc adpellans α) docere debet, *sollemnia* adpellationum rite fuisse obseruata; β) *grauamina* esse *vera*; k) tunc γ) *alia* etiam *probari* & *deduci* possunt, l) nisi ab *interloquutoria* prouocatum; m) δ) iustifica-

g) c. 3. de adpellat. in 6.

b) CONF. GAIL. Obs. L. 1. Obs. 13. & 134.

i) Clem. 3. de adpell. L. vi. §. 4. C. de temp. adpell.

k) c. 70. X. de adpell.

l) c. 2. X. de adpell. Dn. GASSER diff. non d. deduct. deduc. non d. probat. probab.

m) c. 62. X. de adpell. Clement. 5. eod.

ficatione peracta, priorem sententiam vel confirmari, vel reformari, priorique casu remitti acta ad iudicem primae instantiae, condemnato adpellante in expensas; n) posteriori vero expensas compensari, & iudicem ad quem, sententiam executioni mandare; ε) ubi ab interlocutoria prouocatum, priori casu rursus acta remitti, posteriori vero iudicem adpellationis in causa principali definienda pergere.

## §. CCXXX.

Quum denique adpellatio regulariter ab inferiori recipienda sit, & effectum suspensiuum producat, (§. CCXX. 4.) sciendum est: 1) inferiori iudici manus adpellatione interposita ita ligatas esse, ut quidquid contra eam faciat, pro attentato & spolio reputandum, & per mandata poenalia reuocandum sit: o) 2) statim deuolutam esse causam ad superiorem, super illo articulo, a quo adpellatio interposita: p) 3) posse tamen inferiorem, non obstante adpellatione, ulterius procedere, α) si ab interlocutoria prouocatum, nec inhibito decreta; q) β) si causa notorie est inadpellabilis; (§. CCXXII. α. sequ.) & (§. CCXXIII. 8.) γ) si a quodam puncto non adpellatum, r) nisi causa, a qua adpellatum, ita huic

Inferior regulariter adpellationem reiicere nequit.

Quatenus non obstante adpellatione inferior proced. possit.

(H) 2                      cohae-

n) c. 59. &amp; 61. X. eod.

o) c. 56 X. eod c 7. eod. in 6.

p) c. 1. &amp; 7. de adpell. in 6.

q) c. 2. de dol. &amp; contum. in 6.

r) c. 17. &amp; 22. d. de adpell.

cohaereat, vt *separatim tractari nequeat*; s) d) si *periculum* in mora sit; (§. CCXXXVIII.) e) si plures condemnati, & *quidam saltem* adpellarunt; ζ) si adpellationi vel *expresse* vel *tacite* renunciatum; 1) η) si adpellatio saltem *deuolutiuum* effectum producit. (§. CCXXII. γ)

## TIT. XXXI.

## DE SUPPLICATIONE ET REVISIONE.

## §. CCXXXI.

Connexio.

Sicuti adpellatio ob grauamen interponitur, & ab inferiori ad superiorem prouocatur; (§. CCXVIII.) ita *supplicationes* & *revisions* tunc potissimum adhibentur, vbi a iudice *adpellari nequit*, (§. CCXXXIII. β. seq.) aequum tamen sit, vt sententiae rigor corrigatur.

## §. CCXXXII.

Quid supplicatio.

Est autem supplicatio: *Extraordinaria iudicis imploratio, vt causa denuo cognoscatur & sententia reformetur.* u)

## §. CCXXXIII.

Axiomata.

Hinc fluunt axiomata: I. Est regulariter remedium extraordinarium. II. Fit ad normam adpellationis vel in continenti, vel ex interuallo, adeoque participat quandoque de natura remediorum suspensiuorum.

## §. CCXXXIV.

s) c. 16. X. eod.

t) c. 45. X. eod. c. 4. § 6. eod. in 6.

u) conf. L. vii. C. de sentent. praef. praetor.

## §. CCXXXIV.

Ex priori discimus: 1) regulariter saltem <sup>Quando</sup> competere hoc remedium, vbi *ordinarium* <sup>competat?</sup> adpellationis *cessat*: 2) supplicari ad *eundem iudicem*, a quo adpellare non licet: (§. CC XXIII. 7.) x) 3) tantum adhiberi a sententiis *definitiuis*, aut *definitivae* vim habentibus: y) 4) extra ordinem supplicationem constituere *ordinarium remedium suspensuum*, illis potissimum locis, vbi leuteratio Saxonica incognita est. z)

## §. CCXXXV.

Ex posteriori intelligitur: 1) hoc remedium vel adhiberi *in continenti* audita sententia viva voce, vel 2) ex *intervallo* in scriptis: §. CCXXIV. 1. seq) a) 3) interponendam tunc esse intra *decendium*, (§. CCXXIV. 3.) & 4) ita interpositam gaudere effectu *suspensiuo*: (§. CCXXX. 1. sequ.) licet c) quidam hoc ita interpretari soleant, vt tunc demum obtineat, si victor non *idonee caueat*, de restituendis omnibus, in casum retractatae sententiae: b) 6) decendio praeterlapso, adhuc quidem huic remedio intra *biennium* locum dari, sed ita, vt tunc sine vlla satisfatio-

(H) 3 ne

x) Authent. *Quae supplic. C. de prec. Imp. off.*y) BERLICH P. I *concl.* 60. nr. 21.z) LVDOVICI Ciuil. Processi c. 29. §. 12. *sequ.*

a) LVDOVICI c. 1. §. 3.

b) TEXTOR *ad Rec. Imp. de anno 1654. diff.* XIII.

§. 59.

ne exsequutio decerni possit: c) 7) cessare hoc remedium illis casibus, ubi adpellationi locus non datur; (§. CCXXII. 8.) d) 8) iuplicationem quidem *iustificandam* esse, (§. CCXXIX.) sed 9) ibi regulariter non permitti, ut *nouis probationibus* uti quis possit, e) quod tamen in adpellatione permittitur: (§. CCXXIX. γ) 10) iustificationem & hic excipere *sententiam*, eamque vel confirmatoriam, vel reformatariam. (§. CCXXIX. δ)

## §. CCXXXVI.

Quid reuifio?

*Reuifio* proxime accedit ad naturam supplicationis, & tam in camera imperii, quam in quibusdam iudiciis Statuum recepta est. f) Illa est: *Remedium extraordinarium*, quo a singularibus ad hoc deputatis sententia, sortem MM. Imperialium decernens, prioribus actis perspectis denuo expenditur, & si aequa est, confirmatur; si iniqua, corrigitur. g) Haec vero est: *Remedium ordinarium*, quo sententia, contra quam interponitur, a viribus rei iudicatae suspenditur.

## §. CCXXXVII.

Generalis de hoc remedio observatio.

Quae in camera adhibetur, sua quidem singularia sollemnia habet, quae vero huc non

a) LUDOVICI C. I. §. 2.

d) LUDOVICI C. I. §. 3. BRUNNEMANN *Proc. civ.* c. 28. nr. 115.

e) MENCKE *Proc. iur. comm. & Saxon. tit. 37. §. 8.*

f) COCCEIUS *diff. de iudic. reuif. Stat. Imp.*

g) *Ordin. Camer. P. III. tit. 53.*



non pertinent, vbi de processu communi agimus. *b)* Quae in territoriis statuum adhibetur, variat rursus, pro diuersitate ordinationum. Obtinet in Palatinatu, Ducatu Wirtembergico, ciuitate Hamburgensi, districtu Bremensi, tribunali Wismariensi, Ducatu Cliuensi, variisque Guesphaliae aliorumque locorum iudiciis.

## TIT. XXXII.

DE

## IN INTEGRVM RESTITVTIONE.

## §. CCXXXVIII.

**R**estitutione in integrum illis quidem Connexio: potissimum succurritur, qui metu, dolo, aliaue iusta causa excusationem merente in captationem inciderunt; verum etiam contra *sententiam* ad rigorem illius corrigendum, eamque impugnandam, instar aliorum remediorum ob illatum grauamen, (§. CCXIX. & CCXXXI.) quod hic in laesione ponitur, adhiberi solet.

## §. CCXXXIX.

Restitutio in integrum, quatenus illa a iudice petitur, est: *Redintegranda rei vel causae actio*; quatenus vero illa datur, est: *causae iure stricto amissae ob laesionem redintegratio.* Quid restitutio in integrum? *i)*

(H) 4

§. CC

*b)* conf. de illa IO. LVD. BENDER *de reuis. actor. & sentent.*

*i)* Excell. HEINECCIUS ff. P. I. §. 458.

## §. CCXL.

**Axiomata.** Inde notanda axiomata. I. Postulatur restitutio ob actus summo iure validos, propter interuenientem laesionem. II. Conceditur ob iustam causam. III. Omnia sic reducuntur ad pristinam causam.

## §. CCXLI.

Quando  
competat?

Ex primo intelligis: 1) eam non dari, vbi actus *ipso iure* non subsistit, aut 2) laesis *remedium ordinarium* in mundo est: k) adeoque 3) illud *cumulari* non posse cum querele nullitatis, nisi *subordinate* aut *alternatiue*, l) multoque minus cum adpellatione, nisi *incidenter & euentualiter*: m) posse tamen 4) illam postulari, vbi ad *falsa documenta*, aut *falsa testimonia* sententia lata fuit: n) (§ CC XVI. b) 5) eam praeterea contra sententiam ex aliis causis tanquam *remedium extraordinarium* & adpellationi *adsine* adhiberi posse: o) 6) fundamentum & causam petendi esse *laesionem* alicuius momenti, p) siue ea ex sententia, siue alio iudiciali actu, siue contractu proueniat. q)

## §. CCXLII.

Ob quas  
causas?

Ex secundo (§. CCXXXIX. 2.) notari debet: 1) sufficere causas, quibus *acqui-*

tas

k) L 16. ff. de minor.

l) MENCKE cit loc tit. 38. §. 29.

m) IDEM *ibid.* §. 24

n) STRYK *Vf modern ff. tit. de restit. in int.* §. 3.

o) L. 42. ff. de minor. L. vn. C. in integ. restit. postul. ne quid nou. fiat.

p) CARPZOV L. II. resp 94. nr. 14.

q) CORVINVS c. l. tit. 40. §. 3. & 4.

tas suffragatur, quamvis nullum laedentis delictum concurrat, quales sunt: *metus, dolus, aetas, absentia*, aliaeque, quae *iustae* videntur Praetori: r) 2) vtrum talis causa subfit, *causae cognitione* opus esse: s) 3) eam concedendam esse a iudice, *ordinariam administrationem* habente: t) (§. L. 7) 4) iudicem eam quandoque & praeveniendo partem *ex officio* decernere posse: u) 5) non sufficere solam iustam causam, nisi intra *determinatum tempus* petatur, puta, intra *quadriennium*: x) 6) eam vero, quae ob *falsa instrumenta & falsa testimonia* (§. CCXLI.4.) postulatur, *perpetuam* esse: y) 7) non dari restitutionis restitutionem, sed si semel denegata aut *adpellandum*, aut contra *adpellationem omissam* restitutionem, in integrum postulandam esse. z)

## §. CCXLIII.

Ex tertio denique (§. CCXXXIX. 3.) discimus: 1) quod ea petita, *nihil innovandum* sit, Eius effecta.  
(§. CXXXI, seq.) omniaque manere debere

(H) 5 in

r) L. 1. § 1. ff. quib. ex caus. maior.

s) L. 3. ff. de in integr. restit.

t) c. 9. X. eod.

u) L. fin. C. Ex quib. caus. in integr. restit.

x) L. ult. C. de temp. in integr. restit.

y) STRYK cit. l. BRUNNEMANN ad l. 2. C. Ex fals. instrum.

z) c. III. X. de in integr. restit. L. 1. C. si saep. in int. rest.

in statu pristino, a) 2) proinde eam *adpellationem* imitari, nisi constet, eam per *misliam* peti: b) 3) ea impetrata omnia in *priorem statum* redire: c) 4) perinde esse, vtrum per modum *actionis*, an *exceptionis* proponatur. d) 5) Corollarii loco notari debet, alicubi restitutionem in integrum esse *remedium suspensuum ordinarium*.

## TIT. XXXIII.

## DE RECUSATIONIBVS,

## §. CCXLIV.

**Connexio.** **I**N iudice non solum competentia desideratur, (§ X.2.) sed & sinceritas & integritas, vt non sit *suspectus*, quum talis *recusari* queat. (§. XIX. d) Deinde sicuti adpellatio inferiori iudici manus ligat; (§. CCXXX. 1.) ita & *recusatione* ab audientia illius receditur. e)

## §. CCXLV.

**Quid recusatio?** Est vero recusatio: *Declinatio iurisdictio- nis vel audientiae, causa suspicionis proposita.*

## §. CCXLVI.

**Axiomata.** Inde axiomata: I. Recusatione receditur ab audientia iudicis. II. Causa recusationis debet

a) L. 42. ff. de minor. L. vn. C. in integr. rest. post. ne quid. nou.

b) GONZALEZ ad c. 6. de in integr. restit.

c) L. 24. § 4. ff. de minor.

d) EXC HEINECCIUS ff. P. I. §. 466.

e) c. 5. X. de except.

debet esse iusta. III. Ea est legitime probanda.

### §. CCXLVII.

Ex primo sequitur: 1) ut recusari possit & *ordinarius & delegatus*: (§ XII.) *f*) 2) ut etiam is delegatus, qui ad petitionem partis datus fuit ex *caussa superueniente*, aut *post delegationem orta*, a parte impetrante recusari queat: *g*) 3) ut integro *collegio* suspicionis exceptio obiici possit: *h*) 4) ut *ante litem contestatam opponenda sit*, nisi postea demum oriatur. *i*)

Omnis iudex recusari potest.

### §. CCXLVIII.

Ex secundo (§. CCXLVI. 2.) intelligis: 1) non omnes causas admitti, sed saltem *fonticas & graues*, puta, *α*) si litigatori sit *inimicus*, aut *β*) *amicus, cognatus, adfinis* aduersarii: *γ*) aut in eodem negotio antea fuerit *aduocatus* aut *procurator*; aut *δ*) ipse cum alio habeat *litem similem*: *k*) 2) proponendam esse *in scriptis*, cum causa recusationis specificè exprimenda sit.

Ex iusta causa.

### §. CCXLIX.

Ex tertio denique (§. CCXLVI. 3.) notandum: 1) *causae cognitione* hic opus esse, &

Quae probanda.

*f*) c. 10. X. de for. comp. c. 41. & 61. X. de adpell.

*g*) c. 25. X. de offic. & pot. iud. deleg.

*h*) c. 10. X. de for. compet.

*i*) c. 25. X. de offic. & pot. iud. deleg.

*k*) c. 61. X. de adpell. c. 18. X. de iudic.

& sic *α*) si plures delegati a Papa sub clausula: vt vnus sine altero procedere possit, (§. XVII.6.) dati fuerint, illos cognoscere, qui *recusati* non sunt; *β*) tali clausula non adiecta *arbitros* eligendos esse, idemque obtinere, *γ*) si *ordinarius* recusatus fuerit; si *δ*) delegatus ordinarii, ipsum *ordinarium* cognoscere: *l*) 2) caussa *intra annum* non probata iudicem procedere, ac si recusatus non fuisset: *m*) 3) ea probata, iudicem ab vltiori cognitione *abstinere* debere. *n*)

## §. CCL.

De iuramento perhorrescentiae.

Quum vero hoc modo caussa suspicionis allegari & probari debeat, nouum excogitauit ius canonicum remedium, quod promptius & facilius est, puta *iusiurandum perhorrescentiae*. Hoc, qui praestat, iurat: *Se timere, ne ab inferiori iudice aequam & incorruptam impetret iustitiae administrationem.* o)

## §. CCLI.

Variae de illo observationes.

De hoc iureiurando notandum: 1) illud proficuum esse & *actori* & *reo*, ad recusandum sic

l) c. 10. X. de for. comp. c. 39. X. de offic. & pot. iud. deleg. c. 4. eod. in 6.

m) c. 41. X. de adpellat.

n) c. 61. X. eod.

o) LAVTERBACH de iuram. perborr. §. 6.

fic iudicem: p) 2) hic *causam suspicionis* non probandam, immo ne quidem allegandam esse: q) 3) praestari illud posse contra integrum collegium. (§.CCXLVII.3.)

## TIT. XXXIV.

## DE RELATIONIBVS.

## §. CCLII.

Sicuti adpellatione pendente nihil est innouandum; (§.CCXXX.I.) ita & facta relatione. Est autem relatio: *Iudicis inferioris super difficultate aut ambiguitate ad superiorem exarata consultatio.* r) Connexio.  
Quid relatio?

## §. CCLIII.

Inde axiomata: I. Relatio fit in casu dubio. II. Facta relatione officium iudicis quiescit. Axiomata.

## §. CCLIV.

Ex priori intelligis: 1) locum esse relationi, si in casu controuersio vel nullum *ius expressum*, vel *dubium* sit: s) 2) fieri illam ante sententiam: 3) partibus esse *communicandam*, Quando fieri soleat.

p) III. BERGER *oecon. iur* L.IV tit.25. § 4. not.7.

q) FELTMANN *de iuram. perhorresc.* L.I.c.4.

r) c.68.X. *de adpell.*

s) c.8.X. *de fid. instrum.* c.13.X. *de restit. spol.*

*dam*, quo admonitiones suas addere possint:  
 t) 4) fieri etiam relationes in *caussis gratiar*,  
 & saepius illas a superiore exigunt.)

## §. CCLV.

Effectus.

Ex posteriori patet: 1) ea, quae relatione pendente fiunt, innouantur, vel de causae meritis inquiruntur. *irrita* haberi, vti in adpellatione: (§. CCXXX. 1.) x) 2) posse tamen iudicem referentem procedere, si *periculum* in mora sit. (§. CCXXX. d)

## TIT. XXXV.

## DE CONFIRMATIONE UTILI VEL INVUTILI.

## §. CCLVI.

Connexio.

**I**N adpellationis instantia sententia vel reformatur, vel confirmatur, (§. CCXXIX. d) adeoque de *confirmatione* in genere pauca adiicienda sunt. Est vero confirmatio: *Actus gesti vel iuris corroboratio.*

Quid confirmatio?

## §. CCLVII.

t) c. 21. X. de elect. L. I. C. de relat. Dn. 10. GVIL.  
 WALDSCHMID de rel. iud. part. commun. vel non.

u) CONF. I. H. MEYER de relation. seu litteris inform.

x) CORVINVS inst. iur. can. L. III. t. 38. §. 6.



## §. CCLVII.

Est vel *necessitatis*, vel *voluntatis*. Illa est: *Diuisio.*  
*Quando sine ea actus non valet, aut effectum*  
*plenum non habet; haec vero est: Vbi actus*  
*sine confirmatione quidem subsistit, ea vero utili-*  
*tatis & consilii gratia adhibetur, ut eo maiorem*  
*auctoritatem habeat.*

## §. CCLVIII.

Hinc axiomata: I. Fit confirmatio ab eo, *Axiomata.*  
 qui iure confirmandi pollet. II. Modo cum,  
 modo sine causae cognitione exaratur.  
 III. Et sic varios producit effectus.

## §. CCLIX.

Quum itaque fiat ab eo, qui iure confir- *Quis con-*  
 mandi gaudet, (§. CCLVIII. 1.) sciendum est: *firmare*  
 fieri confirmationem 1) a *principe*, puta,  $\alpha$ ) *actum*  
 vel in causis sibi reseruat, si per viam *possit.*  
*dispensationum & gratiae* petitur; vel  $\beta$ ) ubi il-  
 le *legē* aliquid firmat: 2) a *iudice subalterno*  
 aut inferiore, in illis negotiis, quae ad suam  
 iurisdictionem spectant, & curae illius man-  
 datae sunt, siue  $\alpha$ ) *extrasudiciales* sint actus,  
 siue  $\beta$ ) *iudiciales*.

## §. CCLX.

Quumque fiat modo cum, modo sine *Quomodo.*  
 causae cognitione, (§. CCLVIII. 2.) notari  
 debet: 1) plenam causae cognitionem de-  
 fide.

siderare *citationem* eorum, quorum interest: 2) cognitionem intercessisse, demonstrari ex *Protocollo*: 3) sine plena causae cognitione exaratam in *forma communi* factam dici.

## §. CCLXI.

Effectus.

Quum denique varios producat effectus; (§. CCLVIII. 3.) facile est intellectu: 1) confirmationem cum plena causae cognitione factam tribuere *ius plenum*, & *conualidare actum*, per se non subsistentem: 2) in forma communi concessam *nouum ius* non tribuere, sed *pristinum* saltem *declarare* & *conseruare*: 3) posse etiam contra confirmationem exceptionem *sub* & *obreptionis* adhiberi, a) vti in rescriptis. (P. I. §. CXLII.)

## TIT. XXXVI.

DE IUDICIIS EXTRAORDI-  
NARIIS.

## §. CCLXII.

Connexio:

**P**ertractata tritura forensi, quatenus illa in  
solemni & ordinario processu obtinet,  
pauca

y) CORVINVS *c. lit.* 41. §. 6.z) *conf. c. 1. 4. & 7. X. de confirm. vtil.*a) CORVINVS *cit. loc.* §. 9.

pauca adhuc de iudiciis *extraordinariis*, seu *processu summario* adspargenda erunt. Est Quid iudicium extraordinarium? vero iudicium extraordinarium: *Vbi non in figura iudicii sollemnis, sed ex officio iudicis vel per modum inquisitionis, vel denuntiationis, b) vel alias de plano ex aequitate proceditur. c)*

## §. CCLXIII.

Quia itaque in his iudiciis de plano Forma illius. proceditur, obseruatis vero illis, sine quibus processus subsistere nequit, facile intelligis: 1) cur hic non desideretur *libellus sollemnis*, (§.LXIX.2.) nec 2) *litis contestatio*, scilicet specifica & ordinata: (§.LXXIX.) 3) cur tempore *feriarum* hominum causa introduatarum procedi possit: (§.XCVIII.) 4) *dilationum* materia amputanda, & 5) *lis*, quantum fieri potest, *abbrevianda* sit: 6) cur *exceptiones altioris indaginis* repellendae: 7) *testium* multitudo refrenanda: 8) iudici integrum sit, *interrogare* partes, siue ad *instantiam*, siue *ex officio*: 9) in *publicanda sententia* nulla sollemnitas desideretur; (§.CCXV. 5.) & quae sunt alia. *d)*

## §. CCLXIV.

b) vid. infr. tit. *quomodo de crimin. agatur.*

c) CORVINVS *instit. iur. can.* L.III, tit. 42. § 1.

d) vid. DRUS GODOFR. LVD. MENCKE *diss. de proc. summ.*


## §. CCLXIV.

Causae huc  
pertinen-  
tes.

Causae, quae ita tractantur, sunt vel *per se summariae*, vel fiunt tales *per accidens*. Per se sunt tales, 1) quae *iure civili*, 2) *canonico*, 3) *moribus* huc referuntur. Ex accidente fiunt summariae,  $\alpha$ ) vel per *rescriptum Principis*, vel  $\beta$ ) per *compromissum partium*. e)

e) III. BOEHMER *iur. eccl. Prot. Lib. II. tit. I. §. 12. & 13.*





ELEMENTORVM  
 IVRIS CANONICI  
 ET PROTESTANTIVM EC-  
 CLESIASTICI  
 LIBER IV.

DE  
 DELICTIS, PROCESSV CRIMINALI ET  
 POENIS.

TIT. I.

DE DELICTIS IN GENERE.

§. CCLXV.

**V**Ni uersa tritura forensi, quatenus illa Connexio:  
 in *caussa ciuili* peragitur, tanquam in  
 nuce exhibitā, nunc *iudisia crimina-*  
*lia*, quae de publica disciplina agunt, cum  
*ipsa criminum materia* enucleanda veniunt.  
 Nam iura canonica omnia delicta plectenda  
 esse dicunt; sed quum a sanguinis vindictā  
 abhorreant, *singulares plane poenas* inue-  
 runt.

(1) 2

§. CC

## §. CCLXVI.

Quid delictum?

Est vero hoc iure delictum: *Factum illicitum, sponte admissum, quo quis ad poenam obligatur, siue dolo, siue culpa aliqua id commiserit. a)*

## §. CCLXVII.

Generalis de delictis observatio.

Olim enim 1) Episcopi ex conceptu de satisfactione & poenitentia ecclesiastica, (P. I. §. DCLXXII. seqq.) delicta sub suam *cenfuram* reuocabant, b) censuris tamen suis 2) nullos *effectus civiles* adscribebant: cum vero 3) sec. XII. tribunalia ecclesiastica ad normam fori civilis composita fuerint, (P. I. §. CCCXXXIX. seqq.) abhinc 4) Presbyteris in foro poenitentiali *leuiora* delicta reliquerunt, *maiora* vero 5) *iudicio ecclesiastico* referuarunt; inde 6) distinctio inter forum *internum* & *externum* inualuit: inde demum, 7) cum laicis permolestum esset, quod ob idem crimen ad duplex forum raperentur, diuisio inter *crimina secularia* & *ecclesiastica* inualuit, hac tamen ratione, vt 8) quaedam in *biuio*, seu quasi in *communione*, vtriusque fori relinquerentur. c)

## §. CCLXVIII.

Vlterior declaratio.

Deinde 9) interpretes obseruant, quod iuxta ius canonicum omnia delicta sine *publica*,

a) c. fin. X. de iurciur. conf. GROTIUS de I. B. & P. Lib. II. c. 17. §. 22.

b) MORINUS de adm. sacr. poen. L. I. c. 10. § 1.

c) CONF. ANT. MATTHAEI de crimin. proleg. c. 4. §. 6.

*publica d)* & quod omnia ad *cenfuram Episcopi* pertineant: porro 10) quod vel *omnes personae* delinquere possint, vel *quaedam peculiari* plane ratione: illarum delicta 11) iuxta *decalogum* distribuunt; harum vero *singularem esse rationem* tradunt: e) cuncta vero 12) *poena* quadam, & potissimum *ecclesiastica*, digna iudicant.

## §. CGLXIX.

Delicta quidem magistratui politico coerenda relinquunt Protestantes; ast 1) non solum non reprobant plene distinctionem inter *secularia* & *ecclesiastica* delicta; verum etiam 2) in *mere secularibus* quandoque *cenfuram ecclesiasticam* praeter poenam, quam in criminali iudicio quis sustinuit, irrogandam putant, ceu ex sequentibus titulis vberius constabit: sed quum 3) *forum Episcopale poenitentiale* non adgnoscamus, rursus videre licet, quam misere nostra iurisprudentia cohaereat.

Vfus inter  
Protestan-  
tes.

## TIT. II.

## DE SIMONIA IVRIS CANONICI.

## §. CCLXX.

Quum itaque delicta iuxta decalogum <sup>Connexio.</sup> interpretes distribuunt, (§. CCLXVIII. II.) notandum est, illos utramque tabulam respicere & contra primam perpetrari: 1)

(1) 3

Si-

d) CORVINVS c.l. L.IV. c.1. §.3. FERMOVSINVS ad tit. X.  
de aconfat. qu. 1. nr 23.

e) CORVINVS c.l. §.7. seqq.

*Simoniam, 2) infidelitatem quamcunque, 3) haeresin cum adnexis, 4) apostasian, de quibus nunc agendum.*

§. CCLXXI.

Quid Simonia?

Est vero Simonia, si varias canonistarum definitiones considero: *Crimen atrox, vbi determinata voluntate rei spiritualis, vel spirituali adnexae, cum aliquo temporali fit commutatio.\* f)*

\* Nomen descendit a SIMONE, cuius mentio fit. *Act. VIII 9. sequ. 13. 18. sequ.* Hic *dona* Apostolorum *miraculosa*, vbi mediante manuum impositione *dona gratiosa Spiritus Sancti* conferebant, *magicas artes* esse, & pretio mediante communicari posse turpiter credidit. Idem facinus in collatione *munerum sacrorum pro pecunia* facta committi, patres penitus censuerunt, maxime cum doctrina, quod Episcopi in *locum Apostolorum* & in omnem eorum *potestatem* successerint, omnium mentes occupauerat. Inde non poterant non statuere, Episcopalem manuum impositionem eadem *diuina virtute* instructam esse, ac Apostolicam, adeoque in redemptione munerum ecclesiasticorum idem *specie* occurrere *crimen*, quod SIMON olim commiserat. (P. I. §. DXLIII. \*) Sed quem congrue rationes subdlexerint, mox constabit, conf. *cit. meus tract. de crim. Simon. Sect. II. c. 2. §. 25. sequ.*

§ CCLXXII.

Diuisio.

Diuidunt Simoniam in *conuentionalem*, quum aliquid datum vel promissam pro spiritualis collatione; & *mentalem*, vbi sola pra-

f) vid. tract. meus *de Simoniae crimine*, Sect. I. c. 6 § 5. Sect. II. c. 1. §. 2. & 3.



praua mens aut intentio adest. g) Addunt alii Simoniam *confidentiae*, quae fit, vbi in resignatione commodum ad resignantem resultat. b)

### §. CCLXXIII.

Hinc fluunt axiomata: I. Simonia est, vbi Axiomata. temporale pro spirituali traditur aut promittitur. II. Est atrocissimum crimen, adeoque III. Varia ratione coërcendum. IV. Sponte oblatum citra labem accipi potest.

### §. CCLXXIV.

Quum itaque Simonia sit, vbi temporale Quando committitur. pro spirituali traditur, aut promittitur, (§. CCLXXIII. 1.) intelligitur: cur 1) pretium non solum in *pecunia*, sed & 2) in *lingua* seu precibus immodicis adulationeue, & 3) in *obsequio* quaesierint: i) 4) cur ad Simoniam retulerint, si quid datum pro *officiis ecclesiasticis*, cuiuscunque demum sortis sint, aut 5) pro *actibus ministerialibus*, ad cultum diuinum spectantibus; aut 6) pro *bonis ecclesiasticis*; aut 7) pro iuribus *circa ecclesiam* alicui competentibus.

### §. CCLXXV.

Ex eodem discimus: 8) Simoniam Specialis enarratio Simoniae specierum. committi, si quid datur *pro ordinatione*: k) (P. I. §. DLVI. 3.) 9) pro *baptismo*: 10) pro *pallio*: (P. I. §. CCCXLIX. 9.) 11) *pro sepulturis*:  
(1) 4 (P. I.

g) CORVINUS *inst. iur. can. L. IV. tit. 2. §. 6.*

b) *cit. tract. meus, Sect. I. c. 6. §. 6.*

i) *cit. tract. meus, Sect. I. c. 6. §. 1. sequ.*

k) *ibid. Sect. I. c. 3.*

(P.I.§.DCCCXXIII.\*) 12) pro *poenitentia*: 13) pro *sacramentis in genere*: 14) pro *praebendis aut beneficiis*. Porro perpetrari hoc crimen, 15) si *res ecclesiasticae venales habentur*: (P.I.§.DCCCXXXVII.) aut 16) *annatae* exiguntur: (P.I.§.CMXVIII.) 17) *Simoniacas etiam fuisse inuestituras Imperatorum* per annulum & baculum: 18) idem crimen occurrere in *alienatione decimarum*: (P.I.§.DCCCXLVI.) 19) si pro *Abbatum*, aut 20) *nubentium benedictione aut dispensatione* in caussis matrimonialibus (P.I.§.DCCXLVII.\*\*\*)) aliquid exigitur: si 21) *transactio* de rebus sacris & caussis ecclesiasticis celebratur; (§.XLIII.β) aut 22) pro *ingressu religionis & monasterii*; (P.I.§.CCCCXCVII, γ.) aut 23) pro *docendi licentia* aliquid soluitur; l) aut 24) *Praelatus, vel alius clericus vices suas aliis sub annuo censu* concedit; m) aut 25) *iuri patronatus pretium* statuitur; (P.I.§.CCCCLXXX.10.sequ.) & quae sunt aliae eiusdem furfuris species.

### §. CCLXXVI.

Varia in ea  
concurrunt  
crimina.

Quumque Simonia sit atrocissimum crimen, (§.CCLXXIII.2.) facile est intellectu: 1) cur iudicio patrum multa in ea concurrant crimina, ita, vt *thesaurus criminum* adpellari queat: n) 2) cur in specie in ea occurrat

l) tract.meus, Sect. I. c. 7.

m) tit. X. ne Praelati vices suas.

n) c. 16. C. 1. qu. 1.

currat *haeresis*; o) nec non 3) *infidelitas*; p)  
4) *crimen laesae maiestatis* & 5) *sacrilegium*. q)

## §. CCLXXVII.

Quum deinde varia ratione coërceatur, (§. CCLXXIII. 3.) praetereaue instar criminis laesae maiestatis sit, (§. CCLXXVI. 4.) sequitur:  
1) vt non solum *quilibet* accusare possit, sed & 2) vt testes omnes, etiam *inhabiles*, admittantur: r) 3) vt *poenas* durissimas quidem, sed quod ecclesiasticum sit crimen, potissimum *ecclesiasticas* post se trahat, puta α) *excommunicationem*, β) *depositionem*, γ) *suspensionem*; his accedere δ) *ciuilem infamiam*, ε) *dupli dati & reddituum restitutionem*: s) 4) vt quaeuis Simoniae species praeterea *peculiaris poenae* subiaceant: t) sed 5) *mentalis* (§. CCLXXII.) priuata saltem poenitentia expietur: u) 6) vt tamen & hic *dispensatio* obtinere possit. uu)

## §. CCLXXVIII.

Quum denique sponte oblatum citra la- Quatenus  
bem accipi possit, (§. CCLXXIII. 4.) con- citra Simo-  
sequens est: 1) vt omne peccatum resideat niam ali-  
in *conuentione praecedente*: x) 2) vt proinde quid dari  
possit.

(1) §

con-

o) cit. tract. meus, *Secl* 1. c. 5. §. 4.p) Ill. BOEHMER *iur. eccl. Prot.* L.V. tit 3. §. 19.q) cit. tract. meus, *Secl* II. a. 2 §. 6. sequ.r) CORVINVS *cit. loc. tit.* 2. §. 10. tract. meus, *Secl* I. c. 8. §. 9.s) cit. tract. meus, *cit. loc.* §. 2. seqq.t) vid. tr. meus, *cit. loc.* §. 7.u) CORVINVS *cit. loc.* §. 4.

uu) tr. meus, c. l. §. 10.

x) CORVINVS c. l. §. 8.

considerari debeat: *quid, quale, a quo, pro quo, quantum, qua intentione*, temporale aliquid oblatum sit? *γ*) 3) ut tamen his aliisue *inuolucris* palliari sic dicta Simonia soleat: ita ut 4) nec per *iusiurandum*, quod hic pro coërcitione adhiberi solet, obex poni possit: 2) propterea quod 5) ipsa *curia Romana* nihil sine argenti profusione expedire soleat. *a*)

## VSVS INTER PROTESTANTES.

### §. CCLXXIX.

Generalis  
obseruatio  
de Simoniae  
crimine.

**Munerum ecclesiasticorum nundinationem a crimine, quod Simon magus commisit, plane alienum esse, iam obseruavi.** (§. CC LXXI. \*) & alibi etiam cum iureconsultis limitioris eruditionis adstruxi, *b*) & vix Protestantes, si cohaerentem iurisprudentiam tradere volunt, ab hoc principio recedere possunt: quin quod eo ipso, quod hic Simoniam adesse doceant, ipsi *Simoniaci* euadant. *c*)

### §. CCLXXX.

Vulgaris  
Protestantium  
doctrina.

Sed nec hic Protestantes a canonici iuris dogmatibus abstinent, nec saltem *Simoniae*  
*ter-*

*γ*) CORVINVS c. l. §. 9.

*z*) tract. meus. *Sect.* I. c. 6. III. BOEHMER *iur. eccl. Prot.* L. V. tit. 3. §. 30. sequ.

*a*) tract. meus, *Sect.* I. c. 2 §. 18. sequ. conf. de DOMINIS *de rep. eccl.* L. IX. c. 9. §. 34. sequ.

*b*) tr. meus *de Sim. crim. conf.* B. THOMASIVS *ad Laucl.* L. IV. tit. 3. p. 1817. sequ. AMTHOR *de crim. Sim.* §. 6. sequ.

*c*) cit. tr. meus, *Sect.* II. c. 2. §. 30.

*termino vtuntur, quod ex receptione tolerari posset; verum etiam ad argumenta iuris canonici prouocant. Dicunt vero Simoniam: Crimen publicum, quo quis sacerdotia, beneficia, Praebendas resque ecclesiasticas, temporali aliquo pretio ex quocunque contractu comparat. d)* Alii cum Pontificiis tunc adesse hoc crimen censent: *Vbi spirituale, aut spirituali adnexum emitur & venditur. e)*

## §. CCLXXXI.

Inde non possunt non inferre: 1) Simoniam committi in *nundinatione* munerum ecclesiasticorum: nec non 2) vbi illa cum *deminutione* conferuntur: f) 3) si *Praebendae* pecunia adquiruntur: g) 4) iuri *Patronatus* pretium statuitur: 5) *iurisdictio* ecclesiastica ob pretium confertur; & quae sunt alia absurda dogmata, a me iam alibi plenius profligata.

Conclusiones inde deductae.

## §. CCLXXXII.

*Crimen esse nundinationem munerum ecclesiasticorum, lubens concedo; sed aliud, quam ambitus crimen, in illa non adgnosco, quorum etiam leges collineant. \* b)*

Nostra sententia.

\* Simoniam hic adesse ex vulgari doctrina de manuum impositione Episcopali doctores credunt, & in ordinatione conferri efficaciam peragendi sacra contendunt. Sed quam grauiter

d) LAVTERBACH *ad tit. L. iul. ambitus* §. 4.

e) BRUNNEMANN *iur. eccl. L. II. c. 18. §. 5.*

f) HORN *diff. vt benef. eccl. sine demin.*

g) COTHMANN Vol. II. *Resp* 95. *nr.* 10. CARPZOV. *iurispr. eccl. L. II. d. 312. nr. 8. sequ.*

b) L. 31. C. de *Episc. & cler. c. 4. C. 8. qu. 1.*

uiter hic impingant, alibi docui. vid. tr. meus  
Sect. II. c. 2. §. 25. seqq. (P. I. §. DL. seq.)

§. CCLXXXIII.

Confectaria  
inde dedu-  
cta.

Inde recte infero: 1) pro *ordinatione* pre-  
tium dari & accipi posse: 2) vbi a *Principe*  
*munera sacra* dato pretio conferuntur, nec  
*Simoniam*, nec *ambitum* adesse: i) pariter-  
que 3) hoc crimen exfulare, vbi cum *demi-*  
*natione* ab illo munera sacra conferuntur:  
nec 4) ambitus teneri, qui *ministro Principis*  
quid promiserunt, vt suffragio suo se adiu-  
uet apud Principem: k) §) rectius tamen fa-  
cere Principem, si plane non ad *munera*, sed  
ad *merita* candidatorum respiciat: 6) ambi-  
tus vero crimine teneri *Patronos*, illisque ali-  
quid *dantes* aut *promittentes*: l) 7) recte exi-  
gi a candidatis *iussurandum*, se ab omni am-  
bitu alienos esse.

§. CCLXXXIV.

Vltior de-  
claratio.

Porro exinde elicio, nullum vitium Si-  
moniacum adfuisse 1) in *inuestituris* Princi-  
pum, nec 2) in *annatis*, nec 3) in pretio pro  
*Pallio* soluto: 4) extra omne vitium esse,  
vbi pro *actibus ministerialibus* honorarium  
soluitur; (P. I. §. CCCCLXVI. seq.) aut §)  
pro *bonis & rebus ecclesiasticis* pretium statui-  
tur; aut 6) res, quae *spiritualibus adnexae*  
dicuntur, pretio mediante conceduntur: m)  
de

i) L. vn. pr. §. 1. ff. de L. iul. ambitus.

k) L. vn. C. de suffrag.

l) tract. meus, Sect. II. c. 2. §. 31. 32. 22. 34. & 33.

m) tract. meus, Sect. II. c. 2. §. 35. seqq. c. 3. 4. & 5

de reliquo 7) nundinatores munerum *poenis* quidem adficiendos, nec tamen *testes* omnes (§. CCLXXVII.) admittendos esse. n)

## TIT. III.

## DE INFIDELITATE.

## §. CCLXXXV.

**D**Ixi, inter delicta contra primam decalogi tabulam referri infidelitatem: (§. CCLXX.2.) veri enim ecclesiae subditi & ciues dicuntur *fideles*, & his opponuntur *infideles*, qui mancipiorum loco habentur, (P.I. §. CLI. \*) infideles vero sunt: *Qui prorsus a fide Christiana alieni sunt, vel quod nunquam fidem christianam amplexi fuerint, vel ab ea desierint.* Ad priores referuntur *Iudaei, Saraceni, Gentiles*; ad posteriores *Apostatae* & suo modo *Athei*. Hic de prioribus sermo est,

## §. CCLXXXVI.

Tenenda de illis axiomata: I. Infidelitas, *Axiomata.* vbi infideles non tolerantur, constituit crimen ecclesiasticum. II. Vbi tolerantur, constituti sunt in statu seruili. III. Tolerantia pertinet ad regalia.

## §. CCLXXXVII.

Quum itaque infidelitas, vbi non tolerantur infideles, crimen ecclesiasticum constituat, (§. CCLXXXVI. 1.) sciendum est: 1) *calamitates*, quas perpeffi fuerant Christiani *Quare & quousque infidelitas pro crimine reputetur?*

ab

---

n) Ibid. Sect II. c. 6.

ab infidelibus, huic odio causam dedisse, & ipsos Imperatores ad legum lationem contra infideles excitasse: o) 2) hoc modo Christianos *iniuriam* per priora secula perpessam ultos esse: p) abhinc 3) Pontificem sibi *dominium in terras infidelium* arrogasse, & 4) doctrinam inualuisse, quod *arma* contra quoscunque infideles sumi possent: 5) omnia itaque, quae olim ab infidelibus contra Christianos statuta fuerunt, nunc *contra infideles* licita esse: q) & hinc 6) omnes, qui *occulte infidelitatem* profitentur, paria cum haereticis r) *fasa* sustinere: saltem 7) *infamia* eos laborare: s) adeoque 8) nec *recipiendos*, nec *tolerandos* esse. t)

### §. CCLXXXVIII.

Status eorum, ubi tolerantur.

Quumque, ubi tolerantur, in statu seruili sint, (§. CCLXXXVI. 2.) sequitur: 1) ut infideles *statum diuersum* in republica induant, quum tamen *religio per se* statum civilem alterare non soleat: 2) ut Christianis *subiaceant* infideles, & ab eis pro sola *humanitate* foveantur: u) 3) ut proinde nullo *famulatio* christi-

o) GOTHOFREDVS *Paratitl ad tit. C Theod. de Iudaeis.*

p) CLERC *bibl. choif.* T. VIII. p. 276.

q) CONF. III. BOEHMER *iur. eccl. Prot.* L. V. t. 6.

s. 2. *sequ.*

r) *vid. tit. sequ.*

s) FERMOINVS ad tit. X. *de Iud. qu. 1. ad rubr. nr. 1. sequ.*

t) VOETIVS *disp.* P. II. p. 113. *sequ.*

u) C. 11. X. *de Iudaeis.*



christiano vti possint, x) 4) vt si vel maxime a priuata seruitute liberi forent, publicam tamen effugere nequeant: y) 5) vt immobilia regulariter possidere nequeant: z) 6) vt tamen, vbi talia possident, ad onera realia, licet sint parochialia, teneantur: a) 7) vt nec pro lubitu synagogas aut Meschitas extruere possint: b) 8) vt de reliquo in caussis ciuilibus eodem iure vtantur cum Christianis, nisi ratio diuersitatis ostendi possit: c) (P. I. §. XLIII. 13.) adeoque 9) matrimonia cum infideli non contrahant: d) 10) nec medicinam Christianis praebere; e) aut 11) tutores eorum esse; f) aut 12) cessiones nominum accipere queant: g) 13) vt, quae ad bellum instruendum pertinent, nec illis vendi, b) nec 14) foedera cum eis pangi possint: i) 15) vt nec testimonium contra Christianum perhibere; (§. CLX. 7) nec 16) ad dignitates aspirare possint; k) & quae sunt alia.

## §. CG.

- x) c. 13. X. eod.  
 y) LATHERVS de censu L. III. c. 23. nr. 47. seqq.  
 z) vid. STAMM de seruit. perf. L. I. c. 1. §. 22.  
 a) III. BOEHMER iur. paroch. Sect. III. c. 2. §. 16.  
 b) c. 3. & 7. X. de iud. Clement. vn. eod.  
 c) III. BOEHMER iur. eccl. Prot. L. V. tit. 6. §. 57. seqq.  
 d) L. 6. C. de iud.  
 e) c. 13. C. 18. qu. 1.  
 f) SCHILTER Ex. XXXVII. §. 19. seqq.  
 g) Rec. Imp. de anno 1551. §. 89.  
 h) c. 6. 11. & 12. X. de iud.  
 i) 10. HEINR. POTT de foeder. fidel. cum infidel.  
 k) c. 16. & 18. X. de iud.

## §. CCLXXXIX.

Penes quem  
fit ius, tole-  
rantiam  
concedendi.

Quum denique tolerantia infidelium ad regalia pertineat, (§. CCLXXXVI. 3.) sciendum est: 1) hoc ideo factum esse, quod olim crederent, Iudaeos plane *non tolerari posse*, & si tolerarentur, hoc ipsum ex mera *gratia & dispensatione* provenire: l) 2) inde etiam olim *Caesares* sibi ius peculiare in Iudaeos vindicasse, eosque sibi *immediate* subiici constituisse: m) 3) inde inualuisse doctrinam, Status Imperii sibi iurisdictionem in Iudaeos non aliter vindicare posse, quam *priuilegio caesareo*: n) 4) demum vero *superioritati territoriali* immo *obseruantiae* ius hoc adscriptum fuisse: 5) *ecclesiam* proinde nullum ius exercere in infideles, nisi per *indirectum*: sed 6) Papam etiam *directo* potestatem in omnes infideles exercere: o) de reliquo 7) infideles haud ligari constitutionibus ecclesiasticis, nisi illae simul *causas seculares* determinent. p)

## §. CCXC.

Vfus doctrinae inter  
Protestantes.

Iuxta Protestantium dogmata 1) infidelitas *pro crimine* reputari vix potest, adeoque 2) *tolerantia*, adhibitis tamen quibusdam cau-

l) c. 21. X. de testib.

m) Ill. LVDEWIG de aur. bull. tit. 9. §. 2. & 3.

n) conf. HERTIVS de super. territ. §. 8.

o) Ill. BOEHMER cit. loc. §. 39.

p) vid. c. 8. X. de divor. c. 6. X. de consangu. & adfin. c. 15. X. qui fil. sint legit.

cautionibus, illis denegari non solet: q) 3) illos tunc iure reliquorum *liberorum* frui, *de populo* censerī, & *iuris communis* participes esse: r) deinde 4) non iusta censemus *arma*, contra infideles vt infideles suscepta: (P. I. §. LXXXV. §.) 5) quousque *diuerso iure* vti debeant, id omne ab arbitrio Principis dependere: s) 6) illos iudiciis ecclesiasticis haud subesse: t) 7) *principi* tamen *qua tali* etiam ius circa sacra infidelium competere. (P. I. §. LXXXVI. 4. seq.)

## TIT. IV.

## DE HAERETICIS.

## §. CCXCI.

**V**idimus, ad delicta contra primam tabulam etiam *haeresin* referri: (§. CCLXX. Connexio) 3.) haeretici enim non sunt ciues in republica ecclesiastica, sed *peregrini, exsules* (P. I. §. CLI.\*) & quod maius est, omni *poena* digni, adeoque horum status curatiorem considerationem desiderat.

## §. CCXCII.

Haereseos vox & in *bonam* & in *malam* Quid haeresis? partem natua sua significatione accipitur, <sup>sis?</sup> u) plerumque tamen in *malam* partem accipi solet.

q) III. BOEHMER *diss. de caut. Iud. toler.*

r) STRYK *vs. modern. tit. de stat. hominum* §. 10.

s) III. BOEHMER *iur. eccl. Prot.* c. 1. §. 63. seq.

t) L. 8. C. *de Iudaeis.*

u) Act. XXIV. 14. XXVI. §. 1. Cor. XI. 19.

Quis haereticus ?

solet. De haeresi in sensu theologico sumta hic non sollicitus sum; sed in sensu *ciuili* & quoad *effectus ciuiles* haeresi superadditos, illa est: *Constans dissensus a religione publice approbata.* (P. I. §. XLIII. \*) Haereticus uero dicitur: *Qui uel leui argumento a iudicio catholicae religionis & tramite pertinaciter deuiat. x)*

### §. CCXCIII.

Qualitates in haeretico requisitae.

Conueniunt omnes doctores, quod haeresis in se includat *errorem*; sed catholici scriptores varias adhuc in errore qualitates desiderant, ut haeresis dici queat, puta: 1) ut error sit *intellectus*, 2) *voluntarius*, 3) contra *fidem* definitam, 4) cum *pertinacia* coniunctus; 5) ab eo, qui *baptismum suscepit*, professus. y)

### §. CCXCIV.

Diuisio.

Haeretici uel adhuc in ciuitate Romana, hoc est, *ecclesia degunt*, uel ut putrida membra censeantur; uel simul ab ea deficiunt. Illi *haeretici*, hi *schismatici* dicuntur. Deinde haeresis uel *uera* est, uel *praesumpta*. Illa est: *Vbi error contra fidem receptam scienter uolenter pertinaciter defenditur*; haec consistit: *In graui & uiolenta suspitione de errore intellectus pertinaci contra fidem.* z)

### §. CC

x) L. 2. §. 3. C. de haeret. CORVINVS instit. iur. can. Lib. IV. tit. 7. §. 1. & 2.

y) conf. 10. a ROYAS de haeret. P. I. nr. 40. CORVINVS cit. loc. §. 3.

z) MENOCHIVS de Praesumpt. L. V. Praesumpt. VI. nr. 15.

## §. CCXCV.

Schisma in genere *scissuram* denotat, adeoque hic sumitur pro *scissione ab unitate ecclesiastica facta.* \* a) Quid schisma?

\* *Vnio* inter diuersas ecclesias primis temporibus admodum erat commendata. Qui hanc scindebat, *schismaticus* dicebatur, & *communione sacrorum* excludebatur. In hac vero vnione respiciebant ad maiorem ecclesiarum, maxime *apostolicarum* partem, non ad *Romanam*. Ex quo vero Pontifex caput extulit, & primatum vniuersalem adeptus est, (P. I. § CCLXXXII. \*) schisma in eo quaesitum fuit, ubi *communione cum Papa* quis renuntiavit. (P. I. § IV. 8) conf. III. BOEHMER ad Petr. de Marca L. I. c. 1. §. 4.

## §. CCXCVI.

Inde fluunt axiomata: I. Haeresis est crimen ecclesiasticum. II. Schisma proxime ad haeresin accedit. III. Varia remedia ad extirpationem horum criminum sunt permessa. IV. Variis coërceri possunt poenis.

## §. CCXCVII.

Quum itaque haeresis sit crimen ecclesiasticum (§. CCXCVI. 1.) facile intelligis, cur de haereticis dici queat: 1) quod principaliter in *ecclesiam* & in *DEVM* ipsius fundatorem delinquant; & 2) peiores sint *Paganis & Iudaicis*. Quum deinde haeresis supponat errorem intellectus, (§. CCXCIII. 1.) vides: 3) cur sola *cogitatione* hoc crimen (K) 2 per-

a) conf. c. 34. C. 24. qu. 1.

perfici, & 4) etiam *suspectus* de haeresi criminosis accenseri possit: b) 5) cur ille *scienter errare* dicatur, qui a decretis ecclesiae in rebus fidei recedit, adeoque *voluntas*, quae in omni delicto desideratur, & hic concurrat: c) quum 6) mens scripturae per *leges* determinari possit, & ex *repudiatione* huius dogmatis haeresis aestimetur: d) nisi 7) ad nutum ecclesiae *mox desistat*, & se iudicio illius deuota mente submittat: e) requiri tamen, 8) vt talis *per baptismum* in ecclesiam semel receptus fuerit. f) (§. CCXCIII. 5.)

§. CCXCVIII.

Uterior  
declaratio.

Eiusdem criminis reos pronuntiant 1) *fautores* haeticorum, 2) eorum *receptores*, 3) concedentes illis *saluum conductum*, 4) *tolerantiam* indulgentes, 5) eos ad *honores* promouentes, 6) *defensionem* eorum suscipientes, 7) sub Principe haeretico *militer*; 8) *impedientes*, ne contra haeticos inquiretur, siue directo, siue per indirectum id fiat; g) 9) Post erroris abiurationem in haeresin recedentes, qui *relapsorum* nomine veniunt. b)

§. CC

b) IO. a ROYAS *cit. loc. nr. 133. c. 13. X. de haeret. DANDINVS de suspect. de haeref.*

c) CONF. CORVINVS c. 1. tit. 7. §. 3.

d) III. BOEHMER *iur. eccl. Prot. Lib. V. tit. 7. §. 18. sq.*

e) c. 29. C. 24. qu. 3.

f) c. 13. *de haeret. in 6.*

g) III. BOEHMER *cit. loc. §. 38.*

b) CORVINVS c. 1. §. 20.

## §. CCXCIX.

Quum deinde schisma proxime ad haeresin accedat, (§. CCXCVI. 2.) schismatici vero sint, qui scissionem ab unitate ecclesiastica, seu communione cum Papa faciunt, (§. CCXCV.) consequens est: 1) vt sint sine *gratia* Spiritus Sancti, omnique *potestate* ecclesiastica destituti: i) 2) vt *ordinationes* (P.I.§.DXLIX. 3.) & *collationes beneficiorum* ab illis factae sint irritae, k) nisi 3) is, qui dispensandi facultate gaudet, cum iis *dispensauerit*. l)

Schismatis ratio.

## §. CCC.

Quumque porro varia remedia ad extirpandam haeresin sint concessa, (§. CCXCVI. 3.) facile intelligitur: 1) cur laicis omnis *disputatio de fide* sit interdicta: m) 2) cur etiam *iureiurando* ad fidem determinatam custodiendam adstringi possint, (P.I.§.CXC.\*\*\*) & 3) illis omnis *scripturae lectio* interdicta, n) & 4) lectio & commercium aliorum *librorum*, qui *noxii* reputantur, prohibita sit: o) 5) cur Pontifex se supremum *censores librorum* omnium constituat; p) id quod tamen 6) nec Veneti, nec Galli, nec Germani illi indul.

Media contra haereticos.

(K) 3

dul.

i) c. 31. C. 24. qu. 1. c. X. de schismat.

k) c. 1. X. de schismat.

l) c. 2. X. eod.

m) c. 2. de haeret in 6.

n) DUPIN *biblioth. in proleg. c. 9. §. 4.*o) CONF. DANIEL FRANCUS in *disquis. academ. de Papist. ind. libr. prohib.*p) GRETSER *de iur. & mor. prohib. lib. mal. L. II. c. 9.*

dulgent: q) 7) cur quilibet ad *denunciandum* in caussa haereseos obligatus sit: r) 8) cur *Episcopis* per suas dioeceses inquisitio peculiari ratione incumbat: s) 9) cur extra ordinem etiam peculiare *inquisitores* constitui possint: t) 10) quilibet *magistratus* ad eiciendos, expellendos & extirpandos haereticos obligatus sit: denique 11) cur singularis *criminalis processus* contra haereticos obtineat. u)

## §. CCCI.

Poenae eorum.

Quum denique haeretici variis coërceri possint poenis, (§. CCXCVI. 4.) intelligitur: 1) cur etiam ea, quae alias sunt prohibita & legibus aduersa, immo scelus spirant, in *fauorem fidei* permissa sint, adeoque 2) *raptare*, bonis *spoliare*, *insidias* struere, *occidere* haereticos licere: x) 3) etiam *caedes Principum* haereticorum permissas esse: y) nec non 4) *percussiones* clericorum haereticorum: z) 5) *diuortia* etiam priuata auctoritate suscepta:

q) LIMBORCH *Histor. inquisit.* L. II. c. 16. PAPONIVS *corp iur. Franc.* L. I. tit. 1. art. 7. FRANCYS c. l. c. 13 § 87.

r) LIMBORCH *cit. loc.* L. IV. c. 3.

s) c. 13. X. *de haeret.*

t) c. 1. *de haeret. in 6. in 6.* LIMBORCH c. l. L. I. c. 11.

u) c. 31. C. 24. qu. 1. c. 2. 8. 11. & 20. *de haeret. in 6.* CONF. B. THOMASIVS *ad Lancel.* L. IV. c. 4. p. 1911. sq.

x) ARCYAS *de sing. fau. fid.* Sing. 3. sequ. 35. & 73.

y) vid *Parallele de la doct. des Payens avec celle des Iesuites* c. 11.

z) c. 3. X. *de sent. excomm.*





dictum esse aduocatis, eis *consilium & auxilium* praebere: l) 9) ea, quae alias *praecepta*, intuitu haereticorum *prohibita* cenferi, adeoque α) illos non solum *tolerandos* haud esse, sed & β) ne quidem *communicationem* cum illis permitti: m) 10) illa, quae alias *valida* esse possent, hic *nulla*; & quae *nulla*, in odium haereticorum *valida* fieri, adeoque α) *instrumentum* notarii haeretici destitui omni robore; n) β) *sententiam* a iudice haeretico pronuntiatam esse nullam; γ) valide *laicos* testimonium *contra clericos* dicere; o) δ) admitti testimonium *periuri*; p) & quae sunt alia portentosa dogmata.

## §. CCCIII.

Specialior  
enarratio  
poenarum.

Poenas autem speciales quod concernit, notari debet: 1) haereticorum *persecutionem* quidem iam olim obtinuisse; sed 2) *haereticidia* incognita fuisse; nihilominus 3) iam sec. IV. ob *sanguinarias suggestiones clericorum* inualuisse; q) & 4) per constitutionem Friderici II. Imperatoris haeresin inter *crimina publica rogo* coërcenda relata fuisse: r) 5) Poenae ignis accedere *confiscationem* bonorum s) aliasque, quibus & viui & mortui in propria & libero-  
rum

l) c. 11. X. de haeret.

m) c. 13. cod. c. 10. X. de purgat. can.

n) c. 13. X. de haeret.

o) ROYAS cit. loc. Singul. 178. c. 13. C. 2 qu. 7.

p) c. 8. de haeret. in 6.

q) vid. tit. C. Theod. de haeret.

r) PETR. de VINEIS in Frieder. II. epist. p. 173. seq.

s) c. 10. & 13. X. de haeret. c. 8. 14. & 19. eod. in 6.

rum persona subiiciuntur: *r*) 6) iisdem poenis etiam subiacere *suspectos de haeresi*, (§. CC XCVIII.) nisi quod quandoque *arbitrariis* saltem subiiciantur: *u*) 7) capitis supplicium etiam *anabaptistis* quandoque imminere: *x*) licet 8) ius canonicum intuitu clericorum saltem *depositionem*, &, quoad laicos, *excommunicationem* duntaxat admittat: *y*) 9) Schismaticorum intuitu easdem poenas *depositionis* & *excommunicationis* admitti, quibus tamen etiam *corporales* aequae, ut in haeresi, accedere possint. *z*)

## VSUS DOCTRINAE INTER PROTESTANTES.

### §. CCCIV.

Quaelibet ecclesia *veritatem* penes se esse constituit; altera alteri imputat errores, & quae potentior est, *monopolium* veritatis sibi attribuit, & se orthodoxiam possidere censet: *a*) vnde statim videre licet: haeresin inter *crimina* referri non posse. (P. I. §. XII.) Admitto, errantem respectu DEI non excusari a *culpa*; sed sic *crimen* committi, constanter

Haeresis  
non est crimen.

(K) 5 ter

*r*) CORVINVS *cit. loc. Lib. IV. tit. 7. §. 12 sequ.*

*u*) c. 13. X *de haeret.* ibique FERDINANDVS. CORVINVS c. 1. §. 19. sequ.

*x*) tit. C. *ne sacr. bapt. iter.* Rec. Imp. an. 1529. §. 6.

*y*) CORVINVS *cit. loc. tit. 10. §. 2.*

*z*) IDEM *ibid. tit. 8 §. 7 & 8.*

*a*) conf. egregius locus SALVIANI *Lib. V. de gubernat. DEI pag. 86. edit. Rittershusii.*

ter nego. *b*) Hinc *secessio* ab aliqua ecclesia externa, quam *schisma* dicunt, etiam a crimine vacua erit.

## §. CCCV.

Ulterior  
declaratio.

Quum enim in sensu civili haeresis sit constans dissensus a religione publice adprobata, (§. CCXCII.) constat: 1) adprobata religionem sic fieri *orthodoxam & dominantem*: hinc 2) facile contingere potest, ut in sensu civili religio *haeretica* dicatur, quae talis non est in sensu scripturae; & 3) vice versa religio in sensu scripturae *haeretica* ob adprobationem in sensu civili esse potest *orthodoxa*: sic 4) satis se prodit iniquitas, ubi id pro crimine reputari cupit, quod quis *fidei formulariae* receptae ad sensum praebere nolit.

## §. CCCVI.

Communis  
doctrina de  
poenis haereticarum.

His praefructis iudicium ferri poterit de vulgari Protestantium doctrina, quousque haeretici poenis sint adficiendi. Illa eo potissimum redit: I. *Poenam capitalem* ipse quidem LVTHERVS impugnavit; *c*) sed II. Quidam inter Reformatos *haeretici* propugnarunt. *d*) III. Auctoritate iureconsultorum, quorum praeiudiciis hodiernum nonnulli adhaerent, haeresis in classem *criminum publicorum* reiecta fuit, *poenis* quidem, non vero

*b*) B. THOMASIVS *diff. an haeresis sit crimen?*

*c*) vid. tract. *de haeret. an sint. persecu.* p. 40 sequ.

*d*) vid. MICH. de la ROCHE *memoir. litter. de la grande Bretagne* T. II. p. 190. sequ. T. IX. p. II.

vero ultimo supplicio luenda, e) nisi a) *seditionose* agerent haeretici; f) aut β) *blasphemia* haeresi sit coniuncta; g) immo & tunc *duriores poenas* admitti, si γ) haeretica doctrina *publice diffeminata* fuit, aut δ) haeretici ex *contumacia* facris orthodoxorum interesse nolint. b)

### §. CCCVII.

Verum mihi mensita sedet: I. Plures in Nostra sententia. vita civili mores, vitia, naeuos, imbecillitates tolerari debere. i) II. Hanc tolerantiam potissimum requiri, si intellectus hominum in diuersas sententias abeunt, licet vel maxime erroneae illae sint, quum intellectus plane cogi nequeat. III. Vi erga dissentientes adhibita, aequae veritatem ac errorem impugnari posse. k) IV. Dissidentes *patienter esse tolerandos*, ne vis conscientiis inferatur. l) (P. I. §. XLIII. \*\*\*)

### §. CCCVIII.

Est autem tolerantia, in genere considerata: *Adfectio & declaratio animi, ubi illa, quae nobis aduersa videntur, quod vel non possint, vel* Quid tolerantia?  
non

e) CARPZOV *Præf. crimin.* P. I. qu. 44.

f) III. WERNHER *obseru.* T. IV. *obs.* 4.

g) conf. THOMASII *annales iunct.* *Dissens Testament,* p. 141.

b) III. WERNHER *cit. loc.*

i) III. BOEHMER *de toler. relig. effect. civil.* c. 1.

k) IDEM *diff. praelim. ad Tom. II. iur. eccl.*

l) WERENFELS *de iur. magistr. in conscient.*

*non debeant prohiberi, patienter ferimus, vel pro bono publico admittere cogimur.*

§. CCCIX.

Diuisio.

Quum vero haec indulgentia vel intuitu *reipublicae*, vel respectu *singulorum* necessaria sit, inde recte dispescitur I. in *publicam* & *privatam*. Quum vero publica vel ex *legibus* fundamentilibus aut pacto publico profluat, (P.I. § XLIII, \*\*) aut ex *arbitrio superioris* potissimum descendat, (P.I. § XLIII. 10. seq.) inde II. vel *necessaria* vel *gratiosa* dici potest. Porro quum vel *omnes effectus* ciuiles producat, vel coniuncta sit cum *detrimento* quodam *iurium*, inde III. in *simplicem* & *qualificatam* diuidenda veniet.

§. CCCX.

Axiomata.

Inde notanda axiomata: I. Tolerantia simplex in statu ciuili absolute necessaria est. II. Prout illa varia est, ita & varios producit effectus ciuiles. III. Haeretificium est crimen.

§. CCCXI.

Ex iure diuino debita est tolerantia.

Ex primo intelligitur: 1) illam deberi *iure diuino*, quum 2) vera religio omnem respuat *coactionem*: (P. I. §. XV. seq.) 3) *Christum* & doctrina & exemplo hoc ipsum comprobasse: m) 4) *Apostolos* pariter idem inculcasse: n) 5) dissentientes vix turbare *pacem publicam*, sed ab illis turbas prouenire, qui  
hos

m) *Luc. IX. 55. sequ.*

n) *Rom. XV. 1. 1. Cor. IX. 22. 1. Thess. V. 14. Tit. III. 2.*

hos ferre nolunt; o) 6) aliter, quam mutua tolerantia, pacem seruari vix posse.\*

\* Pro tolerantia eruditissima ingenia pugnasse, iam monui. (P. I. §. XLIII. \*\*\*) Nominari praeterea merentur aliorum conatus, sic, quum Reformati in Gallia oppressioni expositi essent, prodit libellus, sub Tit. *Tolerance des religions*. Pro tolerantia etiam Illustris Anglus Dux BVCKINGHAM scripsit: *A short discourse upon the reasonableness of mens having a religion*. Huic addi meretur ANONYMVS in *Dial. entre Photin & Irénée, sur le dessein, de la reunion des relig.* Ex instituto docet: concilia esse media inconcinna, ad pacem ecclesiasticam conseruandam; praeterea neque poenas, neque praeterea ad conuertendos haereticos adhiberi posse. Laudem eruditi libri meretur, H. V. P. *epist. ad B. de nup. Angl. mot. in qua de diuersa a publ. relig. circa diuin. sentimentum, differit. tolerantia*. Denique commendandus labor ANONYMI, sub Tit. *Abregé de la tolerance civile*, in quo libello auctor ostendit: Magistratum nec posse, nec debere quempiam cruciatibus aut poenis adficere, propter religionem. Vnicam viam ad conuersionem haereticorum esse exemplum morum, combinatum cum doctrina pia: coactiua remedia in opprobrium euangelii vergere.

### §. CCCXII.

Ex secundo (§. CCCX. 2.) notari debet: <sup>Effecta illius.</sup> 1) tolerantiae necessariae effectum palmarium esse quidem *monopolium* religionis; (P. I. §. XLIV. 7. ibique \*) sed 2) hoc ipsum non

---

o) conf. B. BVDEVS *de conc. relig. Christ. & Stat. civ. c. 1 sequ.*

non excludere *tolerantiam* dissentientium; p) (P.I. §. XLIII. 10. seq.) dummodo 3) religioni dominanti inde nulla turbatio in suis sacris contingat: (P.I. §. XLV. 3. & 5.) 4) religioni adprobatae nullam notam *haereseos* imputari posse; sed 5) addictos illi, *aequali* cum reliquis gaudere *iure*: q) 6) Frui *pace publica*, r) nec non 7) *exercitio religionis & bonis* possessis: s) hinc 8) *exfulare omnem coactionem conscientiae*: t) potius 9) eam exigere *aequalem protectionem*: u) 10) *tolerantiam gratiosam* tantum iuris tribuere, quantum superior indulgere voluit & potuit; de reliquo vero 11) illos, qui tolerantur, regulariter *iure communi* per omnia frui.

### §. CC. CXIII.

Uterior  
declaratio.

Ad tolerantiam etiam referendum putarem, 12) ne ob indiscretum zelum, aut metum panicum, *librorum*, quae dogmata pro eruenda veritate exhibent, impressio & lectio impediatur: x) 13) ne *iusiurandum religionis* a quoquam exigatur: (P.I. §. CXC.\*\*) y) ne

p) conf. B. THOMASIVS *ad Monzamb. de Stat. Imp. Germ. c. v. §. 11. litt. r.*

q) INSTR. PAC. art. V. §. 35.

r) IDEM *ibid.* §. 1. & 14.

s) IDEM *ibid.* §. 14. 25. & 32.

t) INSTR. PAC. art. V. §. 16.

u) CONF. IO. CHRIST. MULDENER *de protect. Imper. eccles. utriusque relig. debita.*

x) CONF. CLERIC *biblioth. choif. Tom. XV. P. I. art. I.*



γ) ne 14) quos de haeresi *suspectos* faciamus, aut iura communia denegemus; sed potius 15) omnibus traditis iuris canonici nuntium mittamus.

## §. CCCXIV.

Ex tertio denique (§. CCCX. 3.) noto: 1) De haeretico. esse quidem *crimen non agnitum*, sed tamen 2) reuera hic, vbi quis *pruato ausu* haereticus declaratur, occurrere *iniuriam*, & 3) *falso* causam *fidei & religionis* hic allegari: 4) turbari sic *pacem publicam*, adeoque 5) tale facinus *seueram poenam* mereri, z)

## TIT. V.

## DE APOSTASIA.

## §. CCCXV.

**A**D delicta contra primam decalogi tabulam etiam apostasia refertur; (§. CC LXX. 4.) in peculiari vero profus sensu\* ius canonicum hac voce vtitur, & apostasian dicit: *Vbi quis a statu fidei, obedientiae vel religionis professae recedit.* a) Connexio.  
Quid apostasia?

\* Apostata proprie est *desertor*. In speciali sensu apostata primis Christianis erat: *Desertor fidei christianae semel agnitae*. Horum quidam *sacrificati*, quidam *curificati*, quidam *libellatici*, omnes vero *lapsi* dicti fuerunt.

## §. CCCXVI.

- 
- γ) III BOEHMER *iur paroch. Sect. III. c. 1 §. 47. sequ.*  
 z) CONF. B. RECHENBERG *de crim. haeretificii. Reu. DNIUS PEAFF orig. iur. eccl. p. 219. lit. f.*  
 a) G. RWINVS *institus iur. can. L. I. V. tit. 9 §. 1.*

## §. CCCXVI.

**Diuisio.** Ex ipsa hac descriptione patet, apostasian trifariam esse: *perfidiae, inobedientiae, irregularitatis*. Illam consistere in *desertione religionis Christianae*; istam, in *transgressione praeceptorum superioris*: hanc, in *defectione ab ordine adsumtae religionis*.

## §. CCCXVII.

**Axioma.** De omnibus notandum axioma: **Apostasia est crimen, qualiscunque illa sit.**

## §. CCCXVIII.

**Poenae apostatarum.**

Exinde intelligitur: 1) cur variis poenis eisque & secularibus & ecclesiasticis subiaceat: b) 2) cur in specie apostasia *perfidiae*, seu transitio ad sacra iudaica, aut aliorum infidelium, iisdem poenis, ac haeresis, subiecta sit: c) 3) cur idem de *magis*, qui cum diabolo pacta iniisse dicuntur; d) & 4) de *artheis*, qui ipsi Numini nuntium mittunt, & religionem omnem pro nihilo reputant, obtineat: 5) cur apostasia *inobedientiae* arbitrarias quidem, pro diuersa illius qualitate, sed seueriores tamen post se trahat e) 6) Cur apostasia *religionis regularis*, quam alii *irregularitatis* dicunt, & ad illam etiam *desertionem ordinis* referunt, (P. I. §. CCCLXXXVIII. seq.) non solum iisdem poenis subiaceat; sed & 7) in defe-

b) vid. tit. C. Theod. & Iustin. *de apostat.*

c) c. 1. X. *de apost.* c. 17. C. 6. qu. 1.

d) ANT. VAN DALE *de orig. & progress. idolol.*

e) CORVINVS *inst. iur. can.* L. IV. tit. 9. § 6.

defectione a *statu religionis regularis* perpetua carceris mancipatio; *f*) & 8) in *ordinis defectione* eadem fere poenae, quae haereticis imminet, obtinere queant: sed 9) corollarii loco notandum, haec tunc demum obtinere, si nulla *dispensatio* Pontificis accesserit, qua accedente posteriores hae apostasiae extra crimen esse solent.

### §. CCCXIX.

Apostasian, quam perfidiae dicunt, *peccatum* quidem, non vero *crimen* esse, cum antiquitate credi debet. *g*) Hoc posito, recte inferitur: 1) illum, qui ad *sacra infidelium* transit, pro criminoso reputandum haut esse: (§.CCXC.1. §.CCCVII.2.) nec 2) in *magia*, dummodo vere existat, crimen ultimo supplicio luendum occurrere: *b*) nec 3) *atheos* mortis poena esse adficiendos, *i*) licet illis, ut e *republica exeant*, iniungi possit: *k*) 4) *inobedientiae apostasian*, quidem peccatum, non vero semper crimen inuoluere: 5) *defectionem ordinis seu ministerii ecclesiastici*, esse actionem licitam, i. e. *impunem*: *l*) (P.I. §.CCCLXXXII.\*) proindeque 6) *apostasian studio-*

Vfus inter  
Protestan-  
tes.

*f*) CORVINVS *cit loc. § 8.*

*g*) CONF. TITIVS *iur priu. L. IX. c. 15. § 30 sequ.*

*b*) THOMASIVS *de crim magiae.*

*i*) *vid. Entretiens des diuerses Sujets pag. 247. seqq.*

*k*) CONF. FABRICIVS *de verit. relig. Christ. pag. 376. sequ.*

*l*) THOMASIVS *de desert. ordin. eccl. §. 19 sequ.*

*studiorum* pertinere inter anilia figmenta.  
(P.I.§.CXCIX.)

## TIT. VI.

DE VARIIS DELICTIS, POENIS EC-  
CLESIASTICIS LVENDIS.

## §. CCCXX.

**C**onnectio. **Q**um delicta iuxta decalogum hoc iure  
distribuantur, (CCLXVI. l. I. I.) omnia  
vero ad censuram Episcopi pertineant, (§.  
CCLXVII. l. I. seq.) huc vsque autem de deli-  
ctis, contra primam decalogi tabulam com-  
missis, actum sit, nunc de illis, quae contra  
secundam committuntur, strictim agendum  
erit.

## §. CCCXXI.

De parricid-  
idio.

Expositione  
infantum.

Homici-  
dio.

Sic I. *Parricidium* seu internecionem pro-  
ximorum consanguineorum varia poeniten-  
tia multati sunt, prout vel liberi *parentes*,  
vel parentes *liberos*, vel consanguinei *consan-*  
*guineos* occiderunt. m) II. *Expositionem in-*  
*fantum* pro homicidio reputatam fuisse. n)  
III. *Homicidium* vero, seu violentam vitae ho-  
minis ademptionem, contra ius factam, prout  
*homicidium* α) vel *voluntarium*, seu ex pro-  
posito & dolo commissum; vel β) *non vo-*  
*luntarium*, seu culpa, aut casu, aut a doli non  
capaci perpetratum fuerit, varie quidem pu-  
nitum; sed & γ) rationem personarum tam  
occi.

m) conf. c. 15. C. 33 qu. 2. tit. X. de his, qui fil. occid.  
n) c. vn. X. de infant. & langu.

*occidentium*, quam *occisarum* habitam; ast *d)* *necessarium* seu ad necessariam corporis defensionem susceptum extra omnem poenam fuisse. *e)* IV. Delictis etiam adnumerata fuisse *torneamenta*, seu congregaciones, quae ad ostentationem virium factae, quum per illa ad homicidia perueniri soleat. Sic, vbi quis in tali ludo occisus esset, pro *homicidio voluntario* eatenus reputabatur, vt occidens aequae ac occisus poenam sustineret ecclesiasticam. (P I. § DCCCXXV. *e*) *p)* V. Eadem obtinuisse in *duellis*, seu pugnis, ad eruendam veritatem adhibitis, quae in clericis potissimum punita fuerunt, quod ex duellis succedant homicidia. *q)* Quum caedes quouis modo impedire voluerint canones, etiam VI. Arma *sagittarum* & *balistarum* in bello contra Christianos, si *bellum iniustum* foret, prohibuerunt. *r)*

Torneamentis.

Duellis.

Sagittariis.

## §. CCCXXII.

Porro VII. *Adulteria* seu commixtionēs cum coniugato, vel coniugata, dolo factas, poena ecclesiastica luenda reputarunt, maxime si *clerici* huius criminis rei fierent. *s)* VIII. Quum deinde omnem concubitum extra iustas nuptias illicitum reputarent, maiori poena in *stuprum* seu coitum, cum virgine aut vidua

De adulterio.

Stupro.

(L) 2

vidua

*o)* tit. X. de homicid. CORVINVS cit. loc. tit. 13.

*p)* tit. X. de torneam.

*q)* tit. X. de cler. pugnant. in duell.

*r)* tit. X. de sagittar.

*s)* tit. X. de adulter. c. 10. D. 41.

- vidua honeste viuente factum, animaduertendum esse constituerunt; *t*) seueriorem vero adhuc decreverunt in stupro, cum *sacra virgine* (P. I. §. DXVI. 6.) aut *filia spiritali* (P. I. §. DCCXXXIX. 8) commisso. *u*) Non lenior erat disciplina IX. in *incestu* seu commixtione corporum cum consanguineis aut adfinibus, quibuscum nuptiae interdictae; (P. I. §. DCCXXVI. seq.) nec delicto coitum caruisse, si nuptias celebratas sequutus fuerit: (P. I. §. DCCXXXIII. *a*) *x*) X. *Raptum* seu abductionem violentam puellarum, potissimum vero virginum sacratarum DEO: *y*) XI. *Fornicationem* seu commixtionem corporis cum femina meretrice, quaestum corporis faciente; immo *suspicionem in clerico*, si admonitus a conuersatione non abstinuerit; *z*) & XII. *Luxuriam contra naturam*, cuius indolem ignorare quam scire praestat, modo determinatis, modo arbitrariis poenitentiis subiacuisset. *a*)

## §. CCCXXIII.

- De furto.* Censuram porro extendebant XIII. ad *furta* seu contrectationes rerum alienarum, inuito domino lucrificandi causa factarum; sed huc varia retulerunt, quantum ad poeniten-

*t*) c. 1. & 2. X. de adulter.

*u*) CORVINVS cit. loc. tit. 18. §. 4. & 5.

*x*) IDEM *ibid.* tit. 19.

*y*) IDEM *ibid.* tit. 20.

*z*) IDEM *ibid.* tit. 21.

*a*) IDEM *ibid.* tit. 22.

tentiam iniungendam, quae ius civile ignoravit. *b)* Seueriores adhuc fuerunt in furto improbiore, puta XIV. *Rapina*, seu fraudulosa rei alienae ablatione, quam rursus in *simplicem & qualificatam* distribuerunt, *c)* atque XV. ad posteriorem raptum ex *incendio* aut *nausfragio* factum, & XVI. Violationem sacri, seu *sacrilegium* retulerunt. Hoc crimen committi non solum putant ubi res sacra de loco sacro; vel non sacra de loco sacro; vel sacra de non sacro aufertur: sed & alia ratione tam in rebus, quam personis, illud perpetrari posse censent, adeo, ut nullum crimen tantum ambitum habeat, quam sacrilegium, *d)* XVII. Quum ad finitatem cum furto & rapina habere *vsuras*, seu fructus sortis civiles siue incrementa, quae forti pro eius vsu accedunt, sibi persuaderent, non poterant non grauioribus poenis vsurarum exactores submittere; immo haereticis illos addere, qui docerent, non esse peccatum, vsuras accipere. *e)*

Rapina.

Maxime ex  
incend. &  
nausfrag.  
sacrilegio.

Vsuris.

## §. CCCXXIV.

Nec defuere sanctionibus poenalibus *De Falsis* XVIII. ratione *criminis falsi*, seu dolosae veritatis immutationis siue illa committatur circa *res*, siue circa *personas*. *f)* Dehinc  
(L) 3 quum

*b)* tit. X. de furt.*c)* CORVINUS cit. loc. tit. 25.*d)* CORVINUS cit. loc. tit. 26. DN. I. S. F. BOEHMER  
de var sacril spec. ex ment. inr. can.*e)* tit. X. de vsur. CORVINUS c. 1. tit. 27.*f)* tit. X. de falsis CORVINUS cit loc tit. 28.

Sortile-  
giis.

quum XIX. *Sortilegiis* seu diuinationibus per fortes, aut alias res factis, *falsitatis* speciem attribuerint, immo, quod magis est, ad *magiam* quandoque accedere putarint; inde modo ad haeresin sortilegia accedere, & iisdem poenis subiaceret: (§. CCCIII.) modo utpote aliena ab haeresi, mitiori coercenda esse, docuerunt. g) Denique cum XX. etiam illos ad classem falsariorum reiciant, qui falsa crimina scienter alicui obiciunt, & calumniatores agunt: b) & XXI. qui occulta quadam conuentione simulant, ac si inter se iudicio contenderent, quale quid *collusionis* nomine venit; facile est coniectu etiam haec delicta poenis ecclesiasticis digna reputata fuisse. i)

De calu-  
mniatori-  
bus.

Collusione.

### §. CCCXXV.

Generalis  
obseruatio  
de aliis cri-  
minibus?

Sed hic non subsistunt hierarchiae promotores, verum etiam infinita alia crimina fingunt, & non solum propterea foro ecclesiastico ius cognoscendi circa ea tribuunt, quod poenitentia delinquentibus imponi possit; sed ut alias insuper poenas sustinere debeant. Non vacat dare catalogum horum criminum, quod etiam iam alii praestiterunt. k) Saltem ut aliquali ratione de ambitu horum delictorum constet, exempli gratia quae-

g) CORVINUS *cit. loc. tit. 29* CIRONIVS *Paratit. X* p. 413.

b) CORVINUS *cit. loc. tit. 30.*

i) tit. X. *de colluf. deteg. ibique CIRON in parat.*

k) III. BOEHMER *in v. eccl. Prot. L. V. tit. 1. §. 66.*



quaedam in antecedentibus iam memorata adferam. Sic inter delicta refertur XXII. Denegatio *armatarum*: (P.I. §. CMXVIII.) XXIII. *Venditio armorum* infidelibus facta, aut *foederum pactio* cum iis celebrata: (§. CC LXXXVIII. 13. & 14.) XXIV. Lectio *librorum* prohibitorum: (§. CCC. 4.) XXV. Violatio *priuilegiorum clericalium*: (P.I. §. DLXXXVII. seq.) XXVI. Violatio *immunitatis* ecclesiarum; (P.I. §. DCCXCII.) & XXVII. in specie iuris asyli: (P.I. §. DCCXCIII. 6.) XXVIII. Violationem *ieuniorum*: (P.I. §. DCCVII. seq.) XXIX. *Adpellationem* a Pontifice ad concilium: (§. CCXXIII. 8. γ) XXX. *Translationem* *resignationem*ue illicitam; (P.I. §. CCC LXV. seq. & CCCLXXX. seq.) vt alia taceam, quae modo ecclesiastici, modo mixti fori reputantur.

### §. CCCXXVI.

Sed ita crude non philosophantur Protestantes, licet non vndiquaque hic a faecibus purgata sit iurisprudencia. Nam licet crimina seu delicta suas habeant poenas, a competente iudice infligendas; tamen quaedam delicta praeterea poenis ecclesiasticis seu censuris subiicienda esse, communis schola putat. Quae hinc monenda sint, iam quaedam occupauimus, (P.I. §. DLXXXIX.) & quaedam infra monenda erunt. l)

Vfus inter  
Protestan-  
tes.

(L) 4

TIT.

l) vid. *infra*. tit. de poenitent.

## TIT. VII.

## DE QVIBVSDAM DELICTIS CLERICIS PROPRIIS.

## §. CCCXXVII.

Connexio.

**Q**Uum canones adeo rigorosi sint delictorum censores, non potuere non intuitu clericorum multa delictis adnumerare, quae in reliquis personis vel *extra* omnem *rectum* sunt, vel *non in aequali*, propterea quod clerici etiam ad *honestatem externam* seruandam obstricti sint; (P. I. §. DLIX. seq.) sic ad ea ducimur, quae in *clericis* potissimum *delictum* constituunt.

## §. CCCXXVIII.

Clericis interdicitur venatio.

Sic in clericis atrox delictum singulari poena luendum est: I. *Venatio*, puta. *saluosa*, si non debito tempore, aut non a persona, cui illa est permessa, exerceatur: *m)*

Percussio.

II. *Percussio*, scilicet *corporalis*, cum vel non subditum flagris caedit, vel in subditum

Maledictio.

crudeliter animaduertit: *n)* III. *Maledictum*, vbi vel alteri quid mali inesse ait, quod non est; vel negat, inesse bonum,

Administratio, vbi prohibiti sunt.

quod tamen inest: *o)* IV. Si clericus, vbi vel *excommunicatus*, vel *interdictus* est, *p)* administrat: *q)* V. Si clericis *ministerium ordinis*,

*m)* tit. X. de cler. venat. ZIEGLER de Episc. L. IV. c. 19.

*n)* tit. X. de cler. percuss.

*o)* tit. X. de maledic.

*p)* vid. infr. tit. de excom. interd. & depos.

*q)* tit. X. de cler. excommuni.

*diris*, quem non consequurus est, exsequitur: (P. I. §. CLXV. seq. §. CC. seq. §. CCX seq. §. CCXVII. sequ. §. CCXXX. sequ. §. CCG XXXVII. sequ. & §. DXLII r) VI Si clericus non gradatim, sed per saltum est promotus: (P. I. §. CLXXIV.) VII. Si ordinem furtive suscepit: (P. I. §. DL. 11.) s) VIII. Si clericus excedat. t)

## §. CCCXXIX.

Sed omifere canonica iura alia delicta, clericis admodum familiaria, quorsum referri posset: I. Ipse *Papatus*, non solum quatenus in imperio exorbitanti Pontificis consistit, sed & quatenus clerus imperium contra Christi Praeceptum exercet. II. *Imperium in conscientias*, quippe quod ad reseruatam diuinae maiestatis spectat. u) III. *Praedicationis crucis sanguinaria*, contra omnes, quos sibi inimicos pronuntiant. x) IV. *Haereticum*; (§. CCCXIV.) quibus multa alia non agnita a Pontificiis, nec a nostratibus vndiquaque aliena addi possent.

## §. CCCXXX.

Si Protestantium doctrinam respiciam, *Vfus inter Protestantes.* (§. CCCXXVIII. 1.) non quidem delictum in clerico constituit, interim tamen

(L) § cum

r) tit. X. de cler. non ordinat.

s) tit. X. de cler. per salt. promot. &amp; tit. X. de eo, qui furtive ordines.

t) tit. X. de excess. Praelat.

u) BODINVS dissert. de reseruat. diuin. maiest.

x) BVDDEVS de expedit. cruciat. FLEURY h'stoire de l'eglise Tom. XVIII. disc. prelim.

cum officii ratione & morum grauitate admodum pugnat: (P. I. §. DLXIII. 7.) *percussio & maledictio*, (§. CCCXXVIII. 2. & 3.) sicuti a nemine impune fiunt, ita multo magis in clerico seuerè animaduertenda erunt: arbitraria etiam poena coërceri posse clericum administrare *prohibitum* aut *remotum*, (§. CCCXXVIII. 4.) nemo in dubium vocabit: y) quid de *non ordinati ministerio* (§. CCCXXVIII. 5.) sentiendum sit, alibi iam adnotauit: (P. I. §. CLXXXIV. seq. & §. DLII. sq.) doctrinam de promotione *per factum* (§. CCCXXVIII. 6.) iam supra exhibui: (P. I. §. CXCI.) *furtivae ordinationis* (§. CCCXXVIII. 7.) in nostris ecclesiis casus dari vix potest. Denique etiam in nostris ecclesiis obtinet, vt, quae committendo aut omittendo in officio aut vita ciuili clerici peccata committunt, vel contra honestatem & decorum impingunt, *excessuum* nomine (§. CCCXXVIII. 8.) veniant. Sed optandum, vt seuerior hic disciplina obtineret.

## TIT. VIII.

QVIBVS MODIS DE CRIMINE  
AGATVR.

## §. CCCXXXI.

Connexio.

QVum Episcopi olim quaeuis delicta ad suam censuram vocauerint, \* vt poenitentiam imponerent, (§. CCLXVII. 1.)  
nulla

---

y) vid. infr. tit. de suspens. & remot.

nulla vero poena, ipsa recta ratione iubente, infligi queat, nisi probatum fuerit delictum, ad modos, de criminibus agendi, ordo nos ducit.

- \* Nulla contentio inter fora secularia & Episcopalia cognita fuit, quousque Episcopi solis poenitentiis delicta expiarent, nec censuris ecclesiasticis, censuras civiles superadderent. Sed quum sec. XII. tribunalia sua ad formam civilem componerent, (P. I. §. CCCCXL. \*) duplexque forum, *internum* & *externum*, (§. CCLXVII. 6.) efformarent; inde ortae contentiones inter fora secularia & ecclesiastica; & inde tandem *diuisiones criminum* inualuerunt, & tot crimina noua ecclesiastica fabricata fuerunt. (§. CCCXXV.)

§. CCCXXXII.

Varii iuxta canonica iura modi adsunt, in iudicium deducendi crimina, puta, I. *Accusatio*: II. *Inquisitio*: III. *Denuntiatio*. 2) Ita *directe* de delicto agitur. His modis accedit alius, vbi per *indirectum* causa in accusationis speciem degenerat, vbi scilicet IV. per *exceptiones* crimen obicitur. 3)

Modi agendi de crimine.  
nc.

§. CCCXXXIII.

Est vero *accusatio*: *Delatio delicti & personae delinquentis apud iudicem, publicae vindictae & poenae causa facta.* \*

Quid accusatio.

- \* Olim sicuti in civilibus iudiciis, ita & in ecclesiasticis foris accusatorius saltem vsitatus fuit processus, nec sine accusatore contra quempiam procedebant, nisi delicta essent *notoria, publica, manifesta* c. 9. C. 3. q. 3. c. 5. seq. C. 3. q. 9.

1<sup>or</sup>.

2) c. 24. X. de accus. c. 31. X. de Simon.

3) c. 16. X. de accus.

*Formam* etiam desiderabant in accusatione, c. 7. seq. C. 2. q. 1. *probationem* iustam criminis. c. 13. & 25. c. 2. q. 1. & sic alienum erat a praxi, vt iudex *accusatoris munere* fungeretur.

§. CCCXXXIV.

Axiomata. Inde fluunt axiomata: I. Accusatio desiderat iudicem competentem: II. Idoneum accusatorem: III. Personas delicti capaces, & quae accusari non prohibentur. IV. Requirit illa formam debitam: V. Legitimam probationem: VI. Producit varios effectus.

§. CCCXXXV.

Quis iudex  
accusatio-  
nis?

Quum itaque accusatio desideret iudicem competentem, (§. CCCXXXIV. I.) consequens est: 1) vt alius sit, vbi clericus, alius, vbi laicus accusatur: \* 2) vt clerico accusato, iudex competens sit *ecclesiasticus*, siue *ordinarius*, siue alius, cui vel *privilegio*, vel *consuetudine*, data iurisdictio & cognoscendi potestas: b) 3) vt clericus tunc demum seculari iudicio subfit, si *degradatus* & curiae seculari traditus fuerit: c) (§. CCC LXXXVI. 4. 5.) 4) vt in delictis laicorum cognoscat iudex laicus, nisi a) delictum sit *mere ecclesiasticum* (§. CCLXXI. CCLXXXV. CCXCI. & CCCXV. aut β) simul *poena ecclesiastica* expiandum. (§. CCCXX. 1. q.)

\* Olim etiam *laici* coram Episcopo accusari poterant, ceu iam aliquoties obseruavi. Sed introductis tribunalibus (§. CCCXXXI. \*) tandem transegerunt cum secularibus iudiciis, & quae.

b) c. 1. sequi C. 11. q. 1. c. 13. X. *de for. comp.*

c) *vid. infra tit. de remot.*

quaedam crimina *secularia*, quaedam *ecclesiastica*, quaedam *mixta* dixerunt. Quoad Episcopos, iudices erant *synodi* prouinciales, quorum tamen causas Pontifex sub praetextu, quod *maiores* essent, ad se reuocauit, pro cuius iure calamum strinxit CHRIST. LVPVS *de adpell.* Synodorum vero causam egerunt PET. DE MARCA *de C. 5. & I. Lib. VII. c. 1. seq.* BOILEAV *de antiqu. & maior. Episc. caus.*

§. CCCXXXVI.

Quum deinde accusatio idoneum desideret accusatorem, (§. CCCXXXIV. 2.) consequens est: 1) ut ante omnia inquirendum sit, cuius *conditionis, fidei, integritatis* esset? d) 2) hac discussione *existimationis* tunc imprimis opus esse, si *maiores*, si *Episcopi*, si *clerici* in ius vocandi: e) 3) ut in specie *laici clericos* accusare prohibiti fuerint: f) 4) ut nec *clerici laicos* in criminali causa accusare poterint: g) 5) ut porro ab accusatione *iniuriam*, h) 6) *criminibus* inquinati, quorum vita acutabilis est, i) 7) *infames*, k) remouendi sint: denique 8) ut & illi, quos *ius civile* arcet, admitti nequeant. l)

Qualitates  
accusatoris.

§. CCC

- d) c. 17. C. 2. qu. 7. c. 6. C. 3. qu. 5.  
 e) c. 49. & 52. C. 2. qu. 7.  
 f) c. 14. X. *de testib.*  
 g) c. 6. C. 2. qu. 7. C. 2. *de homic.* in 6.  
 h) c. 3. X. *de accus.*  
 i) c. 22. C. 2. qu. 7. add. c. 18. eod.  
 k) c. 1. seq. C. 3. qu. 4.  
 l) c. 6. seq. C. 3. qu. 5.

## §. CCCXXXVII.

Qui accusari  
possint?

Quumque accusari possint personae delicti capaces, & quae accusari non prohibentur. (§. CCCXXXIV. 3.) facile intelligitur: 1) ut dies dici nequeat *furiosis, mente captis, infantibus, infantiae propioribus, mortuis*, quas personas iam iura ciuilia exemerunt: m) 2) ut illi quidem tantum accusari possint, qui sunt *subditorum* numero, adeoque 3) *principes* a subditis in seculari iudicio accusari nequeant: 4) ut tamen, quum omnes ecclesiasticae potestati subiecti sint, (P. I. §. VII. 2.) etiam *principes* qualescunque, iuxta iuris canonici & Doctorem tradita, in foro ecclesiastico accusari possint: n) 5) ut, quum concilia vniuersalia, seu *oecumenica*, (§. III. 16. add. P. I. §. LXXIV. 2.) repraesentent totam ecclesiam, ipse *Pontifex* in illis ex multorum sententia, quam etiam experientia probat, accusari queat: o) 6) ut itaque, dummodo aetas sit doli capax, *omnibus* cuiuscunque sint sexus & conditionis, modo a) *ipsi crimen commiserint*; aut b) *fieri mandauerint*; aut c) *ad illud quem coegerint*; aut d) *consenserint*; aut e) *non impediuerint*, dies, quo se sistant iudicio, praestitui possit. p)

## §. CCC

m) Excell. HEINECCIUS ff. P. VII. §. 162.

n) c. 13. X. de iud. ibique PANORMITANUS & FELINUS.

o) III. BOEHMER *iur. eccl. Protest.* L. V. tit. 1. §. 61.

p) CORVINUS *instit. iur. can.* L. IV. tit. 40. §. 12.



§. CCCXXXVIII.

Quumque porro accusatio requirat de-  
bitam formam: (§. CCCXXXIV. 4.) facile  
intelligitur: 1) cur *praesens* esse debeat ac-  
cusator, & 2) *vinculo talionis*, si crimen haut  
probauerit, se obstringere in scriptis debeat:  
q) 3) cur propterea nullus admissus fuerit  
*procurator*, (§. LXVI. 4. 5.) nec ex parte rei,  
nisi α) *caussa* ita comparata, vt *pecuniaria*  
*poena delictum* lui possit; aut β) *tantum*  
*absentia rei* defendatur; r) aut γ) per mo-  
dum *exceptionis* crimen obiiciatur: s) 4) cur  
etiam iure Germanico antiquo *praesentia*  
*partium* in criminalibus desiderata fuerit, ad-  
hibitis tantum aduocatis: t) cur tamen, 5)  
vbi *in scriptis* processum peragere incepe-  
runt, etiam *procuratores* admiserint: u) 6) cur  
accusatio regulariter in *loco delicti* commissi  
instituenda nisi 7) reus alibi *deprehendatur*. x)  
Quum autem hodie inscriptio cesset, & per  
scripturam in accusatorio processu proce-  
datur, vides: 8) cur per *procuratorem* accu-  
sari possit; & cur 9) nihil absurdi contineat  
assertio, *reum* per procuratorem *causam* de-  
ducere

Indoles  
processus  
accusatorii.

- q) CORVINVS cit. l. 5. 17. seq.  
r) conf. FARINACIVS *quaest.* 99.  
s) C. 16. X. *de accusat.*  
t) *Ius Sax. prou.* L. I. *artic.* 60. seq.  
u) THOMASIVS *de orig. nat. progr. & inter Ind.*  
*Westph.* 6. 43.  
x) C. 1. X. *de rapt.* C. 1. X. *de for. comp.* ZIEGLER  
*dissert. de for. comp. delinq.*

ducere posse. Denique facile intelligitur: 10) & hic desiderari *libellum* litisque contestationem. y) (§.LXVIII.seq.& §.LXXVII.fq.)

### §. CCCXXXIX.

Ratio probationis.

Quum autem ulterius accusatio exigit legitimam probationem, (§. CCCXXXIV. 5.) consequitur: 1) ut *clara & perspicua* adesse debeat probatio: (§.CXLIX.2.) 2) ut probatio fieri debeat per *testes fide dignos*, ad minimum per *duos* aut *tres*: (conf. §.CLX. & CLXV.) 2) 3) ut etiam *instrumentis* (§. CLXVI.) criminis probatio quandoque fieri possit: a) 4) ut etiam *indubitata indicia* seu *praesumptiones* (§. CLIV. seq.) sibi quodammodo hic locum vindicent: b) licet 5) hanc adfertionem aegre praxis admittat. c)

### §. CCCXL.

Effecta accusationis.

Quum denique accusatio varios producat effectus, (§. CCCXXXIV. 6.) notari debet, huc referri: 1) ut accusatis *recriminandi* potestas sit adempta, nisi de *graviori* fiat crimine: (conf. §. CIII.) d) 2) ut interim promoueri nequeat ad *dignitates*, maxime ecclesiasticas: e) 3) ut pendente accusatione  
ab

y) c. pen. X. de purg. Can.

z) c. 1. C. 2. qu. 4.

a) ANT. MATTHAEI de crim. ad Lib. 48. tit. 15. c. 5.

b) IDEM *ibid.* C. 6.

c) *constit. Crim. Art. 22. 67. & 69.*

d) c. 1. 2. & 4. C. 3. qu. 11.

e) c. 4. X. de accus.

ab officio *suspendendus* sit: *f*) (§. CCCLXXVII.)  
 4) vt legitime conuicto reo *sententia* ferenda,  
 & *exsequutioni* mandanda sit. *g*) ( sed §. CC  
 XVI. *h*)

§. CCCXLI.

Quum vero de criminibus etiam agatur <sup>Quid inquisi-</sup>  
 per modum inquisitionis, denunciationis <sup>tionis</sup>  
 & exceptionis, (§. CCCXXXII. 2. seq.) *in-*  
*quisitio* vero hodie adminicula ex *denuncia-*  
*tionibus* & *exceptionibus* capiat, de his con-  
 iunctiue agam. Est autem inquisitio: *Mo-*  
*odus, contra criminosos ea ratione procedendi, vt*  
*iudex ex officio disquirat, an aliquis deliquerit,*  
*Et quis delictum commiserit. \* b)*

\* Abhorret hic procedendi modus a rationibus  
 iuris Romani. THOMASIVS de orig. pro-  
 cess. inquis. §. 38. seq. Sic nec olim in foro  
 ecclesiastico *in occulta* inquirebatur, multo  
 minus plebentur homines, nisi delicta fue-  
 rint per *accusationem* probata, aut *confessio-*  
*ne* manifestata, aut *notoria*. Innocentius III.  
 vero, Iureconsultus audax, hunc nouum pro-  
 cedendi modum introduxit. Voluit quidem,  
 eum esse *subsidiarium*, sed mox ad delicta *oc-*  
*culta*, postquam illa *denunciata* fuerint, tra-  
 hebatur. Vid. c. r. *de censib* in 6. Inde hic  
 modus adeo se iudiciis insinuauit, vt etiam  
 neglecta Innocentii regula, *si de corpore de-*  
*licti* constet, sine *infamatione* & *denunc* *atione*  
 in auctorem criminis inquiratur. Immo vix  
*alium processum ordinarium* iudicia agno-  
 scunt, quum raro aut nunquam accusatorius  
 appareat.

(M)

§ CCC

*f*) c. 2. X. *de purg. can.*

*g*) L 18. C. *de poen.*

*h*) conf. c. 24. X. *de accusat.*

## §. CCCXLII.

Diuisio.

Diuiditur illa *in generalem*, vbi in *corpus delicti*, & *an reuera* illud *admissum* sit, immo quandoque *quis* probabiliter illud *perpetrauit*; & *in specialem*, vbi in eum, qui in priori ista ac generali inquisitione *indiciis oneratus* videtur, inquiritur.

## §. CCCXLIII.

Axiomata.

Tenenda axiomata: I. Inquisitio peragitur a personis qualificatis. II. Adesse debent fundamenta legitima. III. Obseruanda forma praescripta. IV. Producit varios effectus.

## §. CCCXLIV.

Quis inquirere possit?

Quum itaque inquisitio peragatur a personis qualificatis, (§. CCCXLIII. 1.) notari debet, tales esse: 1) *Praelatos* omnes, in sua dioecesi aut prouincia: 2) *Principes*, merum imperium habentes: 3) omnes, quibus *cognitio* causarum *criminalium* est commissa. i)

## §. CCCXLV.

Requisita ad instituentem inquisitionem,

Quumque adesse debeant fundamenta legitima, (§. CCCXLIII. 2.) sequitur: 1) vt crimen *atrox* & *grauē* desideretur: k) 2) vt quidem generale fundamentum hodie constituat in *suspensione* de crimine commisso; l) sed vt, 3) quia *suspicio* fundata ex variis causis nasci potest, huc referri debeat: α) *clamor*

i) conf. c. 11. X. de offic. iud. ord.

k) c. 22. X. de sent. et re iud., c. 21. X. de accus.

l) const. crim. Art. 7.

*mor publicus & fama probata atque orta a viris probatis; m) dummodo β) constet de corpore delicti, prout criminis qualitas hoc permittit; n) γ) denuntiatio, quae consistit in simplici criminis delatione ad iudicem, siue intentione accusandi; \*o) modo δ) denuntiatio facta a persona hanc suspecta de ipso delicto & circumstantiis; nec non ε) a persona, quae nullo vinculo de non reuelando ligata est; p) (§. CLXI. κ) ζ) si testi crimen per exceptionem obiectum, & ciuilitur probatum; q) η) nominatio vel inculpatio socii criminis, dummodo sit qualificata, seu debitis requisitis instructa; r) θ) Notorietas criminis, propterea quod crimine posito in auctorem inquirendum sit; s) ι) si occasionaliter quis de crimine suspectus sit.*

\* Olim denuntiatio *separatum* plane modum procedendi constituit, nec eo porrecta fuit, vt inquireretur; sed vt sic quis sponte ad confessionem adstringeretur. Quae postea inuauit sub Innocentio III. denunciandi ratio *publica* erat, actoremque & reum supponebat. Erat tamen etiam *secreta*, ad praxin antiquam composita. Olim saltem cognita *euangelica* & *canonica* denuntiatio; postea & *iudicialis* efformabant.

(M) 2

§. CCC

m) c. 24. X. de accus.

n) const. crim. Art. 6.

o) vid. cit. Art. 6.

p) vid. c. 19. C. 2. qu. 1.

q) CARPZOV *pract. crim. qu. 108. n. 54.*

r) *Constit. crim. Art. 31.*

s) CARPZOV *cit. l. qu. 172. n. 59.*

## §. CCCXLVI.

Indoles in-  
quisitionis.

Quum deinde obseruanda sit forma prae-  
scripta, (§. CCCXLIII. 3.) sciendum est: 1) eam in eo consistere, vt iudex de quolibet delicto *generaliter* inquirere possit, vt hac ratione ad *specialem* contra certam personam veniat: (CCCXLV. 9) 2) vbi sic persona iudiciis onerata apprehenditur, (§. CCCXLII.) eam, *a*) si ratio criminis id exposcit, *custodiae & carceri* mancipari; inde *β*) ad *responsionem* ad articulos cogi; quandoque *γ*) audiri, eum *defensione* pro auertenda inquisitione; *δ*) porro *testes* audiri; *ε*) reum negantem cum iisdem *committi*, quod *confrontationem* dicunt; *ζ*) aliquando sub metu *tormentorum* ad confessionem adigi; *η*) quandoque *diris quaestionibus* subiici; quandoque *θ*) ad *canonicam purgationem* (§. CCCLXXXIX. seq.) admitti; denique, *ι*) vbi *defensio* accesserit, vel *condemnari*, vel *absolui*: *τ*) tandem notari debet, 3) & hic quodammodo *procuratorem* admitti.

## §. CCCXLVII.

Effecta.

Quum tandem inquisitio varios effectus producat, (§. CCCXLIII. 4.) paucis notari debet, hos plane coincidere cum illis, quos *accusatio* producere solet. (§. CCCXL.)

TIT.

τ) conf. BRUNNEMANNI *process. inquis.* LUDOVICI *peinlicher Process.*

## TIT. IX.

## DE POENIS.

## §. CCCXLVIII.

**D**ixi, legitime conuicto reo sententiam esse ferendam & exsequutioni mandandam; (§. CCCXL. 4.) immo propterea de crimine agi, vt poena infligi possit: (§. CCCXXXI.) adeoque de *poenis* nunc differendum est.

## §. CCCXLIX.

Poenis opus est, vt homines *externè* red-  
dantur *meliores*, & alii eorum *exemplo* in officio contineantur, & sic poena est: *Malum passionis, ob malum actionis inflictum a superiore.\*u)* Quid poena?

\* Aliter patres ecclesiae poenam definiunt, vt *poenitentiam* ecclesiasticam & *satisfactionem* sub ea complecti possent, a qua tamen ambigua definitione abstinendum esse duxi.

## §. CCCL.

Diuidunt poenam I. in *spiritualem* & *corporalem*. Ad illam referunt *poenitentiam*, *excommunicationem*, *interdictum*, *suspensionem*, *remotionem*. II. Corporales rursus diuidunt in *capitales* & *non capitales*. Prout vero poenae III. vel definitae sunt, vel iudicis arbitrio relinquuntur; inde vel *ordinariae* sunt, vel *extraordinariae* seu *arbitrariae*. Diuisio.

## §. CCCLI.

Hinc axiomata: I. Poenam infligit iudex Axiomata.  
competens. (§. XIV. 2) II. Iuxta determinatio-

(M) 3 nem

\*) PVFFENDORF. *de iur. nat. & gent.* L. VIII. c. 3. §. 4.

nem a legibus factam, aut pro ratione delicti commissi. III. Infligit illam delinquentibus, §. CCCLII.

Quis poenam dicat?

Quum itaque poenam infligat iudex competens, (§. CCCLI. 1.) consequens est: 1) vt in clericos saltem *ecclesiasticus* animaduertat: \* (§. CCCXXXV.) x) 2) dummodo illa non tendat ad *sanguinis vindictam*: y) 3) vt tamen, si ex *principis delegatione* vel *alio iure* illi cognitio criminum competat, ad *Principem*, si sanguinis poena immineat, referre, vel *laicam* eam demandare possit: z) 4) vt decreta quantocyus sint *exsequutioni* mandanda: (§. CCCXL. 4.) 5) vt ferenda non sit *vindicta priuata*, nisi in casibus a lege speciatim concessis. a)

\* Inter protestantes consistorium tunc saltem clericorum delictis cognoscit, si illa nulla corporis afflictina luenda sunt. (conf. §. XXX. 2)

§. CCCLIII.

Qualem?

Quumque poena infligenda sit iuxta determinationem a legibus factam, aut pro ratione delicti, (§. CCCLI. 2.) sequitur: 1) vt ordinaria neque *intendi*, neque *mitigari* a iudice possit, nisi concedentibus legibus: b) 2) vt tamen poenae *canonicae*, vt vocantur, seu quibus canones modum posuerunt, ve  
pluri-

x) c. 4. X. de iudic.

y) c. pen. X. ne cler. l. mon.

z) c. 4. X. de rapt. c. fin. X. ne cler. rel. mon.

a) STRVV de vindict. priu.

b) c. 4. X. de offic. iud. deleg. c. 3. X. de poen. conf. CIRON. paratitl. X. de poen. add. COCCIVS de poen. ordin. excessus.



plurimum sint *arbitrariae*: c) 3) vt in statuenda poena *arbitraria* circumstantiae omnes, cum cura sint expendendae: d) 4) vt poena nunquam *maior* esse debeat delicto: e) 5) vt etiam ecclesiasticus iudex *corporalem* infligere possit, modo non tendat ad sanguinis profusionem. (§. CCCLII. 2.) f)

## §. CCCLIV.

Quum denique poena infligatur delin- Quibus?  
quentibus, (§. CCCLI. 3.) sequitur: 1) vt *co-*  
*gitationis* poenam nemo patiatur: 2) vt omnis  
poena suum teneat *autorem*, non regulariter  
alium: (§. CCCXXXVII. a. seq.) g) 3) vt  
infligenda sit delinquentibus *confessis* vel *con-*  
*uictis*: (§. CXLI. sq. CCCXXXIX. 1. & CCC  
XLVI. 2.) 4) vt toties *poena repetenda* sit, quo-  
ties crimen renascitur: b) 5) vt sine *iusta*  
*caussa* remitti non debeat: i) 6) vt infligatur  
in loco, vbi *peccatum*.

## TIT. X.

## DE POENITENTIA.

## §. CCCLV.

Vidimus, ad poenas spirituales referri Connexio  
poenitentiam; (§. CCCL. 1.) quid au-  
(M) 4 tem

c) CIRON. *cit. l.*d) CONF. CORVINVS *cit. l. tit. XLI. §. II. ERN. TEN-*  
*ZEL. de arbitr. circ. poen.*e) c. 1. X. *de his quae fiunt a Mai. part. Cap.*f) CONF. IOS. GIBALINVS *de sacr. iurisdin fer. poen.*  
*& cens. disquis. 1. qu. 1.*

g) c. 6. C. 1. qu. 4. c. 3. D. 3.

b) c. 1. X. *de poen.*i) c. 3. X. *de offic. ordin.*

tem & quotuplex fit *poenitentia*, quatenus illa inter *sacramenta* referatur? iam occupauimus. (P. I. §. DCLXXII. sq.) Superest, ut saltem de vulgari distinctione, inter *cenfuras* & *poenas* ecclesiasticas, ad meliorem vulgaris doctrinae intelligentiam nonnulla adiiciantur.

## §. CCCLVI.

Obferuatio  
de commu-  
ni doctrina  
ratione poe-  
nae & cen-  
furae.

In *poenitentia poenam* occurrere, ipsi Pontificii ad ductum iuris canonici fateri coguntur. *k)* Putant tamen, eam esse *spiritua-lem*. De reliquo ita *cenfuram* definiunt, ut illa quidem *usu bonorum spiritualium priuet*, sed ad *propriam rei correctionem*; *poenam* vero *ecclesiasticam* in *priuatiōe* quidem *boni spiritualis consistere*; sed in *crimini alicuius punitionem infligi*; *l)* sed sic 1) ad neutram speciem referri posset *poenitentia*, quum minime in *nuda priuatione boni* cuiusdam, sed etiam in *positione mali* consistat: 2) porro diuerso respectu, sic ad *cenfuram* modo quid referunt, modo rursus ad *poenam*: 3) denique nec in enarrandis poenis, nec censuris sibi constant, sicuti in doctrina, fundamento destituta, fieri solet. *m)*

## §. CCCLVII.

Epicrisis.

Noua omnis haec est doctrina, tunc demum orta, ubi in Rempublicam peculiam ecclesia coniecta fuit. Tunc enim ex

re

*k)* conf. c. 4. de *poenit.* D. 30.

*l)* GIBALINUS *cit. l. n. 2. sequ.*

*m)* vid. GIBALINUS *cit. l.* WIESTNER *ad Tit. X. de poen.* ENGEL *ad Tit. X. de poen. & Tit. X. de sent. Excom.* de DOMINIS *de Rep. eccl. L. V. c. 9. §. 6. seq. 10.* de DICASTILLO *de cens. & poen. eccl.*

re erat, tale *fulcrum spirituale* erigere, quo grauius pondus auctoritas ecclesiae in imperando puniendoque haberet. Inde inter censuras & poenas sensim distinguebant, vtrisque vero effectus spirituales affingebant, vt sic rudes ac credulos captiuarent.

## VSVS DOCTRINAE INTER PROTESTANTES.

### §. CCCLVIII.

Non hic regustabo vulgaria dogmata a multis Protestantibus defensa, quum illa parum discrepent a pontificia doctrina; sed saltem meam mentem iam supra (P.I. §. DC LXXXIX.) declaratam, vltius declarabo.

Sic I. puto, distinctionem inter *censuras & poenas* esse foetum sec. XII. in cerebro Scholasticorum natam, & antiquae ecclesiae inco-  
gnitam. n) II. Et censuras & poenas ecclesiasticas esse *poenas proprie sic dictas*, quum definitio poenarum (§. CCCXLIX.) ad am-  
fissim ad eas quadret: proindeque III. & *poenitentiam externam* instar *poenae ciuili* exerce-  
ri. IV. Antiquam ecclesiam omnem poenam in *priuacione communionis*, varia ratione quae-  
siuisse. V. Poenas, ecclesiam primitiuam, neuiquam quodam *iure imperii* exercuisse, o)  
sed potius VI. ex ratione *status peculiaris* ecclesiarum illius temporis, & ex natura *colle-*  
*giorum*. p) VII. Poenitentiam tunc nequi-

(M) §

dem

n) MORINVS de administ. Sacr. poenit. L. VI. c. 25. §. 12.

o) DI. PFAFF. orig. iur. eccles. p. 38. seq.

p) DUPIN de discip. eccles. d. 3. in practoq.

Observatio  
de poeni-  
tentia ec-  
clesiastica  
inter Pro-  
testantes.

dem proprie dictam *poenam*, sed potius *medium reconciliandi* cum ecclesia constituisse. VIII. Haec omnia mutato ecclesiarum statu mutanda fuisse, quod tunc a *Republica* auxilium petere potuisset ecclesia, (P. I. § XXXVI. 3. seq.) Sed IX. cuncta ita potius in peius ruisse, ut ecclesia schema separatae Reipublicae induerit. X. Inde demum portenta de *poenis ecclesiasticis & spiritualibus* prodiiisse. Quum autem XI. haec cum *secularibus* poenis seu civilibus *plane coincidunt*, & *eisdem* plane *effectus* producant: Respublica vero civilis hodie in delicta animaduertat; XII. poenitentiam ecclesiasticam *prorsus exulare* debere, cum contra rationem sit, ut quis ob idem delictum, duplici poena adficiatur.

## TIT. XI.

## DE EXCOMMUNICATIONE.

## §. CCCLIX.

Connexio.

**S**piritualibus poenis seu censuris etiam *excommunicationem* adnumerari, vidimus.

Quid excommunicationis.

(§ CCCL. I.) Est vero excommunicatio iuxta iuris canonici dogmata: *Censura ecclesiastica, qua christianus a corpore ecclesiae, vel saltem sacramentorum perceptione excluditur. q)* Si ab effectu illam considero, consistit illa: *In denegatione iurium, quae alias membro societatis denegari non solent.\* r)*

\* Ta-

---

q) CORVINUS *instit. iur. can. L. IV. tit. 63. §. 1.*

r) *vid. tract. meus vom Recht des Kirchenbannes C. I. §. 1. sequ.*

\* Talis exclusio & denegatio iam Iudaeis usitata erat, & nata videtur sub captiuitate Babylonica. Vid. tract. meus vom Recht des Kirchen-Bannes C. I. §. 4. seq. Quum vero christiani primaeui morum Iudaicorum strenui sectatores essent, etiam in excommunicatione pristinam consuetudinem retinuerunt. Certe in sacris litteris nullum pro illa praesidium exstat, vt exinde praeceptum ostendi possit, vid. cit. tract. C. II. §. 3. seq. Iudaicam excommunicationem pro statu illius ecclesiae usitam quandoque fuisse, non abnuo; inde vero pro necessitate illius nullum resultat argumentum. Postea vero per *confocederatam disciplinam* frequentior vsus exclusionis esse coepit. Vid. cit. tract. meus C. III. Ex quo autem Principes Christo nomen dederunt, plane cessare debuisset, mutato scil. in totum statu ecclesiae: ast tantum abest, vt hoc factum fuerit, quum potius maiora incrementa acceperit. cit. meus tract. C. IV.

### §. CCCLX.

Diuidunt illam I. in *maiolem*, quando quis ab ecclesia & omni fidelium congregatione excluditur & eiicitur; s) & *minorem*, vbi quis a sacramentorum participatione remouetur. \* t) II. Maiorem subdividunt in *solemnem*, quae fit adhibitis quibusdam ceremoniis; & non *solemnem*, quae fit vnico etiam verbo: *excommunico*. u) III. Vtramque rursus diuidunt in illam, quae ab *iure*, & eam, quae ab *homine* infertur. x)

Diuisio

\* Ante

s) c. pen. & vlt. C. 3. qu. 4. III. BOEHMER *iur. eccl. antiq.* diss. 3.

t) c. pen. X. de sent. excom.

u) c. 10. X. de iudic. c. 1. X. de e), q. ii. furt. ord. susc.

x) cit. tract. meus L. IV. §. 23.

\* Ante Sec. XIII. cognita non fuit haec excommunicationis diuifio, fed demum cum aurali confessione, ab Innocentio III. fabricata (P. I. § DCLXXVII.5) inualuit. *Tract. meus cit. C.IV. §.17.*

### §. CCCLXI.

Axiomata.

Inde notanda axiomata: I. Pronunciatur excommunicatio vi iurisdictionis. I. Hinc illa, quae ab homine fertur, desiderat personam qualificatam. III. Quae a iure dicitur, nullam hominis pronuntiationem desiderat. IV. Omnis excommunicatio producit varios effectus. V. Potest omnis, ad exemplum sententiae, varie retractari.

### §. CCCLXII.

Quis excommunicatio-  
ne non  
tari possit?

Quum itaque excommunicatio vi iurisdictionis pronuncietur, (§. CCCLXI. 1.) consequens est: 1) vt saltem *subditi* hoc vinculo innodari possint: y) 2) vt tamen huc etiam *Reges & Principes* referendi sint: (§. CCCXXXVII.4.) z) 3) vt saltem *Christiani*, non vero infideles; (P. I. §. CLI. \*) 4) *uiui*, non *mortui*, nisi in tali reatu decesserint, propter quem etiam post obitum excommunicatio irrogari possit, (P. I. §. DCCCXXV. β seq) illi subiaceant: 5) vt extra *diocesim* nullius sit valoris: a) 6) vt & hic *forum delicti* (§. XXVI.) attendi debeat: b) 7) vt saltem illi, qui

y) c. fin. de constit. in 6. c. 1. seq. C. 6. qu. 3.

z) *Tract. meus C.IV. §.8. seq. & C. VII.*

a) *ibid. C. VIII. §. 1.*

b) c. 2. X. de sent. excomm.

qui *deliquerunt*, non alii, nisi in casibus exceptis, (§ CCCXXXVII. β seq.) ita coërceantur: c) 8) ut, quum poena seu censura sit, saltem pro *delictis perpetratis*, non vero perpetrandis imponi a iudice possit: nec 9) locum habeat in *leuioribus*: d) 10) ut & hic forma & ordo iudiciarius obseruari debeat. e)

## §. CCCLXIII.

Quumque excommunicatio ab homine lata desideret personam qualificatam, (§ CCCLXI. 2.) consequens est: 1) ut illa, quum poena spiritualis sit, debeat esse *ecclesiastica*: f) & 2) regulariter *presbyteriali* dignitate ornata: g) 3) ut ille, qui *maiolem* pronunciat, *iurisdictione* spirituali debeat esse munitus: h) quum 4) *minorem* omnis inferior clericus ferre possit: i) 5) ut *inferior* excommunicare nequeat *superiorem*: k) 6) ut *laicus* nequidem ex episcopi, sed solius *Papae delegatione* hoc ius exercere possit: & 7) ut regulariter *extra ecclesiam* constitutus, aut *excommunicatus*, neminem excommunicationi subiicere possit. l)

Quis excommunicare possit?

## §. CCCLXIV.

- c) CORVINVS *cit. l. Tit. XLIII. §. 15.*  
d) IDEM *ibid. § 18. Tract. meus cit. cap. 6. §. 7. seq.*  
e) IDEM *ibid. §. 19. seq. Tract. meus cit. l. §. 2. seq.*  
f) c. 5. *de sent. excomm. in 6.*  
g) c. 50. X. *de sent. excomm.*  
h) DICASTILLO *de cens. & poen. eccl. disp. I. dnb. 6.*  
i) IDEM *ibid. n. 118.*  
k) *Tract. meus cit. l. § 1.*  
l) CORVINVS *cit. l. §. 14.*

## §. CCCLXIV.

Excommu-  
nicatio ca-  
nonis.

Quum deinde illa, quae a iure inferitur, nullam hominis pronunciationem requirat, (§.CCCLXI.3.) intelligis: 1) cur haec excommunicatio dicatur *latae sententiae*: m) 2) cur hanc incurrant omnes illi, qui aliquid perpetrant, ob quod *canon* censurae & poenae loco, *excommunicationem* posuit: n) 3) cur, ubi postea sententia iudicis accedat, illa saltem *declaratoria* dici queat.

## §. CCCLXV.

Excommu-  
nicationis  
effecta.

Quumque porro omnis excommunicatio varios effectus producat, (§.CCCLXI.4.) sequitur: 1) ut tales potissimum in *maiori* occurrant: quum 2) omnis *communio* cum innodatis hoc vinculo, sub excommunicationis poena sit interdicta: o) 3) ut propterea *nomina* excommunicatorum sint *publicanda*: p) 4) ut tamen ob *utilitatem*, *legis dispositionem*, *subiectionem*, *necessitatem* & ubi *ignoratur* excommunicatio, *communio innocentia* sit: q) 5) ut praeterea alios *effectus*, quos

*huma-*

m) CORVINVS *cit. l. §. 7.*

n) *vid. cit. tract. meus C. 5.*

o) CORVINVS *cit. l. §. 24. Tract. meus cit. l. §. 11.*  
Conf. Auctor qui sub litteris: P. H. B. T. C. latere voluit in libello, cui titulus: *Traité des excommunications*, ubi iusticiam huius poenae quidem propugnat, sed id negat, quod *vinculum societatis* civilis dirimere, aut subditos ab *obsequio* absolvere queat.

p) *cit. tract. meus c. 8. §. 5. seq.*

q) CORVINVS *cit. l. §. 11. tract. meus C. 5. §. 12. seq.*



*humanos dicunt; r) alios, 6) quos spirituales adpellant, producere debeat. s)*

§. CCCLXVI.

Quum denique excommunicatio, uti alia <sup>Abolutio ab excommunica-  
tionē.</sup> sententia, possit retractari, (§. CCCLXI. §.) sciendum est: 1) hoc fieri *retractatione* excommunicantis; t) aut 2) *superioris*, ubi vel ab excommunicationis sententia adpellatum; vel sine adpellationis interpositione ille *iniquitatem* excommunicationis animadvertit: u) 3) *absolutione* ab eo, qui *absoluendi ius* habet, quum etiam hic *casus reservati* occurrant; x) in quibus tamen, si *mortis periculum* excommunicato immineat, *quilibet sacerdos* absolvere potest: y) 4) *absolutionem* etiam fieri posse *ad cautelam*, puta, ubi quis ipsam excommunicationem impugnare vult, ut sic *exceptionem* obiectam in iudicio deducere possit: z) 5) *absolutionem* etiam inferre, ubi excommunicatus ab illo, cui ius absoluendi est, *ad osculum* fuerit admissus. a)

VSVS

r) *cit. tract. meus c. 8. §. 5. seq.*

s) *ibid. §. 12. seq.*

t) *c. 1. X. de accusat.*

x) *C. 40. X. de sentent. Excomm. c. 54. X. de adpell.*

u) *CORVINVS cit. l. Tit. XLIV §. 9. 10.*

y) *c. 5. X. de sent. excomm. c. vn. Extrau. de crim. fals.*

z) *c. 2. de sent. excomm. in 6. TOURNET. de abs. ad cautelam.*

a) *c. 12. X. ne priu. conf. in Vniu. tract. meus c. 9.*

## VSVS INTER PROTESTANTES.

## §. CCCLXVII.

Communis  
protestan-  
tium do-  
ctrina.

Plerique Protestantium in ea versantur sententia : I. Excommunicationem re-  
moris ab illa abusibus pontificiis non solum  
*utile laudandumque esse institutum*, sed etiam,  
II. quod magis est, in *scriptura* expresse man-  
datum. b) III. Potissimum pro *minori* excom-  
municatione (§.CCCLX.I.) eatenus pug-  
nant, ut facultatem excludendi a sacramen-  
tis, *omnibus ecclesiae ministris* vindicent; c)  
& IV. sic etiam *Principes* huic exclusioni sub-  
iacere contendant; d) & quae sunt alia.

## §. CCCLXVIII.

Nostra sen-  
tentia.

Quae mea sit sententia, iam ex superiori-  
bus constabit, (§.CCCLVIII,) scilicet: 1) ex-  
communicationem olim constituisse in *exclu-  
sione* a coetu fidelium, adeoque 2) pro ratione  
status illarum ecclesiarum tanquam *poenam  
conventionalem* obtinuisse: quae 3) *ex confoe-  
derata disciplina* profluxerit: 4) quae in  
apostolica ecclesia obtinuit excommunicatione,  
*ex iudaica disciplina*, pro ratione eorum tem-  
porum, retentam fuisse: 5) *minorem excom-  
mu-*

b) vid. tract. meus Cap. XI. §. 1. seq. add. Reu. Dn.  
PFAFF. in *orig. iur. eccl.* ubi iuris diuini esse ex-  
communicationem adstruit, & vsum illius  
passim commendat.

c) conf. Dn. PFAFF *cit. l. p.* 223. seq. add. *cit. tract.*  
meus *cit. l. §.* 8.

d) conf. *cit. tract.* meus C.VII, §. 12. seq.

*municationem esse inuentum nouiorum temporum, in statu corruptissimo ecclesiae natum: 6) totam excommunicationis rationem ad nostra tempora non quadrare: saltem, 7) vbi obtinet, arbitrio magistratus ad normam reliquarum poenarum subiacere. e)*

## TIT. XII. DE INTERDICTIS.

### §. CCCLXIX.

**S**piritualibus poenis etiam adnumeratur *interdictum*, (§. CCCL. I.) cuius indoles Connexio. strictim enucleanda venit. Dicitur interdictum: *Censura ecclesiastica, vi cuius vel certis, personis, vel loco, diuinis officiis, sepultura, sacramentorumque administratione & perceptione interdicitur. \* f)* Quid interdictum?

\* Origo quaerenda in fec. XI. vbi in concilio Lemouicensi Ao. 1034. congregato, **OLDERICVS**

e) *Tract. meus C. XII. XIII. de S. GERMANIS de abus. Brach. sec. Tb. 7. conf. Fra PAOLO SARPI, consolatione della mente, nella tranquillita di conscienza causata dal bon modo di viuere nella citta di Venetia, nel preteso interdetto di Paulo quinto, qui saniora multo, quam plerique Protestantium, de excommunicatione dogmata proponit.*

f) c. 16. seq. de Sancti, excomm. in 6.

(N)

CVS Abbas hoc remedium, ad quod iam antea via parata erat, inuenit, quod postea, quum hierarchiae conduceret, magis magisque excultura fuit, vid. *Traët. meus*, c. X. Promulgauit quidem occasione turbarum, hoc seculo in Sicilia ortarum praeful Liparentis **MEDESCHIVS**, tractatum & Romae foetum exclusit, sub Tit: *De ecclesiastici interd. sent. nec ullum ob metum violandu nec subiector. iudicio expendenda*, in quo originem interd. etorum antiquissimam facit; sed nil mutò. Veri natales hodierni interdicti Sec. XI, demum sunt quaerendi.

### §. CCCLXX.

Diuisio.

Diuidunt illud ad normam excommunicationis, cuius etiam species est, I. in interdictum *iuris* seu *canonis*, & *iudicis*. (§ CCC LX. 3.) II. Iudicis interdictum subdiuidunt in *generale*, vbi integra prouincia aut locus interdicitur; & *speciale*, vbi vna aut altera ecclesia, aut collegium, vel indiuiduum interdicitur.

### §. CCCLXXI.

Generalis de interd. etis obseruatio.

Eadem vere hic, quae modo de excommunicatione obseruauimus, (§. CCCLXI.) occurrunt. Sic paucis reliqua dabo. Canonis itaque interdictum incurrunt: 1) vbi ciuitas ea non studiose obseruat, quae in *electione Pontificis*, iniuncta sunt: 2) vbi magistrat-

stratus *insultus Cardinali* factos non punit: 3) si *vsuras*, 4) & *repressalias* contra personas ecclesiasticas permittit: aut 5) *portoria* a clericis exigit, & quae sunt alia: 6) Deinde 6) interdicti rationem nunc in eo consistere, ut a) *poenitentia* aut *eucharistia* saltem morientibus, non vero b) *extrema vnctio*, nisi si clerici sint, administretur; c) *missa* clausis ianuis, omiſſa campanarum sonitu, submissa voce canterur, sed d) in *solemnioribus* quibusdam *festis*, quantum *liturgiam* concernit, interdictum suspensum fit; h) e) ut aliter sacra facientes, *puniantur*, & denique z) ut interdictum varia ratione *toll*i possit. i)

## §. CCCLXXII.

Rarior inter Pontificios hodie est interdictorum vsus, *nullus inter Protestantes*. Nam licet illi excommunicationem propugnent, iniquissimum tamen modum puniendi in interdicto agnoscunt.

Vfus inter  
Protestan-  
tes.

(N) 2

TIT.

g) vid. cit. *Tract. meus C. X. CORVINVS Lib. IV, Tit. 45. §. 5.*

h) IDEM *cit. loc. §. 18.*

i) IDEM *cit. loc. 19. sequ.*

## TIT. XIII.

## DE SVSPENSIONE.

## §. CCCLXXIII.

Connexio.

Quid sus-  
pensionis ?

**C**ensuris & poenis spiritualibus etiam suspensionem accenseri, vidimus, (§. CCCL I.) cuius ratio breuiter tradenda. Est vero *suspensio* generaliter voce sumpta: *Interdictio iuris cuiusdam, ad tempus ex iusta causa alicui dictata.* Hic vero denotat: *Censuram ecclesiasticam, vi cuius personae ecclesiasticae exercitium officii aut beneficii, vel vtriusque simul, modo definite, modo indefinite interdicitur.* k)

## §. CCCLXXIV.

Diuisio.

Axiomata.

Ad normam excommunicationis & interdicti, (§. CCCLXX. 1.) in suspensionem *iuris* seu *canonis* & *iudicis* diuiditur; l) & notanda de his axiomata. I. Decernenda suspensio a persona qualificata: II. Contra personam ecclesiasticam: III. Ob iustam causam & sub debita forma. IV. Producit ita decreta singulares effectus.

## §. CCCLXXV.

k) c. 20. X. de verb. sign. c. 11. X. de priu. Gloss. ad Clem. 3. de poen.

l) CONF. HEN. CANISIVS in *Summ. iur. can.* L. III. Tit. 23. §. 6.

## §. CCCLXXV.

Quum itaque suspensio decernenda sit a <sup>Qui eam decernat?</sup> persona qualificata, (§. CCCLXXIV. 1.) sequitur: 1) ut talis sit *iudex competens* ecclesiasticus, *m*) & quidem 2) *ordinaria potestate* praeditus: *n*) 3) ut huius decretum etiam in *canonis suspensione* necessarium sit, quo sic *decretetur*, tale quid factum esse, quod poenam iure latam meretur. *o*)

## §. CCCLXXVI.

Quumque decernenda sit contra personam ecclesiasticam, (§. CCCLXXIV. 2.) sciendum est: 1) hic intelligi personas ecclesiasticas *proprie* sic dictas, (P. I § CL.) adeoque 2) saltem suspendi ab officio aut beneficio posse *clericos*, cuiuscunque sint gradus & dignitatis; *p*) & quidem 3) non solum ut *singuli*, sed & quatenus *collegium* constituunt: *q*) 4) *Episcopum* vero neutram suspensionem incurrere, nisi de eodem nominatim mentio facta fuerit. *r*)

## (N) 3. §. CCCLXXVII.

*m*) c. 8. § 10. X. de iudic.

*n*) c. 11. X. de priu.

*o*) conf. BARBOSA in diction. usu frequ. dict. 178.

*p*) conf. ZIEGLER ad Lancel. L. IV. tit. 15. §. 6.

*q*) c. 4. de elect. in 6.

*r*) c. 4. de sent. excomm. in 6.

## §. CCCLXXVII.

Ob quas  
causas?

Quum deinde ferenda sit ob iustam causam & sub debita forma, (§ CCCLXXIV.3.) notari debet: 1) requiri hic *delictum*, quod *depositionem* non meretur: s) 2) in causis a iure non determinatis rem redire ad discretum iudicis *arbitrium*: t) sed 3) tot iam causas in iure occurrere, vt fere omni *arbitrii* vitio suspensionis poena immineat: u) 4) potissimum in irroganda suspensione iudicem respicere debere α) ad *scandalum*; β) *vehementem suspicionem*; γ) *vulgatam infamiam*: (§. CCCXLV. α) x) adeoque 5) locum saepius dari, suspensioni in sic dictis *excussibus* clericorum: (§. CCCXXVIII.8.) 6) vbi ob *contumaciam* decernenda est, praecedere debere monitionem: y) non vero, vbi 7) in *vindictam delicti* dicitur: 8) fieri illam debere *in scripto*; & 9) *caussa* expressa: z) 10) posse tamen suspensum quandoque

s) FARINACIUS *fragm. crim.* P. I. lit. G. n. 74.

t) MENOCHIVS *de arb. iud. quaest.* L. II. cent. 4. *cas.* 332.

u) CONF. GISB. VOETIVS. *polit. eccl.* P. III. L. 4. tr. 4. c. 4. §. 2.

x) c. 10. X. *de purg. can.*

y) c. 6. D. 32. c. 14. X. *de vit. & hon. cler.*

z) c. 1. *de sent. excoomm.* in 6. c. 26. X. *de adpell.*



doque eo effectu *adpellare*, vt interim *reditus* percipiat, licet *officio fungi* nequeat, a)

§. CCCLXXVIII.

Quum tandem singulares producat effectus, (§. CCCLXXIV. 4.) intelligitur: cur 1) huc *abstinentia ab officio*, nisi saltem *intuitu beneficii* expresse decreta fuerit, referenda sit: 2) cur secum etiam *priuationem emolumentorum* & *redituum* ducat, vbi propter *delictum iam probatum* decreta; alias tunc demum, si ipsa *sententia ad fructuum priuationem* directa fuerit: 3) cur, quae ob delictum probatum decernitur, *infamiam* inurat: b) 4) cur, qui suspensione durante officia diuina peragit, *irregularitatem* (P.I. §. CLXXV. sequ.) incurrat, a qua saltem *Pontifex* absoluit: c) 5) cur, vbi ad tempus facta, *lapso tempore* reuocata reputetur: d) denique 6) cur, si indefinite facta, *restitutione* opus sit. -

Effecta.

(N) 4

VSVS

a) MEVIVS P. I. dec. 191.

b) conf. STRYK *diss. de susp. ab offic. C. IV.*

c) c. 1. & 18. *de sent. excomm. in 6.*

d) c. 4. X. *de offic. iud. deleg.*

## VSUS INTER PROTESTANTES.

## §. CCCLXXIX.

Penes quem  
inter Prote-  
stantes fa-  
cultas, su-  
spensionem  
decernendi,

Suspensio est *poenae* genus, adeoque pars iurisdictionis criminalis ecclesiasticae. Quum vero *Principi*, non solum suprema inspectio in ecclesiam, (P. I. §. LXXXIV. seq.) sed etiam in doctores & ministros ecclesiae competat, (P. I. §. LXXXIV. seq.) sequitur: 1) ut penes *illum*, aut cui alias *iurisdictio ecclesiastica* competit, sit ius, suspensionem dictandi: e) 2) ut proinde *Patroni*, licet domini directi sint, (P. I. §. DCCCLXXXIII. l. seq.) sibi hoc ius vindicare nequeant, nisi 3) illis simul *iurisdictio ecclesiastica* cesserit, aut *consuetudine* id ipsum obtinuerint. f)

## §. CCCLXXX.

Quibus ir-  
rogari pos-  
sit?

Exinde facile est intellectu: 4) quod non solum clerici *proprie sic dicti*, seu qui sacris operantur, sed & qui *vulgaria* saltem *ministra* praestant, de reliquo vero *iure clericorum* gaudent, (P. I. §. CLXXXVI. & §. CCIX.)  
ab

e) conf. CARPZOV *iurispr. consist.* L. III. def. no.  
f) STRYK *cit. loc.* C. II. n. 35. seq.



coronidem quasi imponit. Est autem remotio: *Deturbatio de dignitate, ordine, gradu, vel eorum priuatio, ex causa a iudice facta.*

### §. CCCLXXXII.

Diuisio.

Diuidunt illam in *verbalē*, quam *depositionem* dicunt, vbi *dignitatem* amittit; & in *realem*, quam *degradationem* adpellant, vbi *ordine & gradu* excedit. \* (P. I. §. CCCLXXXVII.) k)

\* Antiquitas ignorauit hanc diuisionem, sicuti nec adparatus tonsurae, ceremoniarum in ordinatione, & vestium clericalium cognitus fuit. conf. ZIEGLER *de Episc.* L. III. c. 32. §. 5.

### §. CCCLXXXIII.

Axiomata.

Notanda hinc axiomata: I. Remotio omnis fit a iudice competente, obseruata debita forma. II. Decernitur ex iusta causa. III. Producit, vbi est decreta, pro sua diuersitate varios effectus.

§. CCC

---

k) LANCELOTTVS *instit. iur. can.* L. I. Tit. 20. §. 2.

## §. CCCLXXXIV.

Quum autem remotio fiat a iudice competente, adhibita debita forma, (§. CCCLXXXIII. 1.) sciendum est: 1) fieri depositionem ab *Episcopo*, & quidem 2) per *sententiam*: 1) 3) *Episcoporum* depositionem pertinere ad *sedem Romanam*: \* m) 4) *nudam depositionem* nullas peculiariter requirere solemnitates; sed 5) *degradationem*, pro diuersitate ordinum, etiam intuitu *solemnium*, sicuti ordinationem, varia requirere. n)

Quis remotionem decernat, & quomodo?

\* Olim *Episcoporum* depositio pertinuit ad Synodum prouincialem, immo ad Imperatorem. MARCA *de conc. sacerdot. & imp.* L. VII. *per tot.*

## §. CCCLXXXV.

Quumque remotio decernatur ex iusta causa, (§. CCCLXXXIII. 2.) notari debet: 1) *depositioni* locum esse in causis a iure expressis; o) aut 2) in *delictis* grauioribus:

Quibus ex causis?

l) c. 1. D. 35.

m) c. 2. X. *de transl. Episc.*

n) LIMBORCH *hist. inquis.* L. IV. c. 34.

o) c. 1. D. 35.

ribus: p) 3) *degradationem* iuxta ius nostrum saltem tribus in casibus obtinere, puta, α) in *haeresi*, β) *falso*, ratione *litterarum Pontificis* commisso, γ) *calumnia* graui & *contumelia*, proprio Episcopo illata: q) licet ex modernis sanctionibus *alia* etiam *crimina* accesserint,

### §. CCCLXXXVI.

Effecta.

Quum tandem remotio pro sua diuersitate varios producat effectus, (§ CCG LXXXIII. 3.) intelligitur; 1) cur *administratio officii* deposito sit interdicta: 2) cur depositus clericus *missam celebrans*, perpetua excommunicatione plecti soleat: r) 3) cur non adimat *depositio priuilegia fori*: s) 4) cur contra *degradatio omnia priuilegia clericalia* auferat, & 5) *curiae seculari* puniendum *degradatum* relinquat. t)

### §. CCCLXXXVII.

Vfus inter  
Protestan-  
tes,

*Remotio* etiam inter Protestantes, si *delicti* grauitas illam exposcit, praeuia accurata

p) ZIEGLER *ad Lancel. cit. l. I. Tit. 20. §. 2.*

q) c. 9. X. *de haeret. c. 7. X. de crim. fals. c. 18.*  
CIR. qu. 1.

r) c. 10. D. 50.

s) MENOCHIVS *de arb. iud. qu. l. II. cas. 415. n. 3.*

t) c. 2. *de poen. in 6.*

rata causae cognitione, a Consistorio contra clericos, & qui horum iuribus vtuntur, decernitur. u) Diuisio vero inter degradationem & depositionem simplicem, si CARPZOVIO fides habenda, ignoratur. x) Nihilominus tamen *bisyrionici* eiusmodi *ritus*, tunc vbi *supplicium* sustinere debet clericus, alicubi adhibentur. y) Prudentiores hac in re sunt Galli, qui, licet pontificiae religioni addicti, degradationem ignorant. z) Ipsam vero depositionem, auferre *privilegia clericalia*, repudiata doctrina de *charactere indelebili*, per se euadens est.

## TIT. XV.

DE

PVRGATIONE CANONICA ET  
VVLGARI.

## §. CCCXXXVIII.

**Q**uandoque reus de crimine quidem <sup>Connexio</sup> suspectus est, sed conuinci de illo nequit.

u) CARPZOV. cit. l. L. III. def. 109. seqq.

x) IDEM ibid. def. 117.

y) vid. STRYK *ad Brunnem. ius eccles.* L. II. c. 19. §. 4.

z) RENAT. CHOPPINVS *de sacr. polit.* L. II. tit. 3.

Quid purgatio?

nequit. Tunc vero absolvendus haud est, sed *canonica purgatione* innocentiam suam probare debet. Est vero purgatio: *Innocentiae, super obiecto crimine, legitime facta ostensio.*

### §. CCCLXXXIX.

Diuisio.

Diuidunt illam in *canonicam*, quae a canonibus inuenta & probata est, & *iurisiurandi praestatione* absoluitur; & in *vulgarem*, cuius origines vulgo attribuunt, licet ipse clerus tali purgatione vsus quandoque fuerit, quae variis modis, v. g. *Duello, Eucharistiae sumptione*, aliisque expedita fuit.\*

\* Hi purgandi modi, iure quodam ecclesiastico inuenti fuerunt, & abhinc se etiam iudiciis ciuilibus insinuarunt. conf. Illustr. BOEHMER *diss. de vsu iur. purg. in crim.* s. 7. seqq.

### §. CCCXC.

Generalis de purgationibus obseruatio?

Putabant quippe, I. in occultis *iudicium Dei* adhibendum esse, quod in omnibus modis vulgaris purgationis, potissimum vero in illa, quae per *iurandum sic*, occurrere credebant. Hinc II. haec per excellentiam *canonica* dicta fuit; & III. reie-



reiectis etiam purgationibus vulgaribus, peractis *a)* per *aquam frigidam & calidam*, *β)* *ferrum candens*, *γ)* *eucharistiam*, *δ)* *Dueltum*, *ε)* *crucem*, aliisque modis pluribus, *a)* retenta fuit. IV. Potissimum canonica purgatio adhibita fuit, vbi clericus se *suspectum* reddiderat. *b)* V. Addiderunt postea *compurgatores*. *c)* VI. Denique legibus imperii vsus huius purgationis propugnatus fuit. *d)*

### §. CCCXCI.

Observari itaque hodiernum solet, Praxis huius purgationis. etiam inter Protestantes, adeoque paucis tenendum: I. Iniungit talem purgationem  
per

*a)* CONF. MATTHAEI *manud. ad ius can. tit. de purg. vulg.* BECMANN & ROTH *diff. de mod. prob. innoc.* SCHMID *de mod. prob. innoc. per euchar.* MADER *de Duello.*

*b)* vid. GRATIANVS in *Causf. 2. qu. 5.*

*c)* DV FRESNE *gloss. voc. iuram.*

*d)* *Res. Imp. de Ao. 1512. tit. von Gottschläfer.*

per iuramentum *iudex*, qui de crimine cognoscit, etiam ex *officio*. II. Iniungitur *suspicione* grauato, & quidem III. tali, de quo praesumi potest, quod *periurium* non sit commissurus. IV. Adhibentur saepius plura *solemnia*, vt sic metus iuramento incutiatur. e)

---

e) Illustr. BOEHMER *cit. diff. de usu iuram. purg. in crim.*



IN-

# INDEX I.

## OMNIVM TITVLORVM.

### LIB. I.

DE CONCEPTV ECCLESIAE, STATV IL-  
LIVS, IVRISPRVDENTIA ECCLESIASTICA  
ET PERSONIS ECCLESIASTICIS.

<b>Tit. I.</b>	de conceptu ecclesiae vario	Part. I. p. I.	
	Membr. I.	de notione ecclesiae iuxta dogmata Pontificiorum	2
	II.	de vario significato ecclesiae ex traditis Script. S.	8
	III.	de conceptu ecclesiae iuxta principia Protestantium	13
	IV.	de conceptu ecclesiae se- cundum pacta conuenta & LL. Imp. German.	20
<b>Tit. II.</b>	de necessitate LL. Ecclesiasticarum, siue pro republica venditetur ecclesia, siue collegium quoddam constituat		43
III.	de fine LL. Ecclesiasticarum		48
IV.	de iure & potestate ferendi LL. eccle- siasticas		55
	Membr. I.	iuxta dogmata Pontificio- rum	55
	II.	-- principia Protestan- tium	59
	III.	-- statum Germaniae	73
V.	de legibus ecclesiasticis		81
	(O)	Tit. V.	

## INDEX I.

<b>Tit. V. Membr. I.</b> de legibus, quae in vniuersa ecclesia catholica obtinent.	Part. I. p. 82
<b>II.</b> de legibus ecclesiasticis inter Romano - Catholicos in Germania	94
<b>III.</b> de legibus Protestantium ecclesiis propriis	97
<b>IV.</b> de legibus ecclesiasticis in Germania inter adprobatas religiones communibus	103
<b>VI.</b> de Iure personarum	117
<b>VII.</b> - Clericis in vniuersum	124
<b>VIII.</b> - Tonfura Clericorum	140
<b>IX.</b> - Clericis minorum ordinum	143
<b>X.</b> - Ordinibus sacris	147
<b>XI.</b> - Subdiaconis & Diaconis	151
<b>XII.</b> - Presbyteris	158
<b>XIII.</b> - Episcopis	165
<b>XIV.</b> - Metropolitans, Archi-Episcopis, Primatibus, Patriarchis	180
<b>XV.</b> - Romano Pontifice	190
<b>XVI.</b> - Cardinalibus	196
<b>XVII.</b> - Episcoporum & Praelatorum promotione per electionem	198
<b>XIII.</b> - Episcoporum promotione per postulationem	208
<b>XIX.</b> - Confirmatione	213
<b>XX.</b> - Consecratione	218
<b>XXI.</b> - Pallio	222
<b>XXII.</b> - Ereptione Episcopatumum	225
	Tit.

## INDEX I.

<b>Tit. XXIII. de Translatione</b>	<b>Part. I. p. 231</b>
XXIV. - Renunciacione	236
XXV. - Depositione & Degradatione	242
XXVI. - Sede vacante & impedita	243
XXVII. - Episcopis nomine talibus	250
XXIX. - Coadiutoribus	253
XXIX. - Archidiaconis	257
XXX. - Archipresbytero	262
XXXI. - Chor. Episcopis	266
XXXII. - Vicariis generalibus Episcoporum	269
XXXIII. - Legatis	274
XXXIV. - Curatis seu Parochis	279
XXXV. - Canonicis	286
XXXVI. - Monachis	299
XXXVII. - Eremitis	312
XXXVIII. - Religiosis Virginibus seu Monialibus	313
XXXIX. - Sacris ordinibus equestribus	319
XL. - Maioritate & Obedientia	325
XLI. - Ordinatione	330
XLII. - Vita & Honestate Clericorum	338
XLIII. - Visitationibus	343
XLIV. - Vniuersitatibus	351
XLV. - Privilegiis Clericorum	354
XLVI. - Iuribus Parochianorum	360

## LIB. II.

### DE REBUS ECCLESIASTICIS, SPIRITUALIBUS, TEMPORALIBUS, CORPORALIBUS ET INCORPORALIBUS.

Tit. I. de Rerum diuisione	365
(O) 2	Tit. II.

# INDEX. I.

<b>Tit. II. de Liturgia &amp; officio sacro</b>	<b>Part. I. p.</b>	<b>368</b>
III. - Sacramentis		380
IV. - Baptismo		385
V. - Confirmatione		394
VI. - Eucharistia		398
VII. - Missa		410
VIII. - Poenitentia & Remissione		416
IX. - Indulgentiis		430
X. - Extrema Vnctione		433
XI. - Ordine		436
XII. - Matrimonio		438
XIII. - Sponsalibus		439
XIV. - Nuptiis		450
XV. - Diuortii		484
XVI. - Secundis Nuptiis		494
XVII. - Rebus sacris, sanctis & religiosis		496
XVIII. - Ecclesiis aedificandis & consecrandis		497
XIX. - Vasis sacris, reliquiis, altaribus, aliisque ad sacra pertinentibus		509
XX. - Religiosis domibus		516
XXI. - Sepulturis		521
XXII. - Bonis ecclesiasticis in vniuersum		528
XXIII. - Decimis, Primitiis & Oblationibus		533
XXIV. - Beneficiis in vniuersum		541
XXV. - Collatione beneficiorum		545
XXVI. - Iure Patronatus		548
XXVII. - Institutionibus		557
XXVIII. - Qualitatibus ad beneficia necessariis		561
XXIX. - Resignationibus & Deuolutionibus		562
	<b>Tit.</b>	

## INDEX I.

Tit. XXX. de Prouisionibus	Part. I. p. 564
XXXI. - Oneribus beneficiorum	569
XXXII. - Pensionibus	574
XXXIII. - Beneficiorum pluralitate	576
XXXIV. - Commendis	578
XXXV. - Ecclesiarum & Beneficiorum unione	580
XXXVI. - Precariis	585
XXXVII. - Peculio Clericorum & Succes- sione in relicta ab aliis	586
XXXVIII. - Testamentis	591

## LIB. III.

### DE VNIVERSA TRITVRA FORENSI.

Tit. I. de Origine iurisdictionis ecclesiasticae & Conciliis	Part. II. p. 3
II. - Judiciis	9
III. - Citatione	19
IV. - Pactis & Transactionibus	23
V. - Arbitris	27
VI. - Postulando	31
VII. - Procuratoribus	34
VIII. - Oblatione libelli	38
IX. - Mutuis petitionibus	41
X. - Litis contestatione	43
XI. - Iuramento Calumniæ	45
XII. - Dilationibus	47
XIII. - Feriis	49
XIV. - Ordine cognitionum	52
XV. - Plus petitionibus	54
XVI. - Causa possessionis & proprietatis	55
XVII. - Restitutione spoliatorum	58
XVIII. - Contumacia	60

## INDEX I.

Tit.	XIX. de Missione in possessionem	Part. II. p.63
	XX. Vt lite pendente nihil innovetur	65
	XXI. de Sequestratione possessionis & fructuum	67
	XXII. . Confessis	69
	XXIII. . Probationibus & praesumptionibus	71
	XXIV. . Testibus & Attestationibus	76
	XXV. . Fide instrumentorum	82
	XXVI. . Iureiurando	86
	XXVII. . Exceptionibus & Replicationibus	93
	XXVIII. . Praescriptionibus	97
	XXIX. . Sententia & Re iudicata	101
	XXX. . Appellationibus	106
	XXXI. . Supplicatione & Reuisione	116
	XXXII. . Restitutione in integrum	119
	XXXIII. . Recusationibus	122
	XXXIV. . Relationibus	125
	XXXV. . Confirmatione utili vel inutili	126
	XXXVI. . Iudicii extraordinariis	128

## LIB. IV.

### DE DELICTIS, PROCESSU CRIMINALI ET POENIS.

Tit.	I. de Delictis in genere	131
	II. - Simonia	133
	III. - Infidelitate	141
	IV. - Haereticis	145
	V. - Apostasia	159
	VI. - Delictis variis, poenis ecclesiasticis luendis	162
	VII. - Delictis quibusdam clericis propriis	168
	VIII. - Quibus modis de crimine agatur	170
	IX. - Poenis	181
	X. - Poenitentia	183
	XI. - Excommunicatione	186
	XII. - Interdictis	193
	XIII. - Suspensione.	198
	XIV. - Remotione	204
	XV. - Purgatione canonica & vulgari.	208

## INDEX II.



---

# INDEX II.

## RERVM ET VERBORVM.

---

Numerus Romanus denotat Partem, Barba-  
rus Paragraphum, Praef. Dissertationem  
Prooemialem.

---

### A.

#### Abbates

sunt varii generis I, 505. 5. plura cum capitulo agere de-  
bent 505. 4. infulati primam conferre possunt tonsuram  
194 \* laici 504 \*\* euangelici 507

#### Abbatissae

sunt vel mediatae vel immediatae I, 519. possunt inter Pro-  
testantes nubere 521

#### Abbreuiatoris

officium in quo consistat I, 109 \*\*\*

#### Absolutio

ab excommunicatione II, 366. ad cautelam 366. 4

#### Abstinencia

a certis cibis I, 807 \* a coitu 210 \*

#### Academiarum

nomen I, 578 \* descriptio 579. regiminis forma 581

#### Academicarum dignitatum

collatio I, 583

#### Accusationis

natura II, 333. iudex competens 335. an laicus? 335 \*  
subiectum actiuum 336. passiuum 337. processus indoles  
338. probatio 339. effectus 340

#### Accusatoris

qualitates II, 336

#### Acoluthorum

munus & constitutio I, 206

## INDEX II.

### Actio

iudicati II, 217. de perjurio 189. de spolio I, 774

### Actor

quis? II, 11. quomodo intentionem suam proponat 71

### Adfinitatis

circumscriptio I, 740. causa 745. graduum computatio 745. 31. diuisio 744 \*\* genera, quorum secundi & tertii prohibitionem sustulit Innocentius III. 745 \*\*\*

### Adiuncti

v. Substituti.

### Admissionis

postulatorum ratio I, 317

### Adoptio

quatenus nuptiis impedimento sit I, 746

### Adpellatio.

Illius definitio II, 218. diuisio 219. fauor 219 \* effectus 230. renuntiatio 230. §

a quo 221. ad quem 223. & in quibus causis fiat 222

quomodo interponat 224 introducatur 226. iustificetur 229

### Adulterium

an poena ecclesiastica expiandum sit II, 322. quatenus nuptiis sit impedimento? I, 736. 7

### Aduocatorum

admissio in quibusdam causis reprobatur II, 57. munus est honorificum 58

### Agapetarum

consortium I, 562 \*

### Agenda

quid denoret? I, 620 \*

### Altarium

descriptio I, 801, origo 801 \* consecratio 799

### Altaristae

qui sint? I, 235 \*

Annatae

## INDEX II.

### Annatae

cui competant? I, 918. an earum denegatio crimen sit? II, 325

### Annus claustralis

cur introductus? I, 473 \*

### Annus decretorius

quis dicatur? I, 99. quis sit ex capite amnestiae 99 \* ex capite grauaminum 99 \*\* quo modo vnus ab altero differat? 100

in causis Germanorum religiosis probe attendendus est I, 44. potest tamen negligi, vbi status haud mutatur 45 \*

### Annus deseruitus

I, 370. 5. 587. n. 590. 14

### Annus gratiae

I, 370. 5. 587. n. 590. 14

### Annus luctus

seruandus est I, 780. 781. 5

### Annus nouitiatus

cur introductus I, 479 \*

### Annus probationis

I, 501.

### Anselmi

Collectio canonum. Praef. §. XV.

### Antonius

primus *ασκησις* inter deserta excoluit I, 488

### Apoçrifiarios

in aula Imp. iam olim aluit Episcopus Ro. I, 282 \*

### Apostasiae

descriptio II, 315. diuisio 316. poenae 318. Vfus inter Protestantes 319

### Apostasia studiorum

inter anilia figmenta pertinet II, 319. 6

### Apostata

quis & quotuplex II, 315 \* dicitur etiam votorum viola-  
tor I, 506. 4

## INDEX II.

### Apostoli

non tulerunt leges Praef. §. V. aut canones. §. VI. \* quid circa ordinem determinauerint? VII. seq. an fuerint episcopi nomine tales I, 403 \*

### Apostoli siue libelli dimissorii

quid sint & quo petantur modo II, 225

### Apostolicae constitutiones

sunt suppositi iac Praef. §. VI. \*

### Apostolicae traditiones

constituunt legem ecclesiasticam vniuersalem I, 103

### Aqua

cum vino miscetur in sacra coena I, 657. 3. & \*\*

### Arbitri

qui sint? II, 45. & quotuplices? 46

qui II, 48. a quibus 49. quomodo 49. 2. & in quibus causis eligantur? 50.

In quo consistat II, 51. & quomodo finiatur eorum officium? 53.

An standum sit eorum sententiae? 52

### Archidiaconalia iudicia

cesserunt plerumque canonicis I, 424. II

### Archidiaconorum

iurium praetextus & fata I, 420 \* 423 \* 424 \* descriptio 421. officium consistit in inspectione I, 423. & directione 424.

Differentia a Diaconis inter Protestantes in solo nomine consistit I, 425

### Archiepiscopus

quis diuerso tempore dictus fuerit? I, 268

### Archipresbyter

quis sit? I, 427. & quotuplex? 428. quatenus sit Vicarius Episcopi 430. an cum pastoribus nostris primariis sit comparandus 433

### Archipresbyteri ruralis.

officium & potestas in quo consistat I, 432

Archi-

## INDEX II.

---

Archipresbyteri urbani  
officium & potestas in quo consistat I, 431

Armorum venditio  
infidelibus facta delictum est II, 325

Articulis  
includendum est thema probandum II, 163. 5

Articuli Smalcaldici  
sunt liber symbolicus inter Euangelicos I, 116. 4. & 7

Ασκησις  
in quo confiterit I, 488

Attentatum  
quando committat iudex inferior II, 230

Audientia Episcopalis  
Praef. §. XII.

Auditores Rotae Ro.  
qui & quot sint? I, 109 \* quomodo introducantur?  
eod.

Augustana Confessio  
& illius Apologia sunt libri symbolici Euangelicorum I,  
116. 2. 3. \*\* \*\*\*

Augustinus  
peculiarem regulam clero an praescripserit? I, 476 \*

Azymorum  
in sacra coena vsus necessitatem I, 657. impugnavit Dal-  
laeus 657 \*

### B.

Balistarum  
vsus prohibitus II, 321. 6

Banna nuptialia  
v. Proclamatio

Baptismi  
descriptio I, 636. forma & sollemnitas 640. minister 641.  
effectus 642  
reiteratio delictum est 635. 7. 642. 3 & \*

Bapti-

## INDEX II.

---

- Baptisteria  
quando sint exstructa I, 640 \*\*\*\*\*  
Baptizandi  
quinam sint? I, 638
- Belgica Confessio  
est liber Reformatorum symbolicus I, 117. 4. 118. 1  
Benedictionis sacerdotalis  
natales & necessitas I, 738. \* apud Protestantes 752. 9  
Benedictus  
an 3. votorum auctor sit? I, 491
- Beneficiorum  
natura I, 857. divisiones 858. origo 857 \* Synonyma  
858 \* indoles 860. maioritas 861
- Beneficiorum collatio  
v. Collat. benef.  
Beneficiorum collator  
ordinarius quis sit? I, 869
- Beneficiorum erectio  
variis sit modis I, 862. semper tamen auctoritate superioris 863. & apud Protestantes principis 864
- Beneficiorum maiorum  
criteria I, 861. 4
- Beneficiorum onera  
inter Pontificios I, 813 seqq. inter Protestantes 921
- Beneficiorum permutatio  
equirit auctoritatem collatoris I, 375
- Beneficiorum pluralitas  
prohibita I, 860. nisi apud Pontificios accedat dispensatio  
929. quae tamen nobis incognita 930
- Beneficiorum vacantium  
descriptio I, 870. 2. quae in Curia Ro. vacantia dicantur?  
906
- Biblia  
quare & quatenus faciant legem ecclesiasticam I, 102.  
communem in Germania 123

Bigamus

## INDEX II.

### Bigamus

irregularis est I, 179. 8

### Bonorum ecclesiasticorum

natura I, 832. origo \* dominium 834

administratio apud Pontificios 835. Protestantes 841

immunitates apud Pontificios 838. Protestantes 841

### Bonorum ecclesiasticorum alienatio

quando prohibita? I, 836. quando permessa 837

quid circa eam iuris in terris Protestantium 840

### Brandenburgicae Confessiones

ad particularia Reformatorum symbola pertinent I, 117

### Breuia

quomodo differant a Bullis I, 105 \*\*

### Bulla

quid & quomodo differat a Breuibus? I, 105 \*\*

### Bullarii

editio nouissima quae? I, 105 \*\*

### Burchardi

collectio canonum. Praef. §. XV.

### Buß-Tag

I, 807.

## C.

### Caelibatus

clericorum origo I, 210 \* lex 213. quam euangelici statim a reformationis tempore non obseruarunt 216 \*

poenae natales I, 736 \* Vfus inter Protestantes 752. 6

### Caelibes

regulariter ad ordines sacros sunt admouendi I, 213. I.

### Calendarii

curam gerunt principes nostri I, 621. I I

### Calicis eucharistici

fata I, 639 \*\*

### Calumniatores

falsariis annumerandi sunt II, 324

Campa-

## INDEX II.

---

### Campanarum

baptismus I, 611 \*\* consecratio 799  
pulsus ad ecclesiam vocat populum 611 \*\*

### Cancellaria Pontificis

quas causas tractet, quasque obseruet regulas I, 109 \*\*\*  
Canon.

Canonum nomen I, 470. apostolicorum suppositio. Praef.  
s. VI. \* conciliorum collectiones s. XIII.

### Canoniae

dicuntur beneficia I, 858 \*

### Canonicatus

dicuntur beneficia I, 858 \*

### Canonicorum

nominis fata I, 470. seqq.

uiuendi ratio, ex formula Chrodogangi I, 471. deserta  
disciplina veteri 475. & vbi abierint in monasteria 473  
classes I, 871. 5. collegium 485. dignitas 483. officia  
tam communia quam propria 481. stipendia 482. su-  
periores 484

status & iura inter Protestantes 486

### Canonicorum regularium

natales I, 475. descriptio 476. status perfectior 480

### Canonicorum secularium

natales I, 475. descriptio 477. status clericalis 479

### Canonissarum

status & iura I, 520

### Canonizatio

quid sit? I, 804. quibusque fiat ritibus? 805

### Cantus latinus

vbi introductus est, laici horas precatorias sollemnes de-  
seruerunt I, 481 \*

### Capellarum

iura ex oratoriis fluunt I, 87 \*\*\*

### Capitulares

• Canonicis differunt hodie I, 480\* 481. 7



## INDEX II.

### Capitulationum

descriptio I, 331. contenta 332. vsus inter Protestantes 336

### Capituli

descriptio I, 389. varii significatus 485  
ecclesiae cathedralis potestas, Episcopo viuo I, 331. sede vacante 391. seq. sede in totum impedita 395. seqq. quod ad iura ordinis 398. iurisdictionis 399. L. Dioecessanae 399. 4. dignitatis 399. 5. quae aliter se habent sede secundum quid impedita 400  
ecclesiae collegiatae potestas Decano sublato I, 401  
ecclesiarum in Episcopatibus secularifatis iura 402

### Cardinalium

descriptio I, 288. dignitas 290. 5. electio 290. 1. 2. 291. 2. nominis ratio & natales 288 \* numerus 291. 1. potestas 290. 3. 291. 5

### Carthusiani

propriis vtuntur constitutionibus I, 502. 3

### Castitatis votum

quatenus nuptiis impedimento sit I, 736. 5

### Catechetarum

constitutio laudanda est I, 187 \*

### Catechismus

Lutheri est liber symbolicus inter Euangelicos I, 116. & \*  
Palatinus siue Heidelbergensis inter Reformatos I, 118  
Romanus inter Pontificios I, 113. & \*\*\*

### Catechumeni

qui dicantur? I, 638. 5

### Cathedraticum

debetur episcopo I, 914

### Causae

quo ordine sint tractandae praeiudiciales & incidentes  
principalem contingentes II, 101 non contingentes ciuiles 102. criminales 103

### Causae summariae

quae dicantur II, 264

Censura

## INDEX II.

---

### Censura ecclesiastica

quid & quomodo a poena differat II, 356

### Censura librorum

ad quem spectet II, 313

### Census

est annua pensio in varium finem praestita I, 914. debetur & ordinarius 914. & extraordinarius episcopo 919. alius patrono 920

### Charitativum

debetur episcopo I, 916

### Chor-Episcopi

veri ab initio fuerunt Episcopi I, 434. sed varia perpeffi fata \* facti sunt Episcoporum ciuitatensium Vicarii 435. & denique plane desierunt 436

### Christus

non tulit leges, Praef. §. IV. obseruauit ritus iudaicos. *ib.* nullam instituit hierarchiam *ib.*

### Christianismi

finis, licet spiritualis sit I, 59 \* tamen non excludit paedagogiam 60

### Christianorum

distinctio in clericos & laicos monstrosa est I, 25. 4

### Chrodogangus

monasticam disciplinam inter canonicos introduxit 471 \* fauente Carolo M. \*\*

### Circuitores

qui I, 437

### Citatio

quomodo describatur? II, 32. diuidatur? 33. a quo 35. & quomodo decernatur? 36. ad quos dirigatur? 37. quid efficiat? 38. quae litis pendentiam inducat? 134

### Citatis

deliberatoria dilatio indulgenda est II, 91

### Clauium

potestas diuersimode accipitur I, 398 \*

Clauſa

## INDEX II.

### Clausa tempora

quae sint ex dispositione I. Can. I, 737. 8. Conc. Trid. 737. \*

Quid circa ea iustum sit in terris Protestantium I, 752. 7.

### Clementinae

Praef. §. XVIII.

### Clericatus

differt ab ordine I, 201

ad eum alii plane non, alii non nisi dispensatione impetrata admittuntur I, 179. 180.

Qua ratione adoptio fiat apud Pontificios 173. apud Evangelicos 190

### Clerici

definiuntur I, 153. dicuntur fors domini 156. constituti sunt in dignitate 157. constituunt ecclesiam 158. sunt vel in sacerdotio vel in ministerio 166. ascendunt per interstitia 174. adsumuntur cum scrutinio 178

Officium privatum recitare 612. 3. sancte & honeste vivere 562. adeoque habitu decoro 564. speciatim nigro vti \* & a cohabitatione cum mulieribus 562 \* atque negotiatione personali 563. licet non reali abstinere debent 563. \*

Gaudent singularibus iuribus quod ad personam 587. quod ad res. 588. etiam inter Protestantes 590.

An & quatenus testamentum condant 958

An & quatenus iis olim successum fuerit 954. \* & succedatur hodie in peculio 956. in patrimonialibus 957

### Clericorum graduum

differentia apud Pontif. I, 172. apud Evangelicos 189

### Clericorum subordinatio

inter Pontificios I, 171. Inter Protestantes 188

### Clericus non canonicus.

quis fuerit I, 470. \*

### Eloster Jahr

I, 479. \*

(P)

Coad-

## INDEX II.

### Coadiutoriae

natales & fata I, 409 \*

### Coadiutoris

antiqui I, 410. & hodierni descriptio 411

### Coadiutoris irregularis

constitutio fit ad successionem I, 413. ab illis, ad quos electio vel postulatio iure pertinet 414.

An hoc etiam in Protestantium beneficiis immediatis 416. mediatisque obtineat 417

### Coadiutoris regularis

constitutio an adhuc apud Pontificios I, 418. & Protestantes in usu fit 219

### Codex canonum

ecclesiae vniuersae. Praef. §. XII. Orientalis §. XIV.

### Coemeterium

quid sit? ex principiis pontificiorum I, 821. genuinis 829. quomodo erigatur? 823. quid circa illud iustum sit? 830

### Cognatio carnalis

quae? I, 740. an & quatenus ratione consanguinitatis 753 & affinitatis attendatur 754

### Cognatio legalis

quae? I, 740. quousque nuptiis in impedimento fit apud Pontificios 746. Protestantes 755

### Cognatio spiritualis

quae? I, 739. an sola ecclesiae auctoritate introducta sit? 739 \* an dirimat matrimonium contractum 739 †

### Cognitionum ordo

describitur II, 99

### Cohabitatio

clericorum & mulierum I, 562 \*

### Coitionum

christianarum origo I, 354

### Collatio beneficiorum

quae sit? I, 866. & quotuplex? 867

quando

## INDEX II.

quando 870. & quomodo fieri debeat ordinaria §71. extraordinaria 908

quando fieri possit a curia Romana 906

Collator beneficiorum

ordinarius est Episcopus I, 869

Collegium

quid? I, 50. & quibus gaudeat iuribus 51

Collegium publicum & priuatum

vnde dicantur I, 581 \*

Collusio

poena ecclesiastica digna censetur II, 324

ad Comitia

recurritur in causis religionem concernentibus I, 28 \*

Commenda

quid fuerit olim? I, 932. quid sit hodie? 933

quotuplex? 934. seq.

Quis vsus commendarum inter Protestantes 936

Communions ecclesiasticae

denegatio I, 825. \*\* pristinum signum 825 \*

Communio sub vna

quando inualuerit I, 653 \*\*

Compromissum

quid sit? I, 301. qua ratione iniri debeat 302

Compulsoriales

literae quae sint? II, 228

Compurgatores

in purgatione adhiberi soliti II, 390. 5

Computationis

graduum regulae I, 743. earumque origo 743 \*

Conciliorum

collectiones. Praef. §. XXVI. I, 104. \*

Epitomatores Praef. §. XXVII.

sanctiones quando vniuersalem, quando particularem faciant legem I, 104. 112

studium prodest legum ecclesiasticarum studioso I, 104 \*

## INDEX II.

**Concilium Oecumenicum**  
facit legem in Germania communem I, 125

### Conclusa

Corporis Catholici I, 114. Evangelici 121

### Concordata nationis Germanicae

an & quatenus legem communem faciant in Germania  
I, 129

### Confessio

Augustana, Belgica, Brandenburgica, Gallicana, Helue-  
tica, Tetrapolitana v. A. B. B. G. H. T.

### Confessio extraiudicialis

cur effectu destituatur, causa deest II, 144 \*

### Confessio iudicialis

quid sit? II, 141. & quomodo diuidatur? 142

quatenus auctorem suum oneret? 144. quosque produ-  
cat effectus? 145

### Confessio paschalis

coram proprio sacerdote fieri debet I, 656 \*\*

### Confessionis priuatae

inter Protestantes ratio I, 681. descriptio 682. necessi-  
tas 684. minister 685. sigillum 686. huiusque genuina  
ratio 686 \*

### Confirmatio actuum quorundam

quid sit? II, 256. & quotuplex? 257.

Fit vel a principe vel a iudice 259. vel cum vel sine caus-  
sae cognitione 260. & sic non eosdem semper producit  
effectus 261

### Confirmatio baptizatorum

olim fuit accessorium baptismi I, 643. \* hodie est sacra-  
mentum 644. necessarium 646. sollempniter admini-  
strandum 647. quod tamen Protestantes negant 648. sq.

### Confirmatio Praelatorum

hodie spectant ad Pontificem I, 325. \* nec ab illius le-  
gatis a latere in Germania peragi potest 456 \*

quid sit? 326. qualem cognitionem causae requirat? 329.  
intra quod tempus perenda sit? 328. quid efficiat? 330.

Apud

## INDEX II.

Apud Euangelicos cessat, vbi Praelati sunt immediati 333.  
non vero, vbi sunt mediati 334

### Coniugale debitum

quandoque exigi nequit 1, 748

### Coniugium

quando dissolui possit? 1, 765

### Confanguinitas

quid? 1, 740. quousque se extendat? 744. 21

### Conscientia

omne respuit imperium II, 329

### Consecratio ecclesiarum

quid? 1, 789. cur, quando, a quo 790. & quem in finem  
fulcipiatur 791

### Consecratio Episcoporum

quid sit? 1, 338. an possit negligi? 341. quid operetur?  
340. 344. 5. a quo facta sit olim? 342. cuius auctori-  
tate 342. \* & quibus sollempnibus fiat hodie? 343. seq.  
Cessat inter Protestantes 345

### Consistoriorum

origo & potestas II, 5. quae Euangelici in terris catholi-  
corum habent, immutabilitas I, 97. 4. & iura 97 \*\*\*

### Constitutiones apostolicae

sunt supposititiae. Praef. §. VI. \*

### Constitutiones Pontificum

faciunt suo modo legem vniuersalem I, 105. & \* conti-  
nentur in Bullario M. 105 \*\*

### Consuetudo

describitur I, 134. est facti 136

quatenus inoleseat? I, 137. quae rationi sit aduersa? 137. 2.  
quid efficiat? 138

### Contumaciae

descriptio II, 119. diuisio 120. poena 123. purgatio  
124

### Contumax

quis? II, 122

## INDEX II.

---

### Conuentuales

apud Euangelicos nullis adstringuntur votis I, 507

### Conuersatio clericorum

cum mulieribus suspecta est I, 562 \*

### Conuerti

quis dicatur? I, 480. 488 \*

### Corporale

quid? I, 643. 5

### Cresconii

breniarium canonum. Praef. §. XIII.

### Crimina

clericorum II, 328. seq. ecclesiastica II, 267. 7

quomodo de iis agatur 332

### Criminosus

testis esse nequit II, 160. d

### Cultus diuini

externi ratio I, 619

### Cumulatio

possessorii & petitorii quousque fieri possit? II, 110

### Curatus

quis? I, 459. quibus olim vocatus sit nominibus 459 \*

### in Curia Ro.

quae vacent beneficia? I, 906

## D.

### Dataria

quid? I, 109 \*\*

### Decanissa

praeest Canonissis I, 520. 5

### Decanus

idem est ac Archipresbyter I, 432 \*

inter Protestantes vices Superintendentis peragit 433

### Decanus canonicorum

in hos inspicit I, 484. \*\* & ex gremio capituli eligitur  
484. 3

Deci-



## INDEX II.

### Decimarum

quae rebus mixtis annumerantur I, 842. definitio 843.  
fata 843. \* variae diuisiones 844  
possessio 846. & praescriptio negatur laicis 848  
solutio est onus beneficii 914  
exemptionis priuilegia sunt strictissimae interpretationis  
§47. 6.  
v. fus inter Protestantes 854

### Decimarum personalium

solutio vbi & quomodo fiat I, 847. I. & II

### Decimarum secularium

possessio laicis non denegatur I, 849

### Decreta eligibilitatis

indulget Pontifex I, 317. 3

### Decretalium

libri V. quando compilati. Praef. §. XVII. liber VI. com-  
pilatus est a Bonifacio VIII. §. XVIII. liber VII. priua-  
ta auctoritate §. XIX.  
auctoritas in Germania. Praef. §. XXI.

### Decreti

auctoritas in Germania. Praef. §. XX.

### Degradatio

quid? I, 387

### Delatio iurisiurandi

#### v. iusiurandum

### Delegati

iudicis ordinarii, an subdelegandi facultate gaudeant II, 15.  
pontificis, quando inualuerint II, 16. \* in dignitate de-  
bent esse constituti 16  
quinam 19. & quomodo delegeantur 17. quatenus cogi  
possint 18. in quo eorum consistat potestas 20. & quan-  
do cesset officium 21

### Delictum

quid? II, 266. quotuplex 267  
quoduis olim Episcopi sub suam vocarunt censuram 267. I.

## INDEX II.

Divisionem delictorum in secularia & ecclesiastica Protestantes quoque probant 269

### Denuntiatio

II, 345.\*

### Deportus

ius cui competat I, 917

### Depositio Episcoporum

v. Episc.

### Deuolutio

quid? I, 307. quando obtineat 309. quid alias significet? 901

### Deus

qua ratione colendus sit? I, 617

### Diaconorum

origo I, 217.\* descriptio 223. ordinatio 226. status & officium 225. 226 \*

officium inter Protestantes alicubi in cura pauperum 227. plerumque in ministerio verbi consistit 228

### Dignitas

quid? I, 861. 2

### Dignitatum Academ.

collatio I, 583

### Dilatio

quae? II, 88. quotuplex? 89

deliberatoria cuiuslibet citato indulgenda 91. sed vt plurimum arbitraria est 92

### Dilatoria Exceptio

v. Exceptio

### Dimissoriales literas

accipit transferendus I, 370. 1

### Dioecesano

ius circa sacra apud Pontificios competit I, 96

### Dioecesium

natales I, 359. descriptio 360

Dionysii

## INDEX II.

---

### Dionysii

collectio canonum. Praef. §. XIII.

### Dismembratio

ecclesiarum quid? I, 947

### circa Disparagia

quid iustum sit apud Pontificios I, 748. 6. apud Prote-  
stantes 757

### Dispensatio

circa gradus prohibitos quid? I, 747. 39. quando 747 β)  
& quomodo fieri solet 747 ζ) quos producat effectus  
747 \*)

### Distributiones quotidianae

quibus obuenerint I, 482. 2

### Diuortii

definitio I, 760. diuisio 761. huiusque Auctor \* iudex  
763

quoad thorum 764. quoad vinculum causae 765

ex mente protestantium definitio 768. causae 766 \* 771.  
seq. iudex 774. effectus 775

### Doctorem in Academiis

privilegia I, 582

### Doctorem in Ecclesia

descriptio I, 162. necessitas 163

### Doctrina publica

a principe potest determinari I, 85. 7. non vero ad de-  
terminatam dirigere conceptus ciuium 23. 3

### Doctrina purior

gladio & armis haud est propaganda I, 23

### Domus Herrn

qui sint? I, 480 \*

### Domus Herrn-Löwe

quando exstructae sint I, 482. 7

### Domini litis

effecta II, 67

Domus

## INDEX II.

### Domus religiosae

describuntur I, 811. varii sunt generis 812. subsunt Episcopo 814. nisi sint laicales 815. aut speciali privilegio exemptae 816

apud Protestantas principis auctoritate exstruuntur 817. qui quoque earum conseruationem curat 819

### Dordracenae synodi

canones & decreta ad symbola Reformatorum generalia pertinent I, 118. 3

### Dotales

I, 590. 5

### Duella

cur delictis annumerentur II, 321

### Duplicatio

quid? II, 200.

## E.

### Ecclesia

varia in sacris significat literis I, 8

### Ecclesia

ex mente Romanensium

est respublica I, 2. sub Episcopo Oecumenico ita viuens 4. vt a republica non dependeat 5. a qua sententia quidam Protestantium omnino non recedunt 7 \*

non sinit sanguinem I, 179 \* libera est, sed diuersimode. 5 \*

### Ecclesia

ex mente Euangelicorum

est societas aequalis I, 18. 19 \* & imperii experta 21. sicuti fuit Apostolorum tempore 17. constans ex doctoribus & auditoribus 25

respuit coactionem I, 16. supremum scripturae interpretem atque iudicem Oecumenicum 17

est collegium in republica I, 22. quod indiget legibus 49. sua gaudet libertate 22. 8 & suo modo subest principi 22. 11.

### Ecclesia

## INDEX II.

### Ecclesia cathedralis

quando sit distincta a parochiali I, 357

### Ecclesia catholica & vera

quae sit? I, 9. an vlla societas externa vocari possit 12. 3<sup>o</sup>

### Ecclesiarum collegiatarum

origo I, 472

### Ecclesiarum conuentualium

origo I, 787 \*\*

### Ecclesia filia

quae dicatur? I, 943

### Ecclesia mater

quae sit? I, 943

### Ecclesiae parochiales

quando distinctae sint a cathedralibus I, 357

### Ecclesia priuata

quae sit? I, 31. quotuplex? 39

quae toleratur, gaudet quibusdam effectibus ciuilibus 41

### Ecclesia publica

quae sit? I, 31. 34 an sit necessaria? 38. qua dirigatur auctoritate? 36. quibus gaudeat iuribus? 37

### Ecclesiae Romanae

obseruantia constituit legem I, 107. ordo 107. \*

### v. Rom. Eccl.

### Ecclesia visibilis

habet admixtos impuros I, 24

### Ecclesiarum consecrationis

definitio I, 789. natales 789 \* causae, modus & tempus 790. effectus 791

### Ecclesiarum dismembratio

### v. Dismembr.

### Ecclesiarum exstructionis

causae I, 787. lex 787. \*\*\*\* auctor & solemnitates 788

### Ecclesiarum immunitas

quid sit? I, 792, unde fluat & quomodo violetur s. eod.

Eccle-

## INDEX II.

### Ecclesiarum resectio

olim ex quarta fabricae facta est I, 913 \* hodie quodammodo est onus beneficii 913. quandoque incumbit patronis & parochianis 788. 4

### Ecclesiarum sanctitas

quotuplex I, 792. \* quae sit ex principiis protestantium 794. seq.

### Ecclesiarum secularisatio

I, 788 \*

### Ecclesiarum unio

v. Unio

### de Ecclesiastici regiminis

forma quaerere insipidum est. Praet. §. 1X.

### Electio.

quid sit? I, 293. a quibus 296. qua ratione 298. ubi 305. & quando fiat? 306

### Electio pastorum

in ecclesiis Protestantium I, 311. & \* confirmanda est a principe 335

### Eleemosynis

redimuntur vota I, 500

### Eligendorum

qualitates I, 295 in Germania 290

### Eligentium

fata I, 293 \*\*

### Emigratio

nullam includere debet poenam I, 44. 12 aut iniungi, ubi pacta tolerandi imponunt necessitatem 85. 9

### Episcopatus

fons omnium ordinum I, 168

### Episcopatum

*dismembratio*, translatio, unio fieri debet pontificis auctoritate, & eorum, quorum interest, consensu I, 363

immediatorum mutatio apud Protestantes fieri nequit, nisi ex imperii sententia 364

*erectio*

## INDEX II.

*erectio* vnde fluxerit I, 361. qua ratione & quo tempore ad pontificis arbitrium delata fuerit 362

### Episcopi

quando orti I, 24e. quibus vocentur nominibus 243 \*  
ferunt leges particulares 112

### Episcopi adfistentes

qui? I, 342. 4

### Episcopus consecrator

I, 342. 4

### Episcopus Hostiensis

consecrat Pontificem I, 342. 5

### Episcoporum

descriptio I, 243. potestas 244. iura ordinis 246. iurisdictionis 247. legis dioeclesanae 248 status & dignitates 249

potestas circa liturgiam I, 615. ferendi leges Praef. XII.

depositio ad quem olim pertinuerit I, 384 \*

subordinationis origo I, 264. progressus 265

### Episcoporum nomine talium

origo I, 403. descriptio 404. spirituale matrimonium

405. seq. cura in supplenda aliorum Episcoporum munere

408. varia nomina 408 \*

### Episcoporum Protestantium

potestas non consistit in exercendis ordinis I, 251. sed iurisdictionis 252. legis dioeclesanae 253. status & dignitatis iuribus 254

### Eremitarum

descriptio I, 509. status. 510

### Error

imputatur erranti I, 735 \*\*

### Eucharistiae

descriptio I, 650. symbola 652. I. synonyma 650 \*

symbolorum consecrationem, cui non Christus 651 \* sed

patrum imprudentia frausque Urbani II. dederunt causam

651 \*\* peragunt sacerdotes 654

fruitio quibus denegetur 655

Eucha-

## INDEX II.

Eucharistia semel tantum in die sumi potest 656. 7  
& a laicis paschatos tempore, a monachis vero singulis men-  
sibus sumi debet 656. 4

Euangelici varia pontificiorum principia reiiciunt I, 658  
sed principiata non pauca retinent 659. 660

### Euangelici

v. Protestantes

### Eunuchorum

nuptias admittunt Protestantes I, 751

### Exarchi

qui? I, 270

### Exceptio

quid? II, 191. quotuplex 192

### Exceptiones dilatoriae

quae opponi possint *a)* ob iudicem II, 193 *β)* litigantes  
194. *γ)* modum actionis 195

quando opponi debeant 198

### Exceptiones peremptoriae

quae sint? II, 196 & quando opponantur? 199

### Excessus

clericorum sunt delicta II, 328

### Excommunicatio

quid sit? II, 359. & quotuplex 360 unde nata 359 \*  
quis eam pronuntiet 363. quis ea notari possit 362. quid  
pronuntiata efficiat 365 ex mente Protest. 367. seq.

### Excommunicatio canonis

sive latae sententiae quae? II, 364

### Excommunicationis minoris

antiquitas I, 655 \*

### Excommunicatus

patrinus I, 639 *δ* & \*\*\*\* testis esse nequit 160 *ρ*

### Excommunicatus clericus

sacra administraus delinquit II, 328. 4.

### Exorcismi

bini requiruntur in baptismo I, 640 \*

Exor.



## INDEX II.

---

### Exorcistae

munus & constitutio I, 205

### Expositio infantum

habetur homicidium II, 321

### Exsequutio

sententiae II, 217

### Expectatiua

quid? I, 907 quotuplex? 907 ordinarii collatoris 909

### Extrauagantes

Praef. §. XVIII.

## F.

### Falsum

est crimen II, 324

### Femina

an baptizare possit I, 641 \*\*

### Feriae

quomodo describendae II, 93. diuidendae 94. a quo indicantur 96. quid agere permittant diuinae 97. humanae 98

### Ferrandi

breuiatio canonum. Praef. § XIII.

### Festos dies

non instituerunt apostoli I, 614. \*

Pro eorum varietate variat officium 600

### Fidei res

nec visibile caput nec visibilem iudicem habere possunt I, 12. 6

Omnis disputatio de fide negatur laicis II, 300. I

### Fidelium

diuisio quae fuerit in primitiua ecclesia I, 161. quae sit in I. Pont. 161 \*

### Flumina

olim locum baptismi constituebant I, 640 \*\*\*\*\*

### Formula Concordiae

est liber Euangelicorum symbolicus I, 116. & ††

For-

## INDEX II.

---

### Fornicationem

poena ecclesiastica manet II, 322

### Forum

competens II, 23. continentiae causarum 28. contractus 25. delicti 26. domicilii 24. internum & externum 267-331. privilegiatum intuitu causae 29. intuitu personarum 30. prorogatae iurisdictionis 28. rei sitae 27

### ius Fraternitatis

fidelium I, 655. Monachorum 503

### Fratres

olim se inuicem nominabant omnes Christiani I, 293. \*  
hodie papa vocat consecratos episcopos 344. §

### Furtum

quid II, 323

## G.

### Gallicana Confessio

est liber Reformatorem symbolicus particularis I, 117

### Gradus

quid sint? I, 741 quomodo computentur 743

### Gradus prohibiti

quinam sint, & quando admittant dispensationem ap. Pontificios I, 747. apud Protestantibus 756

### Gratiani

Concordantia discordantium Canonum Praef. §. XVI.

## H.

### Habiles

ad beneficium qui sint? I, 897. seq.

### Haeresis

quid? II, 292. quomodo diuidatur? 294

crimen dicitur Iure Canonico II, 297. non vero iure ecclesiastico Protestantium 304. praxi tamen dissentiente 306

### Haereticus

quis sit II, 292. & quae illius qualitates 293

media

## INDEX II.

media contra hæreticos adhiberi solita 300  
quibus poenis adficiantur hæretici 301. seqq.  
hæreticus neque beneficium acquirere I, 898. neque pa-  
trinus I, 639. . \*\*\* aut testis esse potest II, 160. \*

### Haeretificii

crimen II, 329, 314

### Heluetica Confessio

est liber Reformatorum symbolicus particularis I, 117

### Heterodoxia

Protestantibus in Capitulis mixtis obiici nequit I, 297 \*\*

### Heterodoxus

in Germania est, qui nullam ex formulis adprobatis accipit  
I, 43. 9

tolerari potest saluo Instrumento Pacis I, 43 \*\*\*

### Hierarchiae

prima fundamenta. Praef §. X.

### Hierologia

v. Bened. sacerd.

### Homicidium

quotuplex II, 321

### Honestatis vitae

descriptio I, 559. diuisio 560

### Horarum canonicarum

origo & restrictio ad clericos monachosque I, 481 \*

### Hospitaliariorum Equitum

origo I, 523. fata 524. distributio in VIII. nationes  
529. 5 senatus 529. 8

### Hostiae consecratae

adoratio, eleuatio &c. quando inualuerint I, 653 \*

## I.

### a Ieiuniis

quid peragi debeat I, 809

### Ieiunii

definitio I, 806. diuisio 807. iura 808

(Q)

Igno-

## INDEX II.

### Ignobiles

in Germania inhabiles sunt ad capitula I, 898

### Imperium in conscientias

est delictum clericale II, 329

### inter Imperium

& sacerdotium contentiones I, 5 \*\*

### Incestus

poena ecclesiastica luendus est II, 322

### Indulgentiae

qua occasione natae sint I, 690

quid sint hodie 691. quidque olim fuerint 691 \*

a quo I, 693. qua ratione 694. & quibus ex causis concedantur 695

quid significant inter Protestantes 696

### Infideles

qui dicantur II, 285. a quo tolerantiam impetrare debeant

289. quo in statu sint, ubi tolerantur 288

### Infidelitas

crimen constituit ex Pontificiorum II, 287. non vero ex Protestantium sententia 290

### Inhibitio

in adpellatione quid? II, 227

### Iniuriam

clericis illatam grauis poena manet I, 590. 16

### Inquisitionis

descriptio II, 341. origo & fata 341. \* diuisio 342. iudex competens 344. instituendae requisita 345. forma 346. effectus 347.

### Inspectores \*

qui I, 438

### Inspirationis

descriptio I, 303. praetextus 303. \* requisita 304

### Institutio

generalis I, 886. \* realis 893. specialis 886. verbalis 892

quis eam peragat I, 888. 894. ad cuius instantiam 889  
peracta

## INDEX II.

---

peracta quid efficiat 890

Praxis Protestantium 895

### Instrumentorum

descriptio II, 166. diuisio 167. productio 172. amissio 173. vitia 173

### Instrumentorum priuatorum

natura II, 168. effectus 171

### Instrumentorum publicorum

natura II, 167. effectus 170

### Instrumentum Pacis Guesphalicae

est lex Protestantium generalis I, 120

### Intentio

quatenus in baptizante requiratur I, 641 \*\*\*

### Interdicta Ecclesiae

quae dicantur I, 737. 9 an contra ea contracta matrimonia apud Protestantes sint nulla 752. 8.

### Interdicti

natura II, 369. origo 369. \* diuisio 370. iura apud Pontificios 371. apud Protestantes 372

### Interdictus clericus

sacra administrans delinquit II, 328

### Interloquutio

quid II, 210

### Interpretatio

quid I, 68. quotuplex 69

### Interstitia

quid significant I, 174. quibus eorum inter Protestantes usus 191

### Inuestitura

abusiuu I, 892 \*

### Ioannis Antiocheni

Concordantia canonum Praef. §. XIII.

### Irregularitatis

origo I, 175. descriptio 176. usus inter Protestantes 192

(Q) 2

lfi.

## INDEX II.

---

### Isidori

Collectio canonum Praef. §. XIV.

### Iudaei

sunt criminis ecclesiastici rei II, 285. tolerandi 287. sed caute 290. a quo 289

### Iudex

quis II, 11. quotuplex 12.

accusationis 335. competens 22. delegatus iudicis ordinarii 15. pontificis 16. iudex inquisitionis 344. ordinarius 12. illiusque potestas 14

omnis potest recusari 247

qualis sententiam dicat 212

### Iudicati

actio & exsequutio II, 217

### Iudicii

definitio II, 7. divisiones 8. 9

### Iudicij extraordinarii

natura II, 9. forma 263. obiectum 264

### Iuonis

collectio canonum Praef. §. XV.

### Iurisdictionis eccl.

natura II, 2. nomen \* origo II, 3. indoles inter Protestantes 4

an & quatenus statibus catholicis ea competat in ciues evangelicos I, 97

### Iurisprudentia ecclesiastica

quid I, 67

### Ius

Iuris Canonici historiae scriptores Praef. §. III. complexus I, 110. fata in Germania Praef. §. XXII. Subsidia XXV. Vfus inter Protestantes XXIII, seq.

Ius Romanum I, 110.

Ius deuolutionis, liturgicum, patronatus, reformandi. v. deu. liturg. patron. reform.

### Ius circa sacra

Iuris circa sacra maiestatici fons naturalis I, 81. iuxta le-

## INDEX II.

ges publicas Germaniae 95. vindices 81. \* descriptio 82  
Iurium circa sacra collegialium definitio I, 88. species 89  
translatio in principes 90. exercitium 92. finis 93

### Iusiurandum

quid sit? II, 174. quomodo diuidi solet 175  
a quibus 177. quomodo 178. de quibus rebus 179. &  
qua formula, quibusque sollemnitatibus praestetur 180

#### Iusiurandum calumniae

quid sit II, 82. & quotuplex 83  
quando 85. a quibus & in quibus causis sit praestandum 86  
quinam ab huius praestatione sint immunes 87

#### Iusiurandum iudiciale

quid sit II, 184. a quibus & super quo deferatur 185  
delatum aut praestandum aut referendum est 186

#### Iusiurandum necessarium

quid sit II, 187. quando purgatorium, quando suppleto-  
rium deferatur 188

#### Iusiurandum obedientiae

vnde natales sumserit I, 344 \*

#### Iusiurandum perhorrescentiae

praestans quid iuret II, 250

#### Iusiurandum religionis

exigendum non est II, 313. 13

#### Iusiurandum Simoniae

II, 283. 7

#### Iusiurandum voluntarium

quid sit II, 181. a quo & quomodo deferatur 182. quid  
praestitum efficiat 183

## L.

### Laici

qui dicantur I, 154. olim administrarunt sacram coenam  
159 \* hodie vero sunt inhabiles ad beneficia I, 898. & ad  
omne regimen ecclesiae 159

### Lancelloti

Institutiones Iuris Canonici. Praef. s. XIX.

(Q) 3

Lapsi

## Lapſi

II, 315 \*

## Lectoris

munus &amp; constitutio I, 204

## Legatorum

natales I, 448. \* descriptio 449. diuisio 450. potestas maior ea, quam confert pallium 451. \* insignia 455

a latere qui dicantur I, 453. quae eorum sit potestas 456

Legati missi qui sint 452

Legati nati qui sint 451. an praesentibus missis officio suo fungi possint 455 \*\*

## Legatorum ad pias causas

priuilegia I, 963

## in Lehr- Wehr- und Nehr- Stand

ex errore diuiditur ecclesia I, 25. I

## Lex

quid I, 47. quomodo differat a praeceptis, dogmate &amp;c. 47 \*

## Lex diuina

in eo differt ab humana, vt mutationis experta sit I, 75. 4

## Lex diuina Leu. XII. XX.

est noua I, 747. \* prohibens personas non gradus 747 \*\*

## Lex ecclesiastica

Legum ecclesiasticarum *definitio* ex mente pontificiorum I, 72. *differentia* a ciuilibus 77. *finis* apud Catholicos I, 56. est dominatus sacer & bonorum adfluentia 57. apud Protestantas salus ecclesiae 55. seq. *Directio* ex mente Pontificiorum se ad actiones conceptusque extendit 76. contra ex mente Protestantium ad coetum externum tantum 52. non credenda 54Legum eccl. *initia* & progressus. Praef. s. IV. seqq. *latores* apud Pontificios 74. apud Protestantas 84. seqq. *necessitas* 49. *executio* 77

quatenus leges ecclesiasticae sint communia praecepta 75

## Legitimitas liberorum

quid efficiat I, 757

Libelli



## INDEX II.

---

### Libelli

definitio II, 68. diuisio 69. materia & virtutes 72

### Liberi

qui sint legitimi I, 748. qui per subsequens matrimonium legitimi queant 748 \*

### Libri symbolici

Euangelicorum I, 116. Pontificiorum 113. Reformato-  
rum 117

### Librorum

cenfor supremus pontifex est II, 300. 5

### Librorum prohibitorum

lectio interdicta est II, 300. 4. sed sine ratione. 313. 12.

### Lineae

definitio I, 741. diuisio 742

### Lingua

cuiusque gentis sua in Liturgia adhiberi deberet, & olim est  
adhibita I, 611 \*\*\*

### Lis

quando pendere dicatur II, 232

### Litaniae

indicunt principes I, 621. 8

### Litterae dimissoriae

v. dimiss.

### Litis contestationis

natura II, 77. diuisio 79

a quibus & quomodo 80. vbi & quando fiat L. C. 81

### Litis dominii

effecta II, 67

### Litis pendentia

qua citatione producat II, 134. quid efficiat 135

### Liturgiae

significatus iuridicus I, 608. proprius 608. \* diuisio 609

### Liturgia priuata

quodammodo arbitraria I, 612

(Q) 4

Litur-

## INDEX II.

### Liturgia publica

dependet potissimum a consuetudine I, 611. variat quoad dies pro diuersitate decursus annorum 613. administratur lingua latina 611. \*\*\* suisque vestimentis 611 \*\*\*\* quando obtineat, & quid ab ea alienum esse debeat 614

### Liturgici iuris

origo I, 615. determinatio facta reformationis tempore 620. arbitri 621. fontes 620. 3

### Loiolitae

propriis vtuntur constitutionibus I, 502. 3

## M.

### Maioritas

oritur vel ex subordinatione iurisdictionis I, 535. vel ex ratione diuersorum ordinum eccl. 536. vel ex priuilegio 537. vel ex praestantia ordinatoris 537. vel ex tempore, potestate delegata, consuetudine 538

### Maledictum

delictum clericorum II, 328

### Mandati procuratorii

ratio II, 65

### Mandatum de prouidendo

I, 907

### Mansionarii

interiecti sunt inter Diaconos ceterosque clericos inferiores I, 170

### Martini Bracarenfis

Collectio canonum. Praef. s. XIII.

### Martyres

in magna veneratione apud Christianos fuerunt I, 802 \*

### Matrimonii

definitio I, 709. 727. diuisiones 728. 729. commoda 710  
Matrimonium cur dicatur sacramentum 708. & quid inde sequatur 731

Matrimonium contrahi nequit intra tempora clausa I, 737. 8. aut durante interdicto ecclesiae 737. 9

Matrim.

## INDEX II.

Matrim. inire qui cupiunt a) in eo sint statu, vt coire possint I, 732. b) consensum declarent sollempniter in ecclesia 733

quatenus impediatur ob cognationem I, 739. seq. nullum sit ob vim 734. dolum 735. errorem 735. \*\* furorem 735. 22

Matrimonium sacramentum esse negant quidem Evangelici 711. sed multa, quae ex hoc fluunt principio, retinent 749. \* 750

indissolubile esse vnde probare velint 750 \*\*

### v. Nuptiae

#### Matrimonium clandestinum

quid I, 738. 14

#### Matrimonium conscientiae

I, 738. 17

#### Matrimonium liberorum

sine consensu parentum initum annullatur minime I, 733. 3

#### Matrimonium ad Morganaticam

ratum est coniugium I, 738. 18

#### Matrimonium putatiuum

I, 748 a)

#### Metropolitanorum

descriptio I, 267. subordinatio 266. iura, ratione Conciliorum 275. electionum episcopalium 274. episcoporum sibi subiectorum 276

#### Metropolitanorum secundorum

descriptio I, 349. 8

#### Minister ecclesiae

quomodo constituatur I, 190. confirmetur 335  
exigere potest obsequium internum non externum 186

#### Ministerii ecclesiastici

descriptio I, 183. diuisio 200. necessitas 184. \* differentia a ministerio verbi 184

quousque ministerium eccl. accedat ad antiqua 239. hodierna presbyteria 240

## INDEX II.

ad illud qua ratione adoptentur pontificii 173. euangelici 190

### Missae

nomen I, 663. \* descriptio 664. varietas 666. partes essentielles 667

quis 668. quo tempore & modo eam administret 669

Missã apud Protestantes 670. seq.

### Missio

quid II, 126. quatenus fiat ante & post L. C. 128. in reali & personali actione 129. ex primo & secundo decreto 130

### Monachorum

nominis ratio I, 488. \* origo 488. progressus 489. descriptio 492. status antiquus 490. & viuendi ratio a Benedicto introducta 491. status nouus 503. & singulorum priuatus 506. superiores 504. tria vota 506. 3.

Monachi praestationi decimarum subsunt 847. 5

Inter Protestantes ignorantur 507

### Monasteriorum

descriptio I, 814. \* exemptio 816. Catholicorum status in terris Protestantium 818. eorum, quae ad Euangelicos spectant, iura 507

### Monialium

origo I, 511. progressus 512. descriptio 513. diuisio 517. 6. professio 515. custodia 516. sacra 517. subiectio 518.

### Mortuuariorum

quarta debetur Episcopo I, 916

## N.

### Negotia ecclesiastica

quae dicantur I, 605

### Nominatio

quid denotat I, 877. \*

### Notarii

interiecti sunt inter Decanos ceterosque clericos inferiores I, 170

### Nummi

## INDEX II.

### Nummi confessionalis

origo I, 687. \* ius 687

### Nuptiarum

definitio I, 727. diuisio 728. impedimenta 736. 737. 739. solemnitates 738. effectus 748

ex mente Protestantium definitio 749. iura 751. seq.

### v. Matrimonium

### Nuptiarum secundarum

natura I, 777. odium 778. \* ratio apud Pontificios 779. seq. Protestantes 781

## O.

### Obedientia

quid I, 539

### Oblationes

omnes olim fuerunt voluntariae I, 852. per indirectum autem factae sunt necessariae 853

apud Protestantes sunt vel necessariae vel voluntariae 855

liberorum quomodo fiant monasteriis 494

### Oblatorum scholae

cum constitutae fuerint I, 494. 4

### Obligatio

quid I, 48

### Obmann

quis sit II, 51. 5

### Obseruantia ecclesiastica

definitur I, 130. est ad instar legis 112

### Oeconomus

constitutio I, 393

### Officialis

descriptio I, 440. diuisio 441

### Officiorum ecclesiasticorum

origo I, 170

### Officium

quid I, 861. 2. quomodo differat ab ordine 187.

Offici-

## INDEX II.

### Officium sacrum

quid I, 608. dioeceseos 611. Romanum 611. 3. 615. 4

### Ordens Gelder

soluunt Protestantes Canonici I, 486 \*\*

### Ordinandorum

qualitates apud Pontificios I, 547. Protestantes 555

### Ordinarium

cum summario quousque cumulari possit II, III

### Ordinationis

descriptio ex mente Pontificiorum I, 543. Protestantium 551. necessitas 543. \* diuisio 544. minister apud Pontificios 546. apud Protestantes 554. forma 548. effectus 549 reiteratio an admittenda 544 \*

ordinatio Episcopi & Presbyteri an sit vna 246. \*\*\*

Ordinatio est Protestantibus ceremonia indifferens 557

### non Ordinatus

ad certum ministerium, delinquit vbi illud exsequitur II, 328

### Ordines

omnes vnum constituunt sacerdotium I, 706

diuersorum ordinum origo I, 169. distinctio inter Protestantes 186

### Ordines maiores

qui sint I, 186

### Ordines militares.

Eorum origo I, 523. fata 524. descriptio 525. equites sunt clerici 527. qui armis militant carnalibus 528. sub- sunt superiori 529. tenent Praebendas 530

Communia omnium ordinum militarium iura 531

### Ordines minores

qui sint? I, 186

Inter Pontificios hodie sunt rari 207. & eorum officiis funguntur laici 208

Inter Protestantes vix occurrunt 209

### Ordines sacri.

In iis constituti in caelibatu viuere I, 213. titulum habere 214. & precibus litare debent 215

Ordo

## INDEX II.

---

### Ordo

quid? I, 703. quomodo differat ab ordinatione 703. \*  
quam tribuat potestatem 705. an dissoluat nuptias iam  
contractas I, 736. 6

### Ordo ecclesiasticus

qualis fuerit apostolorum tempore. Praef. §. VI. quid sit  
I, 62. & quare necessarius in ecclesia 61  
an 64. quomodo 65. & quem in finem sit determinan-  
dus 66

### Ordo personarum

Ordinis & officii 187. ordinis & clericatus distinctio 201

### Ordo Romanus

I, 107. \*

### Orthodoxia

I, 43. \*

### Ostiariorum

munus & constitutio I, 203

## P.

### Pachomius

auctor vitae caenobiticae I, 489

### Pactum

quid II, 40. nudum etiam producit obligationem 40 \*  
quae pacta sint valida 42

### de Paedobaptismo

variae semper fuerunt contentiones I, 638 \*

### Palea

quid significet. Praef. §. XVI. \*

### Pallium

quid fuerit olim I, 346. \* quid sit hodie 347  
quid conferat 349. 1. seq. cur de corpore Petri sumtum di-  
carur 349. 4. quomodo peti debeant 349. 5. quinam 350.  
ubi & quando utantur eo 351

### Panis-Briefe

I, 952. \*

### Papatus

## INDEX II.

---

### Papatus

est delictum clericale II, 329

### Parentes

an patrini esse possint? I, 639 \*\*

### Parochia

quid olim denotauerit I, 360.

Qua occasione I, 458 \* & quando parochiae ortae sint 355.  
in urbibus 357. ruri 358

### Parochus

quis I, 459. quibus olim vocatus sit nominibus \*

quatenus sit ad instar Episcopi 461. quid illi intra pa-  
rochiam competat 462. quid illi praestandum 463. qualis  
inter illum & parochianos sit relatio 595.

Parochi Protestantium qui sint I, 464. & quae eorum iura  
465

### Parochianus

describitur I, 592. aestimatur ex domicilio 594. se ad Pa-  
rochum refert 595. & quia variis gaudet iuribus 596  
onera quaedam sustinere debet 597

### Paroeci

quinam dicti fuerint I, 458 \*

### Paroecia

quid I, 458 \*

### Parricidium

varie punitur II, 321

### Patchalis dies

I, 613

### Passauiensis transactio

statum mutavit ecclesiasticum in Germania I, 26

### Patriarchae

descriptio I, 271. iura, ratione ordinationis metropolita-  
norum 278. inspectiones per dioecesim 279. per pontifi-  
cem sunt imminuta 280

### Patrinorum

origo I, 639 \* numerus & officium 639

Patro-



## INDEX II.

### Patronatus iuris

descriptio I, 874. diuisio 875. origo & fata 874 \*  
quatenus id in bonis sit 880. cur pretium non recipiat 880.  
10. quibus amittatur modis 881 \*\*  
quid sit 882. & quatenus valeat inter Protestantes 883. seq

### Patroni

descriptio I, 874. \* iura honorifica 881. 1. seq. onerosa  
881. 3. vtilia 881. 2

### Pax

ecclesiastica quo seruetur & ordinaria & extraordinaria  
dantur media I, 28. \*\* religiosa 26. Westphalica s. eod.  
huius auctoritas 128. capita statum ecclesiasticum concer-  
nentia 28. intentio 27

### Peculium clericorum

I, 954

### Pensionum

indoles 922. 924. assignatio 925. Vfus inter Protestan-  
tes 926

### Percussio

est delictum clericorum II, 328

### Peregrini

in Germania inhabiles sunt ad capitula I, 898

### Peremptoriae exceptiones

quae sint II, 196. & quando opponi debeant 199

### Periodenta

quis I, 437.

### Periurium

mixti fori est II, 189. an dici possit omnis cauillatio 178. 3

### Periurus

testis esse nequit II, 160. 7

### Personarum

descriptio I, 151. ecclesiasticarum diuisio 152

### Personatus

quid I, 861. 2

Petitorii

## INDEX II.

---

### Petitorii

natura II, 108. cumlatio cum possessorio 110. illiusque effectus 112

quatenus post possessorium institui possit II, 113

### de Petri

dominatu quid sentiendum. Praef. s.

### Psarr, Amts, Gebühren

quae sint I, 466

### Photii

Nomocanon. Praef. s. XIV.

### Pietas

in monopolium transiit I, 58

### Plebani

olim dicti sunt parochi I, 459 \*

### Plus petitio

quot modis fiat II, 105. quomodo coerceatur I. Can. 106. hodie 107

### Poena

quid II, 349. quotuplex 350. qualis 353. a quo 352. & quibus dicatur 354

### Poenitentiae

descriptio I, 672. diuisio 673. fata 672. \* gradus 678. requisita 679. Vtus inter Protestantes 689

In poenitentia occurrit poena II, 356. an recte 357. & quomodo inter Protestantes 358

### Poenitentiae priuatae

ratio I, 677

### Poenitentiae publicae

descriptio I, 674. diuisio s. eod. modus & effectus 676

### Poenitentiarius presbyter

I, 416. \*

### Polygamiam

& catholici I, 731. 7. & euangelici reprobant 750. 6 licet cum iustitia non pugnet 750. \*

Ponens

## INDEX II.

### Ponens

quis dicatur in Rota Romana I, 109 \*

### Pontifex

variis artibus sibi subiecit Episcopos I, 282. \* arrogat sibi primatum per vniuersum orbem 285. & dominium in terras infidelium II, 287. 3. vindicat sibi ius reliquorum episcoporum potestatem modificandi I, 6. supremam censuram librorum omnium II, 300. 5. cordatoribus tamen pontificiis 300. 6. & euangelicis omnibus contradicentibus I, 287

communibus & propriis vtitur insigniis I, 285 \*

eligitur a Cardinalibus praesentibus I, 286

### *πορεια*

quid I, 770 \*

### Portionis Canonicae

descriptio, diuisio I, 827. origo 827 \*

### Possessorium

quid II, 108. an 108. \* & quousque cum petitorio cumulari possit 110

possessorium ordinarium, summarium III.

### Postulare

quid sit II, 54. qui postulare nequeant 56

### Postulatio Praelatorum

an olim cum electione conuenerit? I, 312. quid sit hodie?

313. quo fiat modo? 315. ad quem dirigatur? 316. quando admittatur? 317. quid admissa operetur? 318.

An & in quantum inter Protestantes obseruetur in immediatis I, 319. & mediatis Praelaturis 320.

Postulatio simplex quid sit? I, 321. quando obtineat? 323. ad quem dirigi debeat 324

### Praebendae

vnde dicantur I, 858 \*

### Praedicatio

olim Episcopis fuit propria I, 246. \* sed postea varia subiit fata 236 \*\*

crucis sanguinaria est delictum clericale II, 329

(R)

Praela-

## INDEX II.

### Praelatorum Confirmatio

v. Confirm.

#### Praeposita

praest Canonissis I, 520. 5

#### Praepositorum

descriptio I, 162. origo & munus 163

v. Superint.

#### Praepositus

Canonicorum caput I, 484. \* eligitur ex gremio capituli  
484. 3

#### Praescriptio

quid? II, 201. quo nitatur fundamento? 202. quibus non  
currat? 205. qui praescribere possint & quas res 204. quid  
ad praescriptionem requiratur 206

#### Praesentatio

quid sit I, 877. quando & quomodo fieri debeat 879. vbi  
plures iure praesentandi gaudent, quid obtineat 878

#### Praesentien-Verder

cur ita dicantur I, 486 \*\*

#### Praesumptionis

natura II, 154. diuisio 154. fundamenta 156

praesumptio iuris & de iure quae dicatur 157.

#### Precaria

quae sit propria I, 950. quae ex L. Leonis 951

#### Preces primarias

exarant Imperator & Principes I, 910. praesertim euangel  
lici 911

#### Preces publicas

ordinant principes nostri I, 621. 7

#### Presbyteri

qui olim dicti fuerint I, 231. quod subierint officium 232.  
quando, qua ratione & a quibus in apostolica ecclesia fuerint  
constituti 232 \*

Eorum status imminutus est, simulac doctrina de sacrificio  
inualuit 231 \*

quinam

## INDEX II.

quinam sint hodie 233. in quonam constituti sacerdotio 235

quasnam subeant functiones 236

quibus ordinentur ritibus 237

qui inter Protestantes dicantur 238

Presbyter poenitentiarius

quas audiat confessiones I, 430 \*

Presbyteriorum hodiernorum

ratio I, 240

Primatum

nomen I, 269

Primicerius

I, 423

Primitiae

quid sint I, 850. quid circa eas observandum 851. an cognitae Protestantibus 855

Princeps

qua Princeps I, 86. non qua Episcopus aut Papa 86. \*\* incipit in ecclesiam 84. non maiori tamen auctoritate atque in reliqua collegi 84 \*\*

curam religionis gerere debet mediis aptis 85. & provide 86. 7

ad plebem pertinet in Rep. Eccles. 7

Principes Germaniae

iam ante Reformationem ius circa sacra exercuerunt I, 86. \* nouiter religionis exercitium dare possunt, in quantum annus decretorius & pacta non infringuntur 45. Hinc plenum catholicae religionis exercitium concedere nequeunt 45 \*\*

Priores

religionum I, 504

Priuilegiorum

definitio I, 146. diuisio 146. concessio & indoles 147. auctoritas & differentia a singulari iure 149

Priuilegiorum clericalium

descriptio I, 585. species 587. seq.

(R) 2

Priui-

## INDEX II.

### Priuilegiorum pontificis

valor I, 111

### Probatio

quid II, 146. quotuplex 147. in quibus caussis desideretur 149. qualis 150. a quo 151. quo loco & tempore peragenda requiratur 152. quid perfecta efficiat 153

Probatio in perpetuam rei memoriam  
II, 164

### Processus accusatorius

v. Accusat.

### Processus summarius

v. Summar.

### Proclamatio nubentium

est citatio edictalis 1, 738. \*\* omiffa non irritat matrimonium §. eod.

### Procurationis

definitio I, 914. praestatio quae fit episcopis 915. visitatoribus 573. 6. legatis 455

### Procurator

quis II, 59. quotuplex 60. a quibus 62. & quomodo constituitur 63. quibusque in caussis admittatur 66  
qui procuratores esse nequeant 64

### Procuratorii mandati

ratio II, 65

### Professio

quid & quotuplex I, 495. an & quando faciat monachum 496. seq. facta quid operetur 497. 6

### Protestantes

in Germania habentur orthodoxi & iisdem cum pontificiis gaudent iuribus I, 43. inter se faciunt duas partes 98

### Prouinciarum ecclesiasticarum

origo I, 359. descriptio 360

### Prouisio

quid significet in sensu generali I, 903. speciali 904. qua occasione fit excogitata 904 \*

ad Pu-

## INDEX<sup>II</sup>.

---

### ad Pubertatem

explorandam an inspectione corporum opus sit I, 732 \*

### Pueri

inhabiles sunt ad beneficia I, 898

### Purgationis

descriptio II, 388. diuisio 389. iura 390. praxis 391

## Q.

### Quadruplicatio

II, 200.

### Qualitates

ad beneficia necessariae I, 898

### Quarta

fabricae I, 857. \* 913 \* mortuuariorum 916

## R.

### Rapina

II, 323.

### Raptus

poena ecclesiastica luendus est II, 322

### Recessus Imperii

sunt leges religionibus in Germania adprobatis communes  
I, 127

### Reconventionis

descriptio II, 73. diuisio 74. iura 76

### Recusatio

quid sit II, 245. in scriptis proponenda 248. 2.

Omnis iudex recusari potest 247. dummodo iustam suspi-  
cionis causam adesse 248. intra annum probetur 249. 2.  
aut iuramentum praestetur perhorrescentiae 250

### Ius Reformandi

ad annum decretorium & pacta restrictum est I, 45

### Regulae

Monachorum adprobatae I, 502

### Regularium

successio I, 959

(R) 3

Rela-

## INDEX II.

### Relatio

quid sit II, 252. quando & quomodo fieri soleat 254.  
Pendente ea nihil innouandum est, nisi in mora sit periculum 255

### Religio

vera quae I, 11. per se statum civilem non alterat II, 288.  
I. 2. armis quidem defendenda, non autem propaganda est I, 85. 5. seq. an illius sit, cuius est regio 44 \*

### Religio adprobata

legibus imperii habetur orthodoxa I, 43. exercenda tamen est ad statum anni decretorii 44  
tuta est ab omni iniuria 29. 30. iudicatur ex sua formula 29 \*\*

### Religio dominans

a religione domini distinguenda est I, 44 \*\*

### Religio haeretica

in sensu scripturae. saepe est orthodoxa in sensu civili II, 305

### Religionis exercitium

est vel publicum vel priuatum vel domesticum I, 32  
competit, quatenus in anno decretorio exercitium I, 44. 3

### Religionis iuramenta

quando orta I, 190 \*\*

### Religionis paritas

in iudicio aulico ficta est I, 30 \*

### Religiosi

qui dicantur I, 488 \*

### Religiosae domus

v. Domus rel.

### Reliquiarum

descriptio I, 802. consecratio 799

### Remotio

quid II, 381. quotuplex 382. quis 384. quomodo 384.  
quibus ex causis eam decernat 385. decreta quid efficiat 386. in quantum valeat inter Protestantes 387

### Renuntiatio adpellationis

II, 230.

Renun-



## INDEX II.

### Renuntiatio muneris

quid I, 377. quotuplex 378. cur regulariter prohibita 380. cur libere 383. & pure fieri debeat 384. facta quid efficiat 385. quando permiffa ex mente pontificiorum 381. protestantium 381 \*  
cuius contentu fieri debeat apud pontificios 382. apud protestantes 384. 5

### Renuntiatio ordinis

sive qualificata habetur apostasia I, 380. 4

### Reparatio

ecclesiarum quatenus onus fit beneficii I, 913

### Replicatio

quid II, 200

### Reprobatio

quid II, 190. quando detur 190 \*

### Rerum ecclesiasticarum

descriptio vulgaris I, 600. genuina 605. diuisio 601

### Res

proprie quae sint I, 604

### Res corporales

& incorporales I, 602

### Res iudicata.

In rem iudicatam quando & quae sententiae transeant II, 116

### Res mixtae

I, 601

### Res religiosae

I, 784

### Res sacrae, sanctae

I, 783

### Res spirituales

quae 601. quaeque earum species 602

### Res temporales

I, 601

### Rescripta

quid sint I, 140. quomodo impugnentur 142. quo motu

(R) 4

exa-

## INDEX II.

exarentur 141. \*. quatenus faciant ius commune 143. quatenus sint suspecta de fallitate 144

Eorum valor diuersus 145

### Rescripta Pontificis

faciunt legem I, 111

### Residentia

quando incipiat I, 479. 2. cur remissa 479 \*

### Resignatio

in fauorem tertii I, 900

### Responsales

in aula Imper. iam olim aluit Romanus Episcopus I, 282 \*

### Restitutiones ex capite amnestiae

terminus I, 99. \* differentia a restitutione ex capite grauaminum 100

### Restitutionis ex capite grauaminum

terminus I, 99. \* differentia a restitutione ex capite amnestiae 100

### Restitutio in integrum

quid sit II, 239. non datur nisi iusto tempore fuerit petita 242. 5. adsintque causae, quibus suffragatur acquitas 242. 1. & ordinarium deficiat remedium 241

quando cumulari possit cum querela nullitatis vel adpellatione II, 241. 3.

Petita inuouationem impedit II, 243. 1. impetrata omnia in priorem statum reducit 243. 3

### Reuisio

quid II, 236. & ubi recepta sit 237

### Reus

quis II, 11

### Rhegino

de disciplina ecclesiastica. Praef. §. XV.

### Ritus

nullos per modum legis iniunxerunt apostoli 614. \*  
oecumenicos etiam mutare potest princeps 621. 6

Roma-

## INDEX II.

---

### Romana ecclesia

quibus artibus principatum obtinuerit II, 282. \* vidua a quibus regatur 291 \*\*

### Rota Romana

quas expediat causas, cur ita dicatur, cur sacra dicatur &c. I, 109 \*

## S.

### circa Sabbatum

disponere potest princeps euangelicus I, 621 \*\*\*\*

### Sacellani

interiecti sunt inter Diaconos ceterosque clericos inferiores I, 170

### Sacerdotium N. T.

quam habuerit originem, I, 166. \* quasque cum imperio contentiones I, 5 \*\*

### Sacramentorum

ex mente pontificiorum, descriptio I, 624. numerus 625. diuisio 626. ministri 629. criteria 628. fruitio necessaria 631. vis ab administrante non dependens 630  
ex mente protestantium, descriptio 634 numerus 633. criteria 632. fruitio haud coacta 635 \*

### Sacrilegium

quid II, 323

### in Sacris

quinam sint constituti I, 211

### Sagittarum

arma in bello contra Christianos sunt prohibita II, 321

### Saltus

adpellatio per saltum II, 223. promotio per saltum I, 174

### Salus aeterna

per coactiua media obtineri nequit I, 15

### Salutem ecclesiae

pontificii in dominatu sacro & honorum affluentia I, 57. seq. euangelici vero in animarum salute quaerunt 59

## INDEX II.

---

### Sancti

qui I, 803. eorum dicta quatenus leges vniuersales constituant I, 106

### Schisma

quid II, 295 an & qua ratione accedat ad haeresin 299

### Scholae

oblatorum I, 494. 4

### Scrutinium

quid I, 299. quae vota 299 \* & quem ordinem obseruare debeant scrutatores 300

### Secularisatio

ecclesiarum permessa est I; 788 \*\*

### Sedes impedita

quid I, 395. quotuplex 396. quae iura capitulo competant sede in totum 398. seq. secundum quid impedita 400

### Sedes vacans

quid 389

### Sententiae

descriptio II, 209. diuisio 210. lator 212. requisita 213 seq. publicatio 215. effectus 216. exsequutio 217

### Sententia interlocutoria

quid II, 210. quousque definitiua dici posset 214

### Sententia definitiua

quid II, 210

### Separationis coniugalis

causa I, 764. quoad thorum & mensam 775

### Sepulturae .

definitio I, 821. libertas restricta 821. \* locus. 823. 7 ecclesiastici ritus 824. incapaces 825. electionis libertas 826

### Sequestratio

quid sit II, 136. quando 138. & in quibus causis permiffa 139. quas producat actiones 140

### Sigillum confessionis.

I, 686. illiusque ratio 686 \*

### Simoniae

## INDEX II.

### Simoniae

definitio II, 271. diuisio 272. Synonyma 276. poenae 277. Simonia nomen habet a Simone cuius facinus in collatione munerum sacrorum pro pecunia facta committi putarunt patres 271. \* sed falso 279

quando committatur 274. seq.

quatenus citra Simoniam pro spiritualibus quid dari & accipi possit 278

Vulgo Protestantes eandem cum pontificiis agnoscunt Simoniam 280. quum tamen nundinatione munerum ecclesiasticorum ambitus tantum crimen committatur 282

Simoniacum vitium quibus rebus inesse fingatur 284

### Simultaneum

exulare debet I, 44. 4

### Sodomia

modo determinatis modo arbitrariis subiacet poenitentis II, 322

### de Sortilegiis

quid iudicent canones II, 324

### Spolii ius

cui competat I, 917

### Spolium

quid II, 115. quomodo diuidatur 115. quibus modis committatur 117. quando committat illud iudex inferior 117. 4. qua ratione super eo quis experiri possit 118

### Sponsalia

quae sint I, 712. quomodo diuidantur 713. subdiuidantur 714

de praesenti quae sint ex mente interpretum Iuris Canonici I, 713. ex mente Protestantium 721. qui Lutherum Chemnitiumque sequuntur 721. \* & peruersè adplicant ius pontificium 722. seq.

requirunt consentum legitime declaratum I, 715. I. 716 nec admittunt coactionem nisi per iudicatum 716 \*

contrahuntur vel pure I, 717. vel adiecta die 717. 3. vel sub conditione 717. 5

operan-

## INDEX II.

operantur spem nuptiarum I, 718. & impedimentum matrimonii cum contanguineis desponsati 720  
dissoluantur varie 719

### Sponsalia impuberum

sunt claudicantia I, 716. 11

### Sponsalia liberorum

sine consensu parentum inita haud sunt nulla I, 716. 12

### Sponsalia priora

praeferuntur posterioribus I, 718. 15

### Status

quid I, 151. ab eo dependet fruitio iurium 151 \*

### Statuta ecclesiastica

I, 149

### Stilus curiae Romanae

lex est I, 109

### Stipes

quid I, 741

### Stola

quid I, 465 \*

### Stolae iura

quae dicantur I, 466. eorum iusticia & abusus 467.  
quo iure & quibus ex causis exigi possint 468

### Studioforum

privilegia I, 582

### Stuprum

poena ecclesiastica luendum est II, 322

### Subdiaconi

qui I, 218. qua occasione orti 218 \*  
ordinandi sunt cum scrutinio 220. adhibitis sollempnitatibus 221. ad ministerium in sacris 222  
apud Protestantes omnia peragunt sacra 229

### Subsellia

parochiani prae aliis praetendere possunt I, 596. 5

### Substitutorum

status & iura I, 419

Suc.

## INDEX II.

---

### Successio

in bona clericorum I, 956. seqq. regularium 959

### Summarium

cumulari potest cum ordinario II, 111

### Superintendentium

nomen I, 256. \* origo 257. descriptio 258. constitutio 260. inspectionis ratio 261. iurisdictio nulla 262

### Supplicatio

quid II, 232. quando competat 234. quomodo interponenda 235. interposita quid efficiat 235

### Suspenso

quid II, 273. quotuplex 374. a quo 375. quibus 376 ob quas causas irrogetur 377. irrogata quid efficiat 378 Inter Protestantas a quo 379 & quibus irrogetur 380

### Symbola

ad instar legum sunt I, 108. in sacris literis non occurrunt 108 \*

oecumenica faciunt legem in Germania communem 124 quae attendant Lutherani 116. Pontificii 113. Reformati 117. seq. & qua ratione 119.

### Synodaticum

debetur episcopo I, 914

## T.

### Templariorum Equitum

origo I, 523. fata 524

### Tempus

quale in praescriptione necessarium II, 207. seq.

### Testamenta

quatenus clerici condant I, 958. & quae singularia circa ea disposuerit ius pontificium 962

### Testimonii

effecta II, 165

### Testes

qui sint II, 158. qui inhabiles habeantur vel in omnibus 160. vel in quibusdam causis 161. an, qui & quomodo cogi possint ad testimonium dicendum 162

quid

## INDEX II.

quid in eorum examine 163. praesertim extraordinario  
obseruandum sit 164

### Tetrapolitana Confessio

est liber Reformatorem symbolicus particularis I, 117

### Teutonicorum Equitum

origo I, 523. fata 524. baliuiae 529. 7. diuisio 529. 12

### Titulus

quid I, 932. \* qua ratione desideretur in praescriptione  
II, 207. in iis, qui in sacris sunt constituti I, 214

### Tolerantiae

descriptio II, 308. diuisio 309. fundamentum 311. prae-  
dicatum tam catholicae quam protestantium religioni tri-  
buitur I, 43 \*\*

Tolerantiam custodire potest & debet princeps I, 85. 8.  
religionem etiam, quae in imperio non est adprobata, dare  
potest 43 \*\*\*

### Tolerantia gratiosa

quid efficiat I, 43. 12. & t. II, 312. 10. seq. tolerantia  
contra annum decretorium data regulariter gratiosa est, I,  
45. 8.

### Tolerantia necessaria

quid efficiat II, 312. seq. quibus in Germania debeat re-  
ligionibus I, 43. I. & \*\*

### Tonsurae

origo I, 193. \* descriptio 194. candidatorum qualita-  
tes. 196. ritus 197. effectus 198. vsus inter Protestan-  
tes nullus 199

### Torneamenta

delictis sunt annumerata II, 321

### Traditiones

apostolicae constituunt legem ecclesiasticam vniuersalem  
I, 103

### Transactionis

descriptio II, 40. valor 43. effectus 44

### Translatio clericorum

inferiorum frequens est I, 372 legitima esse debet 373

Trans-



## INDEX II.

### Translatio Episcoporum

quid sit I, 366. cur rara in Germania 369. \* an cum reordinatione comparanda 366. \* quando sit permilla 368. cuius fiat auctoritate 369. quid efficiat 370

### Translatio per permutationem

qua sub lege fieri possit I, 375

### Translocatio

quando & cur I, 374. quibus sub incommodis decernatur 374 \* olim fuit incognita 371 \*

### Transsubstantiatio

symbolorum in eucharistia I, 653

### Tridentinae

fidei professio I, 113

### Tridentinum

Concilium I, 113

### Triplicatio

II, 200

### Turbatio

sacrorum I, 793

### V.

### Vacantia

qualis in curia Romana fieri dicatur I, 906

### Vala

consecrantur I, 799

### Venatio

interdicta clericis II, 328. 330

### Vestes

ad cultum sacrum pertinentes consecrantur I, 799

### Vicariae

annumerantur beneficiis I, 487 \*\*

### Vicarii canonicorum

vnde orti I, 479 \*

### Vicarii clericorum

qua occasione nati I, 439 \*

### Vicarii generales

qui sint I, 440. qua occasione nati 440. \* quousque principales ordinariam 443. spirituales & temporalem iurisdictionem exercent 444. quae sibi vindicare nequeant 445

foranei qui dicantur 441. & quae eorum potestas 446


### Vice-Cancellarii

in Cancellaria Ro. maxima est dignitas I, 109 \*\*\*

### Vigiliarum

descriptio I, 806

Vigum



## INDEX II.

### Vinum

in eucharistia an adhibuerit Christus I, 652 \*

### Virgines velatae

a quo tempore diuisae in monachas & canonicas I, 474

### Visitatio

quae facta sit perpessa I, 563. \* quid olim fuerit 567. quid sit hodie 568.

Quae personae I, 572. quae res 573. a quibus visitentur 570.

Visitatio imperio coniuncta apud nos pertinet ad ius circa sacra 574. 576. imperio destituta cohaeret curae pastorali 577

### Vita

canonica differt a regulari I, 473. clericorum 559. coenobitica & monastica promiscue dicitur 489

### Vnctio

varia est I, 701 \*

### Vnctionis extremae

descriptio I, 697. diuisio 698. minister 700. modus administrandae 701

### Vnio

quid sit I, 937. quot fiat modis 938. cuius auctoritate fiat 941. qua ratione suscipiatur 940.

Vnio per aequalitatem I, 945. per subiectionem 942. per suppressionem 944. irregularis 946.

Vnionis praxis apud Protestantes 948

### Vniuersitates

### v. Academiae

### Vocatio diuina

dubia in hypothese I, 373. 4

### Vota maiora

quomodo computentur in electionibus Praelatorum I, 299. in summis imperii tribunalibus 30 \*

### Votorum

descriptio I, 498. diuisio 498. executio 499. 2. mutatio, redemptio, dispensatio 500. religio ex ritu sacrificiorum orta 498 \*

doctrina apud Protestantes 508

### Votum castitatis

### v. Castit.

### Vsurae

quid II, 323

### Wandel, Glücklein

quid I, 659. 2

### Wester, Hembd

unde dicatur I, 640 \*\*\*

### Zofimi

Collectio canonum. Praef. §. XIII.

ⓄⓄ:ⓄⓄ ( 0 ) ⓄⓄ:ⓄⓄ





